Digitized by Google

TEOLOGIA
DOMMATICA
163
B
52.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
B
52
NAPOLI

Google

Digitized by Google

Theologiæ Speculativæ [redacted] SCHEMA;

E Variis Syſtematibus modernis, *magnam partem*, excerptum, ab incautis quorundam placitis repurgatum:
Sacrarum Scripturarum autoritate confirmatum, nec non *Eccleſiæ Anglicanæ* Articulis maximè conſonum.

Cui acceſſit
Brevis Præcipuarum Controverſiarum per totam Theologiam Diſcuſſio, è variis Autoribus in opem & ſubſidium Tironum collecta, & ad locum cuiq; congruum relata.

Per Laur. Fogg, S. T. P. Dec. Ceſtrienſ.

Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, 2 Tim. 1. 13.

LONDINI,
Excudebat *J. H.* pro *R. Minſhull* Bibliopolâ *Ceſtrienſi*, & proſtant vœnales apud *H.* & *G. Mortlock* ad inſigne *Phœnicis* in *Areâ Paulinâ*, 1712.

ECA NAZIONALE V.E. III - NAPOLI

[redacted]

Digitized by Google

Reverendo admodum

In Chriſto Patri ac Domino

D^{no} Gulielmo

Epiſcopo *Ceſtrienſi.*

DIU multumque (*Ampliſſime Præſul*) viri aliquot, tum eruditione, tum prudentiâ celeberrimi, nec non ſtudioſa noſtra juventus univerſa in votis habuerunt, ut ab Anglis conſtruerentur, & in uſum communem emanarent, approbata quædam *Theologiæ Syſtemata*; non ea tantum quæ ad plebis inſtitutionem in explicatione Symboli Apoſtolorum, & Decalogi, componuntur, ſed & alia, quæ tum Didacticæ tum Polemicæ Theologiæ Primordia candidatis illius

S. Facultatis ſuccinctè traderent. Hujuſmodi in Batavicâ aliiſque vicinis Eccleſiis permagnam protulit copiam ſœculum nuperrimè elapſum; & agnoſcimus, ſimul & gratulamur iis (totique fidelium communitati) tot ſuos ad ſummum literarum faſtigium provectos Coryphæos, viros humanarum divinarumque notitiâ exercitatiſſimos, præcipuè illuſtria illa Eccleſiæ lumina, Profeſſores nimirùm Theologicos, ad eximium Orbis Chriſtiani commodum & honorem à Deo datos; in quorum numero Syſtematum Theologicorum concinnatores quamplurimi cenſendi ſunt: Necnon ipſorum Syſtemata & illis, & nobis gratulamur, tanquam tot cœleſtis Sapientiæ Gazophylacia. Veruntamen neminem eſſe arbitror cui non conſtet in his ipſis aureolum unum aut alterum, non ſubæratum modo, ſed & planè adulteratum fuiſſe. Illuſtria enim aliquot ejuſdem Regionis lumina ſuis Orthodoxiæ vindiciis, rem illam palam fecerunt: Inter ipſos etiam

am ſaniorum dogmatum vindices, quamvis de Fundamento, plurimiſque Religionis capitibus gratus & amicabilis illis nobiſcum ſit conſenſus, quædam nihilominus occurrunt de quibus nimia eſt ſententiarum diverſitas. Dolent interim & conqueruntur multi, in tanta Syſtematum copiâ, penuriam eſſe eorum quæ tanquam ſanorum ſermonum hypotypoſes ſtudioſis laudent & proponant. Porrò accidit nonnunquam ut hujuſmodi Tractatuum Autores (quamvis in univerſa Scientiarum Encyclopediâ exercitatiſſimi) de Partibus contendentibus pronunciaturi, hanc vel illam earum Sententiam paulo acrius & vehementius defendant, Quæ (cum ne *Bernardus* quidem videat omnia) parum firma forſan inveniatur, aut utraque dubia, imo forſan utraque in errore verſetur. Dein cum in ſententiis, quas ita cooptarunt, propagandis, ſatis ſuperque multi ſint, qui ad illarum ſententiarum normam, totius etiam operis ſui ſeriem adaptent, inde

Candidati, ea præcipuè dogmata bibulâ mente agitantes quæ Magiſtros ſuos majori curâ & ſolicitudine tradiſſe obſervârunt, Partium potius quam veritatis, (quæ inter Partes ſæpe neglecta jacet) ſectatores fiunt; Quas Partes inſuper, quamvis in aliquibus Regionibus tolerari, non tamen in omnibus æquali gratiâ & favore tractari & indulgeri expedit. Ea Chriſtianæ Religionis dogmata quæ omnibus & ſingulis Eccleſiis ſunt ſaluberrima in animo habui, tum firmis (uti arbitrabar) hypotheſibus innixa, tum congruâ ſerie & texturâ ſummatim ſtudioſis indicare. At quoniam uſu venit, ut tanto majori honore habeatur quodvis opificium, quanto digniori nomine prævio, ei in lucem venienti aperiatur aditus, illa mihi, precor, apud te gratia ſit (*Ampliſſime Præſul*) ut hoc qualecunque cœptum illuſtri Nomine veſtro munitum prodeat. Leviſſimi enim momenti eſt, quodnam Nomen, quæ conditio, quis locus Autoris, cu-

juſve Ordinis ſit, quo ſcilicet Patre ortus, modo veſtri Nominis fruatur Patrocinio; ſatis ab eo erit illi dignitatis & præſidii; quia Nomen eſt eximium, conſpicuum, longe lateque honorandum, Nomen ob majorum virtutem & ſtemmatis antiquitatem præclarum, nec tamen inde ſolummodo laudandum, ac ſi nihil honoris ultra Nomini ſuo addiderit is qui nomen gerit; Nomen enim hoc ob Nominati Pietatem, Probitatem, Eruditionem, ob Prudentiam, Charitatem, Gravitatèm cum Candore & Comitate mirificè conjunctam, ob Munificentiam, & (ut quæ numeroſa ſunt non ſigillatim perſequar) tam ob Religioſam de Rebus Divinis curam & ſolicitudinem, quam ob morum rectitudinem & integritatem, Nomen eſt ſummis laudibus egregiè dignum, ſummopere colendum, & per Orbem celebrandum. Ad hæc Nomen eſt quod indies inclareſcere, propagari, & in immenſum evectum eſſe deprehendimus, teſtamur,

gratulamur. Nomen denique quod maledicentium aculeos hebetabit & retundet, & cujus honorem ne ipſa quidem *Malevolentia* protererе aut (uti ſperamus) ullatenus denigrare valebit. Quæ ſpes ne fallat unquam, votis ardentibus expetit

Nominis Veſtri

Cultor obſervantiſſimus,

LAUR. FOGG.

PRÆ-

Præfatio ad Lectorem

DE

AUTHORIS INSTITUTO.

P*Ermulti ſunt, qui ſatis amplâ eruditionis ſuppellectile inſtructi, controverſias circa quælibet Theologiæ capita motas, doctè, ornatè, copioſéque adeo tractaverunt, ut haud quicquam apud Poſteriores occurrat, quod ab Anterioribus non ſæpe penè ad nauſeam dictum fuerit: unde optimè Lectoribus conſuluerunt, qui ſummatim illa expedierunt, quæ cumulatius Scriptores antea proſecuti fuêre; atque operæ pretium feciſſe videatur quiſquis eadem quæ unus aut alter eorum abbreviatorum in compendiis ſuis ſuggeſſit, contractius adhuc (quouſque perſpicuitati non obeſſet) ad ſingula Theologiæ capita congruè referret. Hanc quidem provinciam curare apud me ſtatui, unde præter illa quæ propriiſſimè mei ipſius fuerunt moli-*

mina,

mina, Quæſtiones aliquot è Turretino *de Deo-Trinuno, è* Remonſtrantibus *de primo Peccato, è* Rob. Baron. Metaphyſicis *de Concurſu Providentiæ, è* Curcellæo *de Gratiâ reſiſtibili, è* Guliel. Forbeſii Conſid. Pacificis *de Juſtific. aliiſque non paucis, hic habes ſummatim diſcuſſas & determinatas. Poſtquam autem ſatis firma (uti arbitratus eram) hujus operis ſtamina duxeram, nec modo Schema totius contexeram, ſed & in parte etiam Polemica, fœlices feceram progreſſus, tandem infirmitate immedicabili eo uſque à propoſito recedere coactus fui, ut compendioſam illam controverſiarum deciſionem paulò imperfectiorem quam ſtatueram relinquere neceſſe habuerim. Præſtiti nihilominus quæ in Frontiſpicio promiſſa ſunt, tum de* Theo*logiæ Schemate, tum de præcipuis illius controverſiis; Quoniam verò nec extremam quam cogitaveram operis metam attingere, neque iis, quæ feſtinante & impolitiori ſtylo ſcripſeram, ultimam (quod aiunt) limam adhibere potui, ideò Tractatum hunc quaſi Schediaſma minus cultum, familiarium quorundam uſui ſolummodò inſervire ſtatueram, neque unquam typis mandari, niſi Qui præſunt in Eccleſiâ Religionis Integritatem & Fidelium pacem aliquouſque inde promoveri poſſe judicarent: Namque ſi ita ſe res haberet, ut aliis utile foret & opportunum nihil eſſet mihi optabilius, quam ut in uſum communem exiret; eo præcipuè conſilio, ut ſi*

hæ

hæ pagellæ in manus peritioris cujuſpiam Artificis unquam inciderint, inde forſan ipſe (dum vires annique ſinunt) ſuſcitetur ad alia quædam haud abſimilis generis molimina mentem & induſtriam applicare, quibus fæliciori ſucceſſu ad prædictam hujus inſtituti metam propius accedat. Admonitus autem, ut nec ſalubria illa media quæ ſententiarum inſalubrium licentiæ fræna injicerent, ſupprimerem, nec moras in iis evulgandis necterem haud neceſſarias, (nimirum ut neque levem dolabram operi nondum acceſſiſſe obtenderem, neque ad conſummationem illius deſiderari aliquid, quod tamen revera non multum ei expediret) Monentibus morem gero. Parum enim prudenter rem adminiſtrare viderer, ſi (ſenex admodum cum ſim) menſes adhuc neſcio quos, forſan annos, cœpto protendendo, perpoliendo abſolvendo, decernerem, cum ipſa mihi ultima feſtinet hora. Imo fruſtra omnino Scripti cujuſpiam naturale decus pulchritudine artificiali augere & ornare aggrederer, qui præ ætate jam cæcutiam adeò, ut nec Apographi mendas, nec Errata præli corrigere poſſim. Hinc viros aliquot tam ſapientiâ quam eruditione ornatiſſimos conſului, an in medium hæc Scripta proferenda eſſent, necne; à quibus cum accepeſſem, ipſorum judicio illa ex S. Scripturis integrè confirmari, Puritati Doctrinæ, & Eccleſiæ paci inſervitura, uberi cum fructu fidelium, Theologiæ in primis operam navantium legi poſſe, & Eccleſiæ Anglicanæ

glicanæ Articulis eſſe maximè conſona, eadem Typographo (utpote quoad ſumma Religionis capita firmiter credenda & propugnanda, quoad Dogmata autem minus neceſſaria, Orbis Chriſtiani Cenſuræ humillimè permiſſa) evulganda tradidi.

Vale.

Rerum

Rerum præcipuarum in ſingulis Capitibus & Sectionibus contentarum Recapitulatio.

CAP. I.

I. DE Naturâ Theologiæ. Acceptiones Vocis. Rei Dignitas. Pag. 1

Cap. II. De S. Scripturis.

Sectio.
I. De S. Scripturarum Canone; & quinam Libri habendi ſunt pro Canonicis, quinam pro Apocryphis. p. 5
II. De Authoritate S. Scriptuarum; & num pendeat ab Authoritate Eccleſiæ. p. 9
Num quidam Proteſtantes jure ſtatuant Teſtimonium Spiritus ultimum eſſe, in quod Fides reſolvenda ſit, p. 13
III. De Perfectione Scripturarum; Num contineant omnia ad Salutem neceſſaria; & num ſufficiant abſque Traditionibus non ſcriptis. p. 19
IV. De Interpretatione, & Controverſarium Judice ſummo & infallibili. Num Deus in Scripturis loquens, an Eccleſia, an Pontifex Rom. p. 23
V. De Editione Authenticâ; Num Hebræa Vet. Teſt. & Græca Nov. p. 28

VI. De

Digitized by Google

VI. De Verſionibus S. Script. *in Linguas vulgò cognitas, an Neceſſaria.* p. 33
Num LXX. *Interpretum ſit Authentica* p. 35
De Verſionibus Latinis. p. 37
VII. De Perſpecuitate Scripturarum; *quatenus in rebus ad* Salutem *neceſſariis intelligi poſſint à Fidelibus, & legi cum fructu abſque permiſſione impetratâ; & num quadruplex Scripturæ Senſus.* p. 38, 39, 40, 41, 42

Cap. III. De Deo & Attributis.

I. Res Spirituales, Cœleſtes, & Æternæ *non nobis innoteſcunt niſi per modum quendam à Materiâ, & ſucceſſivâ duratione mutuatum.* p. 43
II. De Nominibus Dei & illius Attributis *in genere.* p. 46
III. De Attributis *in particulari, eorumque Diſtributione.* p. 51
De Attributis prorſùs Incommunicabilibus; ſive Primi *Generis. Scil. de Simplicitate Divinæ Eſſentiæ,*
Et de Infinitate *illius. Ratione vel* p. 52
Durationis, *i. e. Æternitate; num illa ſit tota ſimul. Vel*
Præſentiæ. *ſcil. Omnipræſentia.* p. 55, &c.
IV. V. De Attributis Secundi Generis, Quæ vulgò *communia vocantur, quæ tribuuntur* Deo, *per* Analogiam *vel* p. 60
Ad ipſum Eſſe *Rei finitæ ut* Eſſentia, *Vita.* p. 64, &c.
Ad Facultates Creaturarum, Spir. facultatum Habitus & Actus, ut Intellectus.
Scientia, Sapientia. p. 66
Voluntas; ubi an probet malum; num Voluntas Dei ſit mutabilis. p. 67

Sitne voluntas Arcana; quæ ab eâ quæ promiſſionibus, & Comminationibus verbi revelatur, diſcrepet. p. 70
De Voluntate Signi & Beneplaciti; de Antecedente & conſequente. p. 71
Ad Facultatem Exequentem. Omnipotentia. p. 73

VI. *Ad* Habitus Voluntatis; *ubi de Bonitate, ejuſque Ramis, de Gratiâ & Miſericordia.* p. 76
Juſtitiâ tùm dicti, ubi de Veracitate & Fidelitate Divinâ. p. 78
Tum facti, eâq; Univerſali, quæ Sanctitas vocatur; & Particulari, ubi an Commutativa propriè Deum & Hominem intervenit; & de Retributivâ; *ubi, num* Pœnam Retribuens *ſit* Deo naturalis.

Cap. IV. De S. Trinitate.

I. Vocum Explicatio, *quæ in Doctrinâ hujus Myſterii ſubinde occurrunt.* p. 85
II. Numerus, Diſtinctio, Unio Perſonarum; & Doctrinæ illius neceſſitas. p. 89, &c.
Num in unâ Eſſentiâ ſint tres diſtinctæ Perſonæ. p. 92
Num Myſterium illud in Vet. Teſt. cognitum ſit. p. 94, 95
Num Perſonæ diſtinguantur ab Eſſentia, & inter ſe, & quomodo. p. 96
III. Num Filius ſit ab Æterno genitus, etiam verus & Æternus Deus, Co-eſſentialis Patri. p. 97
IV. Num Sp. S. ſit *Perſona divina, à Patre & Filio Diſtincta, & Num à Patre & Filio procedat.* p. 106

Cap. V. De Operibus Dei internis & ad Extra.

I. De Decreto *ſeu* Providentiâ Externa. *Non tollit Libert. Voluntatis.* p. 111
De illius Immutabilitate & an Conditionatum.
De Fundamento Concordiæ inter Decretum & Volunt Liberam. p. 116
Num terminus Vitæ fixus ſit an Mobilis. p. 119
II. Præcipuæ Theolog. Sententiæ de Prædeſtinatione, *quinque rejiciuntur.* p. 123
Sexta Sententia ſeu potius conjectura explicatur & confirmatur. p. 130
Collatio illius Sententiæ cum definitione Prædeſt. in 17° Artic. Confeſſ. Eccl. Anglic. tradita. p. 138
Annotationes in Commata quædam Cap. 9. ad Rom. p. 141

Cap. VI. De Operibus Dei Externis.

I. De Creatione & De Homine. p. 145
II. III, IV. De Animâ Humanâ; *De Conſcientiâ, de Libero Arbitrio.* p. 147, 149
Num Voluntatis Electio *neceſſariò pendeat ab ultimo Judicio Intellectûs.* p. 157
Num poſſit eſſe prava Volitio abſque Errore aut Ignorantia in Intellectu. p. 165
V. De Homine ad Imaginem Dei creato. p. 167

Cap. VII. De Providentiâ Actuali.

I. De Concurſu primæ Cauſæ cum Secundis. p. 171
II. De Gubernatione Speciali Hominis ante Lapſum. *De Fœdere Operum & Lege Naturæ.* p. 179, &c.
III. De locatione Adami in Paradiſo, & Lapſu illius. p. 183
IV. De Peccato Originali, *quod ſit, & de Quæſt. quid ſit. Flaccii Illyrici Sententia rejicitur.* p. 185
Num primum Peccatum Protoplaſtorum ſuit Perſonale *ſolummodo, quoad reatum, an etiam Poſteris imputetur ad mortem æternam?*
Num pravitas Naturæ per imitationem ſolummodò derivetur, an ab Adamo propagetur? p. 192
Num pravitas iſta ſit peccatum propriè dictum, an ſolummodo Morbus Naturæ? p. 193
Alii eam eſſe peccatum propriè dictum exiſtimant;
Alii ſolummodo Morbum Naturæ,
Alii eam tanquam Habitum rationem *peccati in ſe habere (uti loquitur Eccl. Angl.) non tamen inter mores humanos numerandam antequam luctetur contra Spiritum, & voluntatem in Conſenſum allicere conetur.* p. 200
Vires Naturæ lapſæ ad Bonum Spirituale non ſufficere. p. 205
V. De Peccato Actuali, *illiuſque Speciebus aliquot & annexis.* p. 209
De Peccato *irremiſſibili.* p. 213

Cap. VIII. De Gubernatione Hominum poſt Lapſum.

I. De Fœdere Gratiæ; *& Conditione illius, quæ poſſibilis reditur ex Gratiâ.* p. 215

Theſes aliquot de Gratiæ Sufficientis Neceſſitate, Auxilio, & operandi Ordine, idque virtute Fœderis. p. 221

II. De Fœdere Gratiæ Veteri. *Conditio cujuſlibet Fœderis Lege aliqua præſcribitur.* p. 224

III. De Fœderis Gratiæ Veteris Sigillis, *Sacrificiis & Sacramentis.* p. 228

Cap. IX. De Fœdere Gratiæ Novo illiuſque Mediatore.

I. In quibus conveniunt & differunt Vetus & Novum. p. 230

Acceptiones Vocis Evangelii, & quommodo differt à Lege. p. 232

De Redemptione & Mediatione in genere. p. 234

II. De Redemptoris Statibus & Officiis. p. 238

De Statu Humiliationis, *illiuſque gradibus, ſcil.* *De* Redemptoris Incarnatione, *ubi de illius Conceptione, Unione Hypoſtatica,* p. 240

Nativitate. p. 245

Num Meſſias promiſſus dudum venerit; & num Jeſus Naz. *fuit promiſſus* Meſſias? p. 246

Et reliquis Humiliationis Gradibus, Vitâ Ærumnoſâ, Crucifixione, Morte, Sepulturâ, Deſcenſu ad Inferos. p. 254

III. De

III. De Statu Exaltationis, *Reſurrectione, Aſcenſione, Seſſione ad dextram Dei, Adventu ad Judicium.* p. 256
IV. De Officiis, *Prophetico, Sacerdotali, ejuſque partibus quæ fuerunt* 261
Satisfactio. *Num* Satisfactio *pro nobis fuit neceſſaria?* p. 265, 266
Num Chriſtus loco noſtro Juſtitiæ Dei ſatisfecerit. p. 269
Num per omnibus & ſingulis. p. 274
Num per Obedientiam ſolam Paſſivam, fuitne plena & condigna, an per acceptilationem. p. 281
Num Opera fidelium ſint quadantenus Satisfactoria? p. 283
Interceſſio. p. 284
De Officio Chriſti Regio, *num temporale & mund. an Spirituale?* p. 285
Num Regnum Illius in æternum ſit duraturum? p. 287

Cap. X. De Sacramentis Nov. Fœderis.

I. De Sacramentis in genere; De Voce; *quonam Reſpectu Sacramentum ſit Signum & Sigillum; quonam Actio. Illius Efficiens, Materia, Forma,* &c. p. 289
Unio Signi & Rei Signatæ non eſt propriè Spiritualis, ſed Relativa: p. 290
Unio noſtri cum re ſignatâ qualis. Num Fides ſit de Eſſentiâ & Integritate Sacramenti. Eſt mutatio Signorum in Sacramentis, non quoad Subſtantiam, Quantitatem, aut Qualitatem, ſed quoad finem, officium, conditionem, & uſum. Quænam fuerunt Veteri; Quænam Novo Teſt. p. 291
Nullitas aliquorum apud Pontificios. p. 293

Num per Malitiam Miniſtrantium reddantur Ineſſicacia, & num Attentio & Intentio Miniſtri ſit abſolutè neceſſaria ad Efficaciam eorum. p. 295
II. De Baptiſmo, *à quo adminiſtrandus*; p. 299,&c.
Ejus Materia, Forma, p. 301
Finis, Neceſſitas. p. 302
Sponſorum Uſus non rejiciendus. Quinam baptizandi. p. 304
III. De S. Cœnâ, *illius Materia,* p. 307
Forma, &c. p. 311
Num propriè an figuratè ſumenda ſint Hoc eſt corpus meum. p. 312
Uſus illius Legitimus. Indignè accedentes quid recipiunt. p. 319, &c.
Miſſa Pontificiorum. p. 320
Num S. Cœna ſit Sacrificium propriè dictum. p. 321
Miſſæ horrenda impietas. p. 323

Cap. XI. De Redemptionis Applicatione.

I. Hæc Applicatio *communiter (licet haud propriè)* Vocatio *appellatur.* p. 325
Eſt vel Univerſalis vel Specialis.
Quonam ſenſu vocantur etiam Ethnici. p. 326
Vocatio *paſſivè ſumpta tum Vocationem à parte Dei, tum acceptationem à parte Hominum complectitur.* p. 328
II. Vocationis *illius acceptæ Inſtrumentum eſt fides.*
Cujus Natura, Species, Cauſæ, &c. p. 329
Num quilibet tenetur ſibimet applicare Promiſſiones generales de Remiſſione peccatorum & Vitâ Æternâ. p. 333
Num Evidentia an Inevidentia, ſive Obſcuritas requiratur ad Objectum fidei. p. 334
Num Infantes fidem habere cenſendi ſunt. p. 335

CAP. XII. De Effectu Vocationis, qui vel Communis vel Particularis, ſcil. Eccleſia. p. 337

I. De Eccleſia; *de Voce, & Definitione.* p. 338
Conſiderantur etiam illius Diſtributio, Partes, Notæ, & Adminiſtr. p. 339
1. *Diſtributio, quamvis propriè una, tamen alia atque alia eſt ratione Statûs, Ætatis, Viſibilitatis, & Latitudinis.*
1. *Ratione Status, Eccleſia eſt triumphans, aut militans.*
Triumphans *in Cœlis. Num Angeli ſint Membra Eccleſiæ.*
Militans *in Terris. Num alia ſit Laborans in Purgatorio.*
2 *Ætatis, ut Veteris & Novi Teſt.* p. 343
3. *Notitiæ, quam de Eccleſiâ habere poſſumus, ſcil. quâ* Viſibilis *aut* Inviſibilis.
Num ſoli Fideles ſint Veræ Eccleſiæ *Membra propriè dicta.* p. 344
Num in terris ſemper ſit duratura; & num ſemper Conſpicua & illuſtrè viſibilis. p. 346
4. Latitudinis *ſive* Extenſionis, *quâ* Univerſalis *aut* Particularis p. 350
Nam Particularis *unaquæque poſſit errare & deficere.*
II. De Partibus Eccleſiæ, *Capite & Membris. Num præter Chriſtum aliud ſit Caput ſubalternum.* p. 353
Num Petrus fuit ſub Chriſto Oecumenicus Monarcha Eccleſiæ aut Vicarius. p. 359
Num Epiſcopus Rom. *in Controverſiis* Fidei *ſit* Judex Infallibilis. p. 362
III. De Notis Eccleſiæ.—— *Dantur illius* Indicia; *& quæ* p. 364
Num Veritas Eccleſiæ, an Doctrina, ſit priùs exquirenda. p. 365
Num

Num Veritas Doctrinæ certa ſit Eccleſiæ nota. p. 367
Fallaces ſunt quas aſſignant Pontificii. p. 368
Num liceat Chriſtianis ſeparare à Communione Eccleſiæ particularis propter ſcandala. p. 369
IV. De Adminiſtratione Eccleſiæ; *quæ tum Eccleſiaſtica eſt, tum Politica.* p. 370
Eccleſiaſtica, ubi de Poteſtate Eccleſiæ, de Miniſtris, & Adminiſtrationis partibus.
De Miniſtris Eccleſiæ Extraordinariis Novi Teſt. Apoſtolis, Evangeliſtis, Prophetis. p. 373
De Miniſtris Ordinariis, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis. p. 376
Num Epiſcopatus & Presbyteratus ſint Diſtincti Ordines. Ibid.
De Partibus Adminiſtrationis. p. 378
De Vocatione Miniſtrorum; Eſtne Vocatio ad Miniſterium, aut ipſa Miniſterii Functio neceſſaria ſub Evangelio. Ibid.
De Synodorum ſive Conciliorum Celebratione. p. 383
De Authoritate Conciliorum; & p. 386
Num errare poſſint. p. 388
De Uſu Clavium, & Excommunicatione. p. 390
De Politicâ Eccleſiæ Adminiſtratione. p. 396
Num Pontificii rectè doceant Poteſtatem Eccleſiæ ſuperiorem eſſe Civili, eique tanquàm Inferiori imperare. p. 397

CAP. XIII. De Vocatione paſſivè ſumptâ, quæ Specialem Effectum aſſecuta eſt, nempe Regenerationem. p. 399

I. Neceſſitas Gratiæ ad mutationem, *quâ è ſtatu Naturæ ad Vitam in Chriſto tranſimus, & indoles illius novem theſibus exponitur.* p. Ibid.
Gratia non eſt ordinariè irreſiſtibilis. p. 405

II. De

II. De Adjunctis *quibuſdam Regenerationis, Perſeverantiâ & Certitudine.* p. 417
Num fideles poſſint certi eſſe, præſentem ſuum ſtatum eſſe Statum Salutis. p. 417
III. De Juſtificatione; *de* Vocis Acceptatione. p. 426
De Cauſis, &c. p. 428
Præcipuè Formali, & p. 429
Inſtrumentali p. 436
IV. De Sanctificatione; *illiuſque Cauſis; ubi de Veteri Homine & Novo;* p. 438
Mortificatione, Vivificatione, & Sanctificationis Effect. & Officiis. p. 440
V. De Glorificatione; p. 441
Num Chriſtus è Cœlo deſcendet, mille annis in terris viſibiliter regnaturus ante conſummationum Sæculi. p. 444
De Conſummatione Sæculi. p. 448
De Extremo Judicio, p. 450
De Vitâ Eternâ, *illiuſque* Beatitudine. p. 451
De Morte Eternâ illi oppoſitâ. p. 459

E R-

ERRATA.

PAg. 15. lin. 17. *dicimus* l. *diſcimus*. p. 21. lin. 32. dele *haud*. p. 32. lin. 15. *ἀνλιοφχνίας*, l. *ἐναντιοφανίας*. p. 34. lin. 7. *Chriſtus*, l. *Chriſtum*. p. 56. lin. 21. *Appellata*, l. *Appellatio*. p. 86. lin. 36. *eodem*, l. *eadem*. p. 102. lin. 20. *geniti*, l. *gignentis*. p. 104. lin. 24. *ei*, l. *Dei*. Ibid. lin. 25. *Analogia*, l. *Analogica* p. 106. lin. 17. *Scrutare*, l. *Scrutari*. p. 108. lin. 35. *Et*, l. *Sed*. Ibid. *Sed*, l. *Et*. p. 110. lin. 31. *omiſſa*, l. *omiſſum*. Ibid. lin. 34. *addita*, l. *additum*. p. 115. lin. 10. *certitudem*, l. *certitudinem*. p. 128. lin. 16. *Reprobi*, l. *reprobari*. p. 130. lin. 35. *quom*, l. *quo*. p. 134. lin. 13. *ie*, l. *ei*. p. 143. lin. 29. *ſatisfaceretur*, l. *ſatisfieret*. p. 145. lin. 12. *Eſq;* l. *&ſtq;*. p. 147. lin. 8. *plantis*, l. *cum plantis*. p. 148. lin. 28. *ne vix*, l. *ne vix quidem*. p. 151. lin. 18. *occurſu*, l. *concurſu*. p. 155. lin. 20. *utrâq; parte*, l. *ex utraq; parte*. p. 169. lin. 36. *potuit*, l. *potuerit*. p. 206. lin. 2. *vellit*, l. *velit*. p. 242. lin. 10. *σάρκωσις*, l. *ἐνσάρκωσις*. p. 246. lin. 13. *manſert*, l. *manſerit*. p. 247. lin. 24. *ſedam*, l. *ſed jam*. p. 249. lin. 27. *cauſ.* l. *causâ*. Ibid. lin. 29. *reſtauratuis*, l. *reſtauraturi*. p. 259. lin. 12. *Inditcaur*, l. *indicatur*. p. 323. lin. 32. *commemorativam*, l. *commemorativum*. p. 335. lin. 19. *creſidere* l. *reſidere*. p. 336. lin. 6. *cum quâ*, l. *quâ cum*. p. 340. lin. 17. *illius*, l *illi*. p. 353. lin. 21. Regnum, l. Regum. p. 362. lin. 4. *ſub Eccleſias ultra Urbicarias*, l. *ultra Eccleſias ſuburbicarias*. p. 364. lin 10. *ſufficenter*, l. *ſufficienter*. p. 371. lin. 29. *Tum temporis*, l. *Tunc Temporis*. p. 383. lin. 14. *paſſit*, l. *poſſit*. p. 385. lin. 14. *ad curam*, l. *cura*. p. 389. lin. 6. *monothelisſmum*, l. *monothelitiſmum*. Ibid. lin. 13. *in Principes*. l. *Principibus*. p. 395. lin. 9, *potius eſt*, l. *potitus eſt*. p. 413. lin. 32. *opere*, l. *opera*. p. 415. lin. 30. *exiſtimat*, l. *exiſtimâſſet*. p. 443. lin. 21. *ſufficiat*, l. *ſufficiant*. p. 445. lin. 7. *ſupponantur*, l. *ſupponuntur*. Ibid. *ſecutura*, l. *ſecuturo*.

CAP.

Caput Primum.

DE

THEOLOGIA.

THEOLOGIA eſt Doctrina de Deo rebuſq; divinis, partim naturæ ipſius lumine nobis innoteſcens, plenius autem & explicatius in S. Scripturis revelata.

Quod *Theologia* denominationem ſuam à Deo accipit extrà dubium eſt, ſive ità appelletur quod ſit Sermo Dei de ſe-ipſo (ut Junius Theol. c. 1.) ſive quià λογίων Θεοῦ γνῶσις, Oraculorum divinorum cognitio, Rom. 3. 2. (ut quidam alii aſſerunt.) Ad Rationem enim nominis ſatis eſt quod ſit λόγος περὶ τοῦ Θεοῦ, ἢ περὶ τῶν θείων, Doctrina de Deo rebuſq; divinis. *Vox.*

De communi notione, ſive *Genere* illius, aliter atq; aliter ſentiunt Scholaſtici. Aquinas, & qui eum ſequuntur, ſtatuunt *Theologiam* definiri *Scientiam.* Alii ſententiam hanc rejiciunt, quia *Theologia* eſt *Doctrina fidei*, Joh. 20. 31. Rom. 10. 8. cujus certitudo eſt ex Revelatione; certitudo Scientiæ ex internis principiis. Quod credimus debemus authoritati, quod intelligimus *Rationi*, Auguſt. l. 2. de ordine c. 5. Alii ergo illam dici volunt *Sapientiam*, utpote Cognitionum omnium præſtantiſſimam: & ſingula *Sapientiæ* encomia *Theologiæ* convenire, & jure optimo, tribui oſtendunt. *Genus.*

In varias etiam partes diſtrahuntur Scholaſtici, de *Qualitate* illius, ſive *Scientiæ* ſive *Sapientiæ*, contendentes. Scotus enim vult eam eſſe *Practicam*, Marſilius *Speculativam*; Bonavent. *Affectivam*; Gotofred. *Speculativam* & *Practicam* ſimul; itâ etiam Aquinas, ſed magis *ſpeculativam*. Richardus de Mediâ Villâ, magis *practicam*. Quæ quidem altercatio inutilis hoc loco, & prorſus incongrua videatur, quoniam *Theologia* non hic conſideratur quâ habitus in mente poſitus, ſed quâ veritatum divinarum formula; idq; Spiritu S. duce Joh. 7. 16. Mea *Doctrina* non eſt mea, ſed illius qui miſit me, 1 Tim. 4. 6. Enutritus verbo fidei & Doctrinâ quam aſſecutus es.

Differ. Ab aliis Doctrinis differt, tum quoad *Fontem*, tum quoad *Objectum*.

Fons Theologiæ (unde in ſuper-allatâ definitione petitur illius *Differentia*) eſt *S. Scriptura*; de quâ capite ſequente.

Object. *Objectum* Theologiæ eſt Deus, cui ſingula Theologiæ capita referuntur.

Aquinas cum Aſſeclis docet *Objectum* Theologiæ eſſe Deum quâ Deus eſt, ſive ſub ratione Deitatis ſolummodo. Sacra autem Scriptura Deum itâ nobis proponit, ut oſtendat etiam quæ ſint illius erga nos Beneficia, quemq; viciſſim à nobis cultum exigit. Ex. gr. quum dictat Tres eſſe in Deo, Patrem, Filium, & Sp. Sanctum, ſcopus ejus non eſt ſimpliciter hanc veritatem aſſerere; ſed inde nos clariùs & uberiùs inſtituere & erudire de modo Redemptionis & Salutis noſtræ, quæ per *Filium* parta eſt, & per Sp. Sanctum applicatur & obſignatur; quæ notiones Dei non excluduntur, ſed comprehenduntur in definitione præmiſſâ.

Diviſ. *Diſtinctio* Theologiæ communiſſima eſt in *Falſam* & *Veram*.

Falſa complectitur falſas de Deo rebuſq; divinis opiniones, mentibus hominum divinâ Revelatione

tione deſtitutorum, ortas; de quibus Aug. de Civ. Dei, l. 6, 7, 8, 9, Euſeb. de præpar. Evang. Cœl. Rodig. l. 1. Lect. Antiq. c. 35. l. 5. c. 42.

Vera, quæ ratione *Subjecti* eſt, vel

Archetypa qua Deus ſe-ipſum novit, & extrà ſe omnia per ſe-ipſum, actu Scientiæ individuo & immutabili.

Ectypa, ex priore quaſi expreſſa & formata eſt per gratioſam communicationem; eſtq; vel 1. in *Christo*, ſcil. *Habitualis* Sapientia, perfectiſſimam Dei & rerum divinarum cognitionem complectens. interdum vocatur Theologia *Unionis*. 2. In *Creaturis Rationalibus*; eſtq; vel *Comprehenſorum* vel *Viatorum*.

1. *Comprehenſorum*, nempe *Angelorum*, qui ſemper vident *faciem Patris*, Mat. 18. 10. & *Beatorum hominum*, qui Deum à facie ad faciem videre dicuntur, 1 Cor. 13. 12. 2 Cor. 5. 7. 1 Joh. 3. 2. Nonnunquam etiam vocatur Theologia *Viſionis*. 2. *Viatorum*, ſeu *Viæ*; quæ duplex eſt, *Naturalis* vel *Revelata*, ſtrictè ſic dicta. *Naturalis* nititur principiis lumine Naturæ notis: verſatur enim circa illud γνωστὸν Θεοῦ Gentilium, de quo Apoſt. Rom. 1. 19. & 2. 14.

Hæc licet non formaliter inſcripta ſit recens natorum cordibus, virtualiter tamen innata eſt: ita ut quamprimum ſimplices rerum notiones (quales ſunt Deus, Creatura, Cultus, honor, Parentes, Injuria, &c.) probè intellectæ & contemplatæ fuerint, quiſq; pro captu & menſurâ ingenii ſui, aptus natus eſt notiones complexas (quas κοινὰς ἐννοίας vocant) agnoſcere, notiones ſcil. complexas & communes; *v. gr.* Deus eſt colendus; Parentes honorandi, Proximus non eſt injuriâ afficiendus, &c. & ex iis ſimul cum Creaturarum contemplatione poteſt, tùm de rebus quæ vitam ſæcularem, tùm de quibuſdam quæ Religionem in Deum ſpectant, ſine præceptore, ulterius ratiocinari, Act.

 17. 27.

17. 27. ut quærerent Deum, ſi fortè palpando attingerent & invenirent. *Hæc* nonnunquàm Theogia *Revelata* vocatur, Revelatione ſenſu generaliori acceptâ, ut in textu nuperrimè citato. Manifeſtum eſt, in eis; Deus enim illis *revelavit.* Sæpius autem opponitur *Revelatæ* ſtrictiori ſenſu ſic dictæ, ità Aug. l. 8. de Civ. Dei, c. 1. Theogiam dividit in *Naturalem* & *Revelatam.*

Revelata Theologia communiter ſic dicta eſt, quæ principiis externis, in Scripturis patefactis, innititur. Nihilominùs eo modo ſumenda eſt hæc diſtinctio, ut *Revelata Naturalem* non excludat ſed includat, ſicut numerus major minorem. Et hæc eſt Theologia, quam, cum bono Deo, nunc delineandam aliquouſq;, & declarandam ſuſcepimus.

Dignitas Theologiæ. *Scientiarum humanarum Formulas* ipſâ certitudine ſuperat, eo quod illæ ratione humanâ fulciuntur, quæ fallibilis eſt; Hæc veritate Dei, quæ infallibilis, & hoc quod diximus, etiam de certitudine *Subjecti* accipiendum eſſe innuit Le Blank, Theſi de Theolog. quippe quæ Deus revelavit non tantùm ſunt in ſe certiſſima, ſed quicunq; Fide (quæ *Revelatione* acquieſcit) roboratur, certiùs & firmiùs ſuaſus eſt de veritatibus divinis, quam de re ullâ generis alterius, licet omnes fidem illam non æqualitèr participent, & unuſquiſq; in uno firmior, in alio minùs firmus ſit.

Sapientiam paritèr hujus ſæculi conſummatiſſimam quam maximè ſuperat; Myſteria enim aperuit longè difficillima, varios errores & pernicioſos detexit; ut de Origine Mundi, de Providentiâ, de Immortalitate, *&c.* imò Sapientia Dei vocatur ab Apoſt. quam nemo principum hujus ſæculi cognovit, 1 Cor. 2. 8.

CAPUT II.

Caput II. Sectio Prima.

S. Scriptura eſt [a] Verbum Dei [b] mandato & inſtinctu divino per Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas conſcriptum, [c] ut ſit tum Fidei tum Morum Salutaris regula.

[a] 1 *Theſſ.* 2. 13. Acceptum à Deo Sermonem quem audiſtis, à nobis exceperitis, non ut ſermonem hominum, ſed (ſicut eſt vere) ut Dei Sermonem.

[b] 2 *Tim.* 3. 10. Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, 2 *Pet.* 1. 21. Non enim libitu hominum allata eſt Prophetia, ſed acti à Sp. ſancto locuti ſunt Dei homines.

[c] 2 *Tim.* 3. 16, 17. Utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitiâ, ut perfectus ſit homo Dei, *&c.* *Rom.* 15. 4. Quæ autem ſcripta fuerunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. *Iſa.* 8. 20. Legem & Teſtimonium conſulunto.

Hic brevem fieri oportet inquiſitionem de Scripturarum Canone, Authoritate, Perfectione, Controverſiarum Judice, Editione Authentica, Verſione, & Perſpicuitate.

De Canone Scripturarum.

S. Scripturarum Libri dicuntur *Canonici*, à κανὼν Regula, eo quod Regula immota ſunt Fidei & Morum.

Eſt autem Canon vel Dogmatum, qui Doctrinas, vel Librorum, qui libros ipſos continet in Canonem relatos! Idq; vel à Deo, & Canon Divinus dicitur, eo quod Libros non niſi divinitùs inſpiratos continet; vel ab Eccleſiâ, eſtq; Canon ſive Catalogus Librorum quos Eccleſia in *Cœtibus* ſuis publicis utiles lectu judicavit: Undè Hiſtoriolæ quæ *Paſſiones Martyrum* commemorant dicuntur

cuntur Canon Legendarum, *i. e.* Catalogus ab Autoritate Eccleſiæ Romanæ firmatus, & conſtitutiones Eccleſiaſticæ Canones appellantur. Eccleſia autem non propriè refert Librum aliquem ſacrum in Canonem Divinum, ſed Libros à Deo in Canonem relatos teſtatur & declarat.

Quæſt. *Num in eum finem data ſint Scripturæ ut ſint Regula fidei, an tantùm in commemorationem eorum quæ ab Apoſt. aliiſq; tradita ſunt, eamq; imperfectam?*
Reſp. Priùs negat *Bellarm.* l. 4. c. 2. de
Gal. 6. 16. Verbo Dei; idq; ut Verbum Eccleſiæ ſupra *Ver-*
2 Pet. 1. 19. *bum Dei* erigeret. Affirmant Reformati, quia
Joh. 20. 31.
2 Tim. 3. 17. Regula diſertè vocantnr. Et Lux ſplendens in
Iſa. 8. 20. obſcuro loco, ad quam ut attendamus oportet, &
Joh. 5. 39. in eum finem data eſt *Scriptura*, ut credamus, &
Act. 17. 11. ut homo Dei perfectus ſit. Laudantur *Beronenſes* quod Scripturas ſcrutabantur, *&c.*

Nec obſtat quod Scripturæ non formantur ad modum nudæ Regulæ, aut quod in iis multa certis occaſionibus per Epiſtolas traduntur, & quod Hiſtoriæ, Allegoriæ, Hortationes, *&c.* admiſceantur; Spiritus enim ſanctus non ad humanæ ſapientiæ methodum allegatur.

Quinam

Quinam Libri habendi ſunt pro *Canonicis?* quinam pro *Apocryphis?*

Canonici in vet. Teſtam. ſunt, 38.

5 Moſis { Gen. Exod. Levit. Num. Deu.	1 Proverbiorum
1 Joſuæ	1 Eccleſiaſtis
1 Judicum	1 Canticorum
1 Ruth	4 Majorum Prophet. { Iſa. Jer. & Lam. Ezek. Danielis.
2 Samuelis	12 Minorum Prophet. Hoſeæ, Joel, Amos, Obad. Jonæ, Michæ, Nahum, Habackuck, Zephaniæ, Haggai, Zechariæ, Malachi.
2 Regum	
2 Paralipomenων	
1 Eſdræ	
1 Nehemiæ	
1 Eſther	
1 Job	
1 Pſalmorum	

Canonici in Novo, 27.

4 Evangeliſtarum { Matth. Marc. Lucæ, Johan.		Timoth.	2
1 Actorum Apoſtolorum.		Titum	1
14 Epiſtolæ Pauli ad Romanos	1	Philem.	1
Corinth.	2	Hebræos	1
Galat.	1	1 Jacobi	
Epheſ.	1	2 Petri	
Philip.	1	3 Johannis	
Coloſſ.	1	1 Judæ	
Theſſal.	2	1 Apocal.	

Judæi numerabant Libros vet. Teſtam. 22 pro numero literarum Alphabeti: Hieronymus 24: Nullo tamen Scripturæ incommodo, ſiquidem plures Libri quandoq; pro uno numerabantur.

Quidam Libros vet. Teſtam. dividunt in Legem, Prophetas, & Pſalmos, alii in Legem, Prophetas, & Hagiographa.

Quidam Libri ab Eccleſiâ in Canonem ſuum Eccleſiaſticum relati, dicti ſunt Apocryphi, i. Occulti; quia eorum Autoritas obſcura eſt & incerta, ſcil. non modo tertius & quartus Eſdræ, tertius & quartus Macchabæorum, Oratio Manaſſis, qui à Pontificiis etiam rejiciuntur; ſed & Tobit, Judith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, primus & ſecundus Macchabæorum, Additamenta Eſtheræ & Danieli. Nam

1. Eccleſia Judaica, cui commiſſa fuerunt Eloquia Dei, *Rom.* 3. 2. eos nunquam habuit pro Canonicis, *Joſeph.* l. 1. contra Appionem.

2. Eccleſia Chriſtiana per 400 Annos Libros retronominatos, & non alios nobiſcum agnovit pro Canonicis. Concil. Laod. *c.* 59. Hieron. in Prolog. Galeat. Athanaſ. Synopſi, *&c.*

Poſt Malachiam ſcripti erant Libri Apocryphi: Ille autem Prophetiam clauſit expectatione Baptiſtæ ſtatim venturi; nec Lingua Hebræa ſcripti ſed Græca: Multa etiam abſurda, frivola, falſa, & contradictoria in illis occurrunt. Qui de hoc Argumento plura velit, conſulat Rainoldum, Chamierum, Crocii Antibecanum Tom. 1. alioſq; In quibuſdam Eccleſiis dubitatum fuit, per aliquod tempus de Authentiâ Epiſtolæ Jacobi, ſecundæ Petri, ſecundæ & tertiæ Johannis, & Apocalyp. multo autem plures ab initio, & paulatim deinceps omnes Libros iſtos receperunt.

Sectio II. *De Scripturarum Authoritate.*

NUM *S. Scriptura ſit Authentica? Sive num Divina ſit vet. & Nov. Teſtam. Authoritas?* Quæſt.

Authentia in hac Quæſtione eſt dignitas propter quam fides S. Scripturis ſit habenda, & cujus fundamentum eſt eorum divina *Authoritas.* *Reſp.*

Αυθεντίαν Hiſtoriæ habent, quæ merè narrantur, ſive benè ſive malè facta fuerint.

Ἀυθεντίαν Normæ habent, quæ pro Norma fidei & morum traduntur.

Certitudo de Divina Authoritate Scripturæ.

1. Non eſt *Mathematica*, aliàs enim aſſenſus quem pareret, eſſet *Scientia* non *Fides.*

2. Nec merè *Moralis*, quæ cernitur in rebus, quæ, licet demonſtrari non poſſint, ex argumentis tamen & indiciis iſtiuſmodi, notæ ſunt de quibus vir prudens dubitare nequit, ut fuiſſe *Julium Cæſarem*, aut *Alexandrum Magnum*: aliàs enim noſtra de rebus ſacris certitudo incertior eſſet quolibet Aſſenſu Hiſtorico.

3. Sed eſt *Theologica*, quæ fiduciam, ſive aſſenſum firmiorem parit, ob notas Divinitatis à Spiritu Sancto ipſis *Scripturis* impreſſas, quæ in *Scripta Humana* non cadunt; Quales ſunt

Prædictionum & *Prophetiarum* veritas, & neſcia fuci, adimpletio.

Miraculorum ad fidem faciendam indubitabilis Atteſtatio, cui etiam conducunt.

Myſteriorum Sublimitas, Præceptorum ſanctitas, ipſius Styli ſimplicitas & Majeſtas.

Mirabilis S. Opuſculorum, variis tum locis, tum temporibus prodeuntium de rebus iiſdem *conſenſus* & *harmonia*, ipſorumq; Scriptorum

ptorum ſummus in ſcribendo candor & judicando ſolertia, unde nec eos deceptos fuiſſe, nec voluiſſe alios decipere, cum ratione judicare poſſumus.

1. Non ipſi decepti fuerunt, utpote qui non de rebus incerto rumore receptis ſcripſerunt, aut de remotis, ſed de factis in ſenſus incurrentibus; ut de Reſurrectione Chriſti, illiusq; Aſcenſione, de ſtupendâ Sp. Sancti effuſione, aliiſq; totius fidei Chriſtianæ pariter & Scripturæ veritatem infallibiliter comprobantibus; de quibus Apoſtol. 1 Joh. 1. 1. Quæ oculis viderunt, ipſi audiverunt, & manibus contractârunt, *&c.* illa eadem annunciârunt.

2. Non alios decipere voluiſſe cenſendi ſunt: Nam nè quidem hilum alicujus Boni è mendacio ſuo reportaturi erant; contra autem probè nôrunt, inopiam, ſupplicia, multiplices vitæ infœlicitates, & peractâ vitâ, perennem infamiam, & æternos cruciatus in fraudis pœnam ſe ſubituros. Nec alios innumeros ſummâ ſapientiâ & ſolertiâ inſtructos decipere potuerant: Non enim res annunciârunt, quæ vel priſcis temporibus, vel in angulo, remotis arbitris, geſtæ fuerunt, ſed quæ contigerunt audientibus & ſpectantibus adverſariis, qui facilè impoſturam (ſi qua fuiſſet) detexiſſe potuiſſent.

Obj. Non conſtat illos quorum nomina Libri ſacri præferunt eorum Authores reverà fuiſſe, ergò forſan ſunt ſuppoſititii.

Sol. Ab antiquiſſimis Scriptoribus Chriſtianis *Juſt. Martyr. Clem. Alexand. Origene, Cypriano*, aliiſq; Libros ſacros, ſub iiſdem nominibus, quæ hodiè præ ſe ferunt, citatos legimus. Imò Tertul. ſæculo ſuperfuerunt Apoſtolorum Archetypa.

Tert. per Script. adverſus Hæreticos.

Si qui ſuſpecti fuerunt, ejuſmodi ſunt, qui nullum peculiare dogma continent, quod alii non tradunt.

dunt. Hoc inſuper agnovit *Julianus* Chriſtiano nomini infeſtiſſimus, teſte *Cypriano.*

Locis forſan quàm plurimis fuerunt depravati. *Obj*

Statim atq; conſcripti erant, & viventibus adhùc Authoribus, in varias Regiones ſunt delati, in linguas cujuſq; gentis vernaculas converſi, & ſi quis in Partium favorem illos adulterare aggreſſus fuiſſet, fraus iſta facilè deprehenſa fuiſſet. *Sol.*

Parvi admodum habenda eſt Lectionum quarundam varietas, ſive ex *Scribarum Oſcitantiâ*, ſive *Ignorantiâ*; nam ut plurimum, vix aut nè vix refert, num textus illos in quibus occurrunt, hoc vel illo modo legas, adde quod *Providentia* Divina, quæ tam benignè nobis proſpexit de omnibus ad vitam præſentem ſpectantibus, non in iis nobis deeſſet unde ſalus æterna aut damnatio dependeat.

Occurrunt quædam incredibilia, de Solis *Statione*, Umbræ in horologio retrogradatione, Aſino dominum reprehendente, de Metamorphoſi mulieris in Statuam Salis, *&c.* *Obj. Prid. Faſcic.*

Naturæ potentiam excedunt hæc, non omnipotentem Dei virtutem. *Sol.*

Injunguntur quædam Naturæ abominanda, & indigna Deo, ſcil. ut Pater propriis manibus Filium immolaret, ut Propheta duceret fornicariam, *&c.* *Obj.*

Voluit Deus fidem Patris exploratam eſſe, non filium innocentem trucidari, nec Prophetæ injungebatur ut meretricem conſtupraret; ſed ut Iſraeli Spuriam ſuam *Idololatriam* ſub hujuſmodi *Allegoriâ* repræſentaret, nec conſtat an Viſione ſolummodo hoc factum fuit. *Sol.*

Novum Teſt. vetus exauctorat. Apoſt. enim Legalia appellat infirma & egena Elementa, *Gal.* 4. 9. ergò utrumq; non eſt à Deo. *Obj.*

Non aliud docuit Apoſt. quam docuerunt *Moſes* & *Prophetæ*, Act. 24. 14. *Sol.* 1.

Si

2. Si quæ in *N.Teſt.* citantur non iis reſpondent quæ traduntur in veteri quoad verba, ſenſum tamen & ſcopum fideliter exhibent.

3. *Apoſt.* dicit *Ritualia* eſſe *infirma* & *egena*, ſeorſum conſiderata, ſive ad Chriſtum non relata, neque dicit ulla moralia eſſe infirma.

Obj. Multa occurrunt contradictoria, tùm in *V.* tùm in *Novo Teſtam. Judæi* dicuntur cœci, Rom. 11. 25. Non cœci Joh. 9. 41. *Ipſe eſt Elias ille. Matth.* 11. 14. *Elias* es tu? & dixit non ſum, Joh. 1. 21. Sic luceat Lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, Matth. 5. 16. Nè eleemoſynam veſtram præſtetis corám hominibus, Matth. 6. 1.

Sol. Sunt tantùm ἐναντιοφανῆ, & videntur ſibi invicem contradicere, ut pateat ex conciliatoribus Sharpio, Tirini Annot. aliiſq;.

Obj. Scriptores non erant in omnibus *Sp. Sancti Amanuenſes:* reperiuntur enim *quædam* merè *humana*; ut *reliqui Troade pallium*; *mitte pergamena*; *bibe paululum vini*, &c.

Sol. Quamvis iſtiuſmodi ſcripta non opus habeant Revelatione extraordinariâ, non ſequitur eadem per inſtinctum *Sp. Sancti* non ſcripta fuiſſe; utcunq; enim res *ipſæ* non ſunt *divinæ*, *finis* tamen ob quem ſcripta ſunt *divinus erat*, & *Ædificationi* inſervire poterant; utpote iſtarum rerum cura *habenda erat.*

Obj. Prophetæ & Apoſtoli agnoſcunt ſe interdum locutos ex proprio ingenio, non ex Sp. Sancti inſtinctu; 2 Sam. 7. 3. Nathan Davidi ait, *quicquid eſt in animo tuo fac*, *nam Deus tècum eſt*; Nocte verò ſequente contrarium à Deo in mandatis habuit, & 1 Cor. 7. 12. reliquum *ego dico*, *non Dominus*; item v. 25. *Præceptum Domini non habeo*, *ſed conſilium do.*

Sol. Quando locuti ſunt in nomine Dei, acti ſunt per Sp. Dei, 2 Tim. 3. 16. 2 Pet. 1. 21.

1. Acti à Spiritu Sancto locuti ſunt Sancti illi homines, ex ipſis lapſibus eorum à ſeipſis vulgatis apparet,

apparet, *Donum prophetiæ non ex natura eſſe*, ſed *Gratiâ*, 2 Reg. 4. 27. *Deus non revelavit illud mihi.*

2. Apoſt. non diſertis verbis præceptum habuit de novâ iſtâ Eccleſiæ neceſſitate; ſancti autem Spiritûs aſſiſtentiam habuit (ut ſequentia innuunt) *ſcribo tanquàm is qui miſericordiam conſecutus eſt à Domino ut fidelis eſſet.*

Quædam per Apoſt. inſtituta poſteà per Authoritatem Eccleſiæ mutata fuerunt; ut præceptum de *abſtinendo à ſuffocatis & ſanguine.* *Obj.*

Ceſſante cauſâ Præcepti, ceſſat illius Obligatio, cauſa præcepti erat vitatio ſcandali adverſus Judæos. Interdum ceſſante conſuetudine, ut in præcepto de viro prophetante aperto capite, 1 Cor. 11. 4. *Sol.*

Nùm Authoritas Scripturæ pendeat ab Authoritate Eccleſiæ? Quæſt.

Aſſerunt *Pontificii.* Qui autèm inter eos cautiùs loquuntur dicunt Scripturam in ſe eſſe *divinam*, ſed *quoad nos* pendere *ab authoritate Eccleſiæ*: per Eccleſiam interim non intelligunt *univerſalem* aut *primitivam*, ſed *Pontificiam hodiernam*, *quæ tandèm* reſolvitur in *Pontificem*, *quem* errare non poſſe nos inficiamur. *Reſp.*

Nullus *Cœtus* tot & tàm illuſtres notas & argumenta ſuæ habet authoritatis, quàm Scriptura ſuæ Divinitatis: imò teſtimonium ipſorum Apoſtolorum minùs certum fuit quam teſtimonium Scripturæ, 2 Pet. 1. 19.

1. Eccleſiæ Doctores utuntur Scripturæ teſtimonio ad autoritatem doctrinæ ſuæ conciliandam; ergo majoris authoritatis eſt apud fideles *quàm Paſtorum authoritas.*

2. Multos annos Scriptura innotuit & recepta fuit ut Canon fidei ſine ſolenni Eccleſiæ judicio. Primum enim *Concilium* quo Librorum Canonicorum numerus recenſitus fuit in Eccleſiâ Chriſtianâ erat Laodicenum poſt annum 300um & tantùm

particulare

particulare erat non generale, anteà verò Canon certus erat.

3. Neq; fundamentum fidei erat *Traditio*; nàm ipſi *Pontificii* volunt *Traditionem* dubiam eſſe, antequàm *Publico Eccleſiæ Judicio* probata fuerit.

4. Libri Prophetici autoritatem habuerunt antequàm Sacerdotes eos eſſe divinos declarârunt; Jer. 8. & increpatur *Jehoiakim* à *Jeremiâ*, *quod Prophetiam* illius rejeciſſet, etiamſi Sacerdotes in eum inſurrexerant.

5. Eodem modo duci poſſunt fideles in agnitionem divinæ authoritatis Scripturarum, quo Eccleſiæ Doctores, aut ipſe Pontifex, nempe conſideratione & examinatione Librorum, & Argumentorum, quæ in hâc lite ultrò citróq; agitari ſolent.

Obj. Ignorantes ducuntur authoritate Eccleſiæ (in Synodis & in prædicatione verbi) ad authoritatem Scripturæ agnoſcendam: ergò major eſt autoritas Eccleſiæ, ſaltèm quoad nos.

Sol. Priora & potiora ſunt Teſtimonia quibus Divinitas Scripturæ innoteſcat quam autoritas Eccleſiæ, Notæ ſcil. quas Deus in Scripturas impreſſit: quod quidem Teſtimonium, utpote divinum, omni humano eſt præferendum: Ipſa etiam Eccleſia eo ùtitur ad fidem ſuo Teſtimonio faciendam; quales ſunt, *Sublimitas materiæ*, Scriptorum ſinceritas, *Prophetiarum adimpletio*, *Miracula*, *Sp. Sancti Effuſio*, *ejuſq; Conſignatio*, &c.

Juſt. Nemo videt notas iſtas niſi ab Eccleſiâ monſtratas.

Sol. 1. Solis radii videntur, etiamſi tales eſſe non teſtentur alii.

2. Detur etiam (quod tamen verum non eſt) Teſtimonium Eccleſiæ neceſſarium eſſe, Edictorum tamen Civilium autoritas non pendet à præconibus per quos nobis publicantur & innoteſcunt.

Obj. Per quod Dei verbo creditur ab eo pendet verbi autoritas quoad nos; ſed per Eccleſiam verbo Dei creditur,

creditur, Rom. 10. 14. quommodò crederent niſi prædicetur?

Per ibi ſumitur pro cauſâ inſtrumentali ſolummodò, non Principali; nec inde colligi poteſt *Autoritas* ſed *Miniſterium*, alias Scripturæ autoritas penderet à ſingulorum Paſtorum autoritate, quià per eos alii credunt; nec non *per* & *propter* alia argumenta credimus. *Sol.*

Non crederem Evangelio (ait Auguſt.) niſi me moveret *authoritas Eccleſiæ.* *Obj.*

Potiùs (*niſi me moviſſet*) loquitur enim de ſe in *Manichaiſmo*, & *phraſi Afris uſitatiſſima*, qui ponunt *Imperfectum* pro *Pluſquamperfecto.* *Sol.* 1.

Inſtrumentalis cauſa hic indicatur, non *Principalis*: vox enim hæc *Autoritas* quodvis *Teſtimonium* notat; ut vel per *Logicam dicimus*, ubi *Argumentum à Teſtimonio* vocatur *Argumentum ab Autoritate.* Mulieris teſtimonio adducti erant reliqui Samaritani; Chriſti autem Autoritas non ideò ab eâ dependebat; ſed inſtrumentum erat, & teſtimonium dedit, undè motiva externa erat ad fidem, non indubitatum aut manifeſtum credendi principium; ſed Pontificii autoritatem Eccleſiæ obtrudunt, ac ſi eſſet juris & imperii, licet Auguſt. eodem Libro contrà Funda. agnoſcit veritatem omnibus eſſe præferendam, ſi tam perfectè monſtretur ut in dubium vocari non poſſit. 2.

Eccleſia antiquior eſt Scripturâ, ergo exſtitit antequam patefieri potuit per Scripturam. *Obj.*

Eccleſia antiquior eſt quoad modum patefactionis per Scriptionem, non reſpectu Scripturæ materialiter ſpectatæ i. Doctinæ; nec quæritur de Eccleſiâ Patriarcharum, ſed de Teſtimonio hodiernæ. *Sol.*

Eccleſia notior eſt Scripturâ, ideóq; Scriptura quærenda eſt & audienda in Eccleſiâ. *Obj.*

Confuſa cognitio Eccleſiæ præcedere poteſt cognitionem Scripturæ, ſed non diſtincta; quia veritas illius non niſi ex Scripturâ deprehendi poteſt. *Sol.*

Unde

Quæſt. *Unde eſt, quod Autoritas Eccleſiæ antiquæ præferenda ſit Autoritati hodiernæ?*

Reſp. Miracula Chriſti & alia miſſionis divinæ ſigna vel ab antiquâ Eccleſiâ viſa fuerunt vel à primis ſuis ſucceſſoribus communicata, adeò ut uno vel altero currente ſæculo mentes hominum non fugiant, multis autèm ſæculis imminuuntur, & ipſa *Veritas* inſuper fraudis fuco paulatim obducta transformatur, & tandèm evaneſcit.

Quæſt. *Num Proteſtantes quidam ſolidè ſtatuunt Teſtimonium Spiritus ultimum illud eſſe in quod Fides noſtra de rebus Scripturâ contentis reſolvenda ſit?* ex. gr. Confeſſio Proteſtantium Gallican. art. 5. dicit nos cognoſcere Libros Scripturæ canonicos eſſe, non tàm communi *Eccleſiæ conſenſu*, quàm teſtimonio & internâ perſuaſione Spiritûs.

Reſp. Etiamſi quidam minus apertè (forſan haud ſatis cautè) hâc in re locuti ſunt, malè tamèn Pontificii *Teſtimonium* illud aut prorſùs rejiciunt, *aut Teſtimonium Eccleſiæ*, imò ſuæ ſolius, idq; hodiernæ, & tandem unius Pontificis illi præferunt. Nam dari Teſtimonium Spiritûs patet, tum ex *Reſolutione fidei*, *quæ* (quoniam aſſenſus eſt ob teſtimonium loquentis) *non divina eſſet*, *niſi teſtimonio divino* inniteretur, *tùm ex Reſolutione & certitudine Rationis*, quæ fundatur in Argumentis divinam Scripturarum Authoritatem credibilem & certam reddentibus; quià fides non eſt aſſenſus cœcus, & qui nullam ſui ipſius rationem habet. Scil. Proteſtantes illi per teſtimonium Spiritûs intelligunt Divinitatis notas, quæ per Sp. Sanctum Scripturis imprimuntur: quales ſunt, *Certa Prædictionum adimpletio*, *Scriptorum Sanctitas*, *Myſteriorum ſublimitas*, *Styli majeſtas*, &c. Quod quidèm Spiritûs Teſtimonium habet, quodammodò naturam Argumenti artificialis & non ſolum fidelem ipſum ad

fidem

fidem inducit, & certum reddit, ſed & *Aliis* per modum argumentationis proferri poteſt.

2. Datur etiam quandoq; Operatio quædam Spiritûs Sancti interna, quæ dici poteſt Teſtimonium reſpectu noſtri: eſtq; cauſa ſeu principium mentem ità diſponens & afficiens, ut magis ſeriò κριτήρια reſpiciat & advertat, & de iis certiùs judicet, & hanc opem Spiritûs *David* imploravit, *Pſ.* 119. 18. *Aperi oculos meos ut intuear mirabilia Legis tuæ.*

Hinc Spiritus Sanctus teſtatur divinam Scripturarum autoritatem, tùm per modum Argumenti à *Criteriis* divinitatis adducti, tùm per modum Efficientis; & quamvis Hæretici, Mahumetani, & quotquot dicto Teſtimonio prorſùs deſtituti ſunt, aſſenſum & fidem humanam de Scripturarum divinâ autoritate poſſint aſſequi, non tamen fidem vivam & ſalutarem abſq; S. Spiritûs ope, 1 *Cor.* 2. 14. *Homo animalis non capit quæ ſunt Spiritûs Dei:* &, 12. 3. *Nemo dicere poteſt Jeſum eſſe Dominum niſi per Spiritum Dei.*

Per doctrinam hanc de Teſtimonio Spiritûs ſtabiliretur *Enthuſiaſmus.* *Obj.*

Non, quia Teſtimon. hoc non alia inſinuat quàm quæ verbo Scripto nobis traduntur, & quæ Intellectus ex notis divinitùs impreſſis priùs judicavit eſſe credibilia. *Sol.*

Tùm omnes qui Teſtimonio illo fruuntur conſentirent in iiſdem ſingulis partibus Script. recipiendis. *Obj.*

Operatio Sp. Sancti non eadem menſurâ fidelibus communicatur, undè inter eos poteſt eſſe & dubitatio, & ſententia diſcors de hoc vel illo Libro, & Religionis dogmate. *Sol.*

Indè autem ſequeretur quod quiſq; fidelis Spiritu privato duceretur. *Obj.*

Aliud eſt Spiritûs Judicium quod commune eſt toti Eccleſiæ, nec alitèr privatum eſt, niſi quate- *Sol.*

nùs aliquo ſingulari ſubjecto ineſt; aliud quod ab arbitrio cujuſdam privati ſolummodo colligitur.

Obj. Probare Scripturam per Scripturam eſt probare idem per idem.

Sol. In Scripturâ deprehenduntur notæ ſeu *Criteria* quæ in ſcripta hominum non cadunt: Et hæ notæ ſeu *Criteria* ſunt, quid contra diſtinctum Scripturæ, ut ſunt adjuncta ſeu proprietates à ſubjecto, Non æquè ignota, ſed nobis notiora: ſic Cauſa per Effecta, & Subjectum per Proprietates probari poteſt.

Obj. In circulo probatur Scriptura per Spiritum, & Spiritus per Scripturam.

Sol. Quidam Reformati reſpondent, ſe non in circulo argumentari, quià probant Scripturam per Spiritum tanquam per Cauſam Efficientem, cujus Virtute & Efficaciâ credimus: probant autem Spiritum ex Scripturâ tanquam ex Objecto & per modum argumenti propter quod credimus. Pontificii interim probant Scripturam per Eccleſiam, & Eccleſiam per Scripturam tanquam medium ejuſdem Generis.

Alii (etiam ex Reformatis) reſpondent. Teſtimonium Spiritûs Sancti in cordibus fidelium negari non poſſe, 1 *Joh.* 2. 20. *Unctio Sp. Sancti vos docet*, &c. atq; etiamſi non aptum ſit ad probandum *Aliis* Scripturæ divinitatem, (Infidelis enim non tenetur illi credere qui mero dicit ſe Spiritu doctum eſſe, ſed probare Spiritum iſtum) dignoſci tamen poſſe exiſtimant inhabitationem Spiritûs ab eo cui ineſt, 2 *Cor.* 13. 5.

Prioribus verò adhærendum eſſe tutiùs arbitror, quia textus hic Apoſt. de inhabitatione Sp. Sancti ſolummodò loquitur, quæ ſalutaris inhabitatio faciliùs dignoſci poteſt, quam hoc vel illud dogma illius inſtinctu teſtatum eſſe, niſi ex eo quod verbo ſcripto contineatur.

SEC-

Sectio III.

De Perfectione Scripturarum.

UTrum *Scripturæ contineant omnia ad Salutem neceſſaria?* Quæſt.

Hoc conſtat ex 2 *Tim.* 3. 16. *Scriptura ad omnia utilis, ut Homo Dei perfectus reddatur*, &c. Hominis Teſtamento nec addere nec demere fas eſt, *Gal.* 3. 15. Nedùm Scripturæ, *Gal.* 1. 8. Eſt enim Teſtamentum Chriſti. *Reſp.*

Scripturas eſſe divinitùs inſpiratas eſt Dogma neceſſarium ad ſalutem, quamvis autem hoc dicerent Scripturæ, fides iis non habenda eſſet de ſe ipſis teſtificantibus, ergò indè probari non poteſt. *Obj.*

Ex ipſis Scripturis hoc liquet, uti Librum *Ariſtotelis* aut *Ciceronis*, non ex ſolo titulo, ſed doctrinæ genio, ſtylo, differendi modo, *&c.* dignoſcimus. *Sol.* 1.

In hâc controverſiâ cùm Pontificiis, utrinq; datur, Scripturas eſſe divinitùs inſpiratas; inter eos ergò nobiſcum ſerra non eſt de hâc materia reciprocanda. Quæſtio eſt, Num ſupplendæ ſint ab aliquibus non ſcriptis Traditionibus de rebus quibuſdam ad ſalutem neceſſariis. De Traditionibus autem plura mox videbimus. 2.

Libros eſſe ſinceros & incorruptos non habemus ex Scripturis. *Obj.*

Non eſſe corruptos in neceſſariis, quin ad ſalutem ſufficiant, habemus ex Scripturis, 2 *Tim.* 3. 16. Uti ſuprà. An Libri aliqui in levioribus corrupti ſint, alius generis Argumentis certiùs judicare licet, quam ex Traditionibus Pontificiis, quas incorruptas ad nos perveniſſe ſcire nequimus. *Sol.*

Quod verus hic vel ille ſit Scripturæ ſenſus dignôſſe neceſſarium eſt; ſed hoc non liquet ex Scripturis. *Obj.*

Sol. Verum cujuſq; loci ſenſum nôſſe non eſt neceſſarium, ſed ex totâ Scripturâ de omnibus neceſſariis certa ſcientia poteſt erui; nec alio verbo Dei, aut infallibili opus eſt Interprete.

Obj. Dogma de proceſſione Sp. Sancti à Filio, eſt articulus Fidei, quem non invenimus in Scripturis.

Sol. Non eum Articulum profitemur, niſi ob argumenta è Scripturis ducta, ut ut Articulus ſit ad ſalutem vix neceſſarius.

Obj. Multa habuit Chriſtus dicere quæ non dixit, aut ſcripta ſunt, *Joh.* 16. 12.

Sol. Nempè de fructu Mortis & Reſurrectionis ſuæ, quæ poſtea Diſcipuli probè intellexerunt.

Obj. Multa fecit Chriſtus, quæ *ſi ſingula ſcriberentur, Mundus non caperet Libros ſcribendos.*

Sol. Non ſingula Chriſti facta, ſed Doctrinas ad ſalutem neceſſarias in Scripturis contineri dicimus: & multa docuit per Sp. ſanctum in Apoſt. poſteà effuſum & ſcribi curavit, quæ ad ſalutem erant neceſſaria.

Obj. 1 Cor. 11. 2. *Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis;* & 2 Theſſ. 2. 15. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam.*

Sol. Non hinc conſtat traditiones quas didicerant per Sermonem cùm præſens fuit, non fuiſſe cum aliis ab Apoſt. abſente per Epiſtolam communicatas.

Obj. Si Scriptura ſit perfecta, tum vel quilibet Liber (quod nemo unquam aſſeruit) vel totus Canon: non totus Canon quià Libri quidam perierunt.

Sol. 1. Quidam agnoſcunt quoſdam Libros periiſſe, (*Chryſoſt. Muſculus, Whitakerus,*&c.) nihil autem indè perfectioni Scripturæ defeciſſe, quià Canonis integritas non conſtat ex numero Librorum, ſed plenitudine dogmatum, quæ in Libris quæ ſuperſunt inveniuntur.
2. *Alii* nullos periiſſe arbitrantur,

tur, *Luc.* 24. 27. *Exorſus à* Moſe *& omnibus Prophetis interpretatur in omnibus*, &c. Omnium Prophetarum & omnium Scripturarum non mentionem feciſſet, nec *Paulus Rom.* 15. 4. Aſſeruiſſet *Quæcunq; in noſtram inſtitutionem ſcripta fuiſſe*, ſi Libri aliquot periiſſent.

Eccleſiæ Officium fuit Oracula iſta Dei ſibi commiſſa religiosè cuſtodire, & neq; Chriſtus, neq; Apoſtolorum ullus, Judæos hâc in re minùs fideles fuiſſe accusârunt. Quemadmodum non quicquid dixerunt Viri Dei fuit Canonicum, ità nec quicquid ſcripſerunt. *Solomon* varios Libros ſcripſit de Plantis, Parabolarum, Canticorum, 1 *Reg.* 4. 32. Non hinc ſequitur quod Canonici fuerunt. 3.

Libri qui dicuntur periiſſe, vel adhuc exſtant (ut quidam opinantur) ſub aliis nominibus, ut Libri *Nathanis* & *Gaddis* 1 *Chron.* 29. 29. & *Iddonis* 2 *Chron.* 9. 29. Fecerunt partem Librorum *Samuelis* & *Regum.* Liber *Jehovæ*, *Iſa.* 34. 16. Erat ipſa Prophetia quam ſcribebat nomine Domini. Liber *Jeremiæ* deflens mortem *Joſiæ* 2 *Chron.* 35. 25. In *Threnis* legitur Prophetia *Henochi*, *Judæ* 14. non dicitur ſcripta fuiſſe, nec in Canonem recepta, uti ex *Joſephi* & *Hieronymi* ſilentio colligitur, vel (ut alii cenſent) quidam eorum Libri fuerunt merè Hiſtorici & quaſi *Annales Politici.*

Adde, quod licet Legis Apographum, quod aſſervabatur in arcâ, flagrâſſet cum Templo, varia tamen Exemplaria apud Pios manere potuerunt, ex quibus Cultus Dei inſtauratus erat, *Eſdr.* 6. 18. *Nehem.* 8 2 Nec *Ezekiel*, *Jerem. Barachum* & Pios Sacerdotes illis caruiſſe haud veriſimile videtur, *Dan.* 9. 2.

Locus ex 4 *Eſdr.* 4. 23. De univerſali interitu Scripturarum refellitur ex alio Libro Pontificiis Canonico 1 *Maccab.* 2. 4. qui Arcam in quâ depoſitus erat Liber Legis, ſervatam dicit à *Jeremiâ* in Caveâ montis Nebo.

Eſdras potuit operam ponere in colligendis & corrigendis Exemplaribus: non opus erat Scripturas de novo Eccleſiæ tradere.

Obj. Evangelium *Matthæi* eſſe *Matthæi* non Scriptum eſt.

Sol. Hujus aut aliorum Autores Librorum nôſſe in ſpecie non eſt ad ſalutem neceſſarium. Vide *Paræi Præfation. in* Hoſæam. Vide etiam *Diſt. pag. prox. de Activè & Paſſivè traditis.* De Editione Evangelii *Matthæi*, vide §. 5. hujus C.

S. Scriptura Perfecta eſt & Sufficiens ad ſalutem abſq; Traditionibus.

Obj. Eccleſia uſq; ad *Moſen* traditione tantum nitebatur, & diu poſt Chriſtum N. Teſtamenti Scripturâ caruit, nec mandatum extat, ut aut Evangel. aut Apoſt. ſcriberent.

Sol. 1. Non quæritur de abſolutâ Scripturæ neceſſitate, ſed num (quando Deo placuit Eccleſiam inſtituere) Regula (ad quam tenebatur) Traditionum non Scriptarum ſupplemento indiguerit.

2. Invaluit *Traditio* ad *Moſen*; ſed ut poſt longævos Patriarchas certiori modo tranſmitterentur quæ cœlitùs tradita erant, eadem Deus ſcripta eſſe voluit, & ſicut Chriſtus & Apoſtoli ad Scripturarum, non ad Traditionum ſcrutamen *Judæos* alioſq; eorum ætate obligârunt, ità & nos ad ſcripta etiam Novi Teſt. ablegari oportet.

Obj. *Baſil.* de Sp. ſancto, c. 27. Eandem vim tribuit delatis Apoſtolicâ Traditione ac Scripturis. *Chryſoſt.* in 2*Theſſ.* 2. dicit, non omnia per Epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa ſine Literis, eâdem verò fide digna ſunt tam iſta quam illa.

Auguſt. de *Baptiſ.* contrà Donat. l. 4. c. 14. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis eſt conſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi Apoſtolicâ autoritate traditum rectiſſimè creditur.

Tradi-

Traditio ſumitur, vel { *Activè* pro *Actione Tradentis.* Sic Biblia ad nos pervenerunt per Traditionem Majorum. / *Paſſivè* pro *Doctrinâ traditâ*, ſive ore, ſive ſcripto, ſive utroq; modo. } *Sol.*

Lis omnis eſt, quouſq; admittenda ſit *Traditio* non ſcripta ad Dogmata fidei ſtabilienda.

Quæ inſuper *Traditio*, poteſt eſſe, vel

Hiſtorica, indicans Ritus, Diſciplinam, aut Conſuetudines Eccleſiaſticas.

Exegetica, explicans, quo ſenſu obſcuriora in Scripturis à Majoribus erant accepta.

Didactica, connectens quaſi hominum placita cum textu, ad ſupplendum defectum ejus.

In Articulis neceſſariis ad ſalutem, hanc ſolummodò averſamur, nec aliter intelligendi Patres, imò quandoq; fatetur *Bellarm.* ut de *V. T.* l. 4. c. 11. omnia ſcripta eſſe ab Apoſt. quæ ſunt ſimpliciter omnibus neceſſaria.

Sectio IV.

De Scripturarum Intrepretatione, & Controverſiarum Judice.

NUM *Scriptura ſive Deus in Scripturis loquens ſit ſummus & infallibilis Scripturarum Interpres, & Controverſiarum Judex, an Eccleſia aut Pontifex Romanus?* Quæſt.

Deus in Scripturis loquens eſt *Supremus* & *Infallibilis* earundem *Interpres & Controverſiarum Judex.* *Reſp.* 1.

Concilia & quicunq; præſunt in Eccleſiâ, ſunt Judices *Miniſteriales* & *Subalterni.*

3. Ipſa *Scriptura* Norma eſt juxta quam Judices *Miniſteriales* ſententiam ſuam formare & ferre tenentur. Quandoq; Judex normalis appellatur, minùs autem propriè: Non enim Legem ad partes litigantes applicat quod munus ad Judicem *Subalternum* ſpectat.

4. Quilibet Fidelis privatus ex applicatione rei controverſæ ad Normam indè (quantum ad ſalutem ſuam neceſſarium eſt) colligere poteſt, ac debet ſecumq; ſtatuere quid à ſe credendum vel faciendum eſt.

5. Nullus in terris ſperandus eſt *Infallibilis* & *Viſibilis* Scripturarum *Interpres* & in rebus fidei *Controverſiarum Judex*. Nullus in terris ab errore alienus. *Vid.* de Eccl. §. 2.

C. dè Eccl. §. 2.

Obj. Deus Eccleſiæ deeſſet in neceſſariis, niſi *Summum Judicem viſibilem* & *infallibilem* conſtitueret. Rudes enim & illiterati haud apti ſunt de ſenſu Scripturarum & fide Orthodoxâ judicare.

Sol. Non illi deeſt, quià normam infallibilem in neceſſariis ſatis perſpicuam illi credidit, undè ſanam doctrinam, Sp. Sancti auxilio, in corda ſua excipiunt Orthodoxi, dum alii aures bibulas iis præbent, qui ſub prætextu *infallibilis Judicii* peſtiferos errores diſſeminant & obtrudunt, *Joh.* 7. 17. *Si quis voluerit Dei voluntatem exequi, cognoſcet Doctrinam, utrum ex Deo ſit*, & 10. 45. *Oves Paſtorem ſequuntur, quid nôrunt vocem ejus, alienum autem nequaquam ſequentur, quia non nôrunt vocem alienorum.*

Liberius Pontifex Romanus (ex adverſariorum ſententiâ *Judex infallibilis*) Hæreſin *Arianam* ſubſcriptione ſuâ confirmavit; Deus autem Eccleſiæ ſuæ non defuit, dum per alios fideles ſanam fidem conſervavit & propagavit.

Obj. Norma non eſt Judex, non enim audit rationes partium Litigantium, neq; nominatim huic adjudicando, abjudicando illi, prout cauſæ Juſtitia poſtu-

poſtulet; ſed eſt Regula duntaxat, eaq; muta, & elinguis, juxta quam *Judex viſibilis* lites determinet.

Hoc non Judicis eſt *Supremi*, ſed *Miniſterialis*; idq; in cauſa non Juris, ſed facti ſolummodò. *Sol.*

In Jure *Univerſali præſcribendo*, Lex habet rationem Judicis, *Ariſt.* l. 3. *Polit.* Nec prorsùs muta eſt & elinguis, magis quam Eccleſia ipſa in Canonibus & Conſtitutionibus, aut Patres in ſententiis ſuis. Rex loquitur in Edictis & Diplomatibus. Sp. Sanctus in Scripturis homines alloquitur. *Lex iis loquitur qui ſunt ſub Lege*, Rom. 1. 19. *Habent* Moſen *& Prophetas, ipſos audiant*, Luc. 16. 29. Non elinguis, Prophetia enim *Iſaiæ* clamat (ait Apoſt. *Rom.* 9. 27.) *Moſes* accuſat Judæos, *Joh.* 5. 45. Lex judicat, *Joh.* 7. 51. & 12. 48. *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit*, quamvis minùs propriè, uti ſuprà dictum eſt.

Novæ Hæreſes ſubindè oriuntur, de quibus non exſtat aperta deciſio. *Obj.*

Qui illud futurum noverat, deciſionem ſatis apertam in Scripturis pronunciavit. *Sol.*

Scriptura varios & ambiguos ſenſus habet. *Obj.*

Non ex naturâ rei, ſed inſcitiâ aut pertinaciâ detorquentis; indè autem ad *Miniſteriales* Judices ſpectat illuminationem Spiritûs Sancti implorare, locos obſcuriores ex apertioribus explicare, *&c.* nec requiritur *Judex viſibilis*, extra Scripturam, ſed ex Scripturâ, ſententiam eruere & proferre. *Sol.*

Oportet Judicem poteſtate coactivâ inſtructum, eſſe, ut ſententiæ illius parere cogantur litigantes. *Obj.*

Iſta eſt ratio fori externi, Regnum autem Dei non corporali coactione ſed ſpirituali demonſtratione Veritatis promovetur, 1 *Cor.* 2. 4. Etiamſi *vis* inſuper ſpiritualis, mediante conſcientiâ, Scripturæ non deeſt. *Sol.*

Hinc Judicium privatæ Diſcretionis approbaretur, quo, quilibet (rudis licet & ineptus) ad fallacia *Obj.*

lacia ſui Cerebri phantaſmata & inſomnia ſectanda remitteretur.

Sol. Ad Judicis *Supremi* ſententiam in Scripturis latam fideles remittuntur, ut *habitudinem* illius, quod in quæſtione eſt, ad normam illam applicent, & conſenſum aut diſſenſum utriuſq; obſervent. Sententia verò definitiva ſive judicium propriè dictum non à fidelibus illis dictatur, ſed neceſſariò ſequitur, quemadmodum *Concluſio Syllogiſmi* ſequitur *ex præmiſſis*, idq; illius autoritate qui normam illam inſtituit & propoſuit, ad quàm credenda & agenda noſtra ſunt examinanda, paritèr ac conſtituit habitudinem Extremorum ad medium terminum, ex quâ in ratiocinatione juſtâ & regulari, ſequelam habemus neceſſariam & infallibilem. Hinc etiamſi fidelis privatus dicatur judicare de habitudine ſive convenientiâ vel differentiâ quæ rem controverſam & normam intervenit, Concluſionem tamen quæ per *Supremi* Judicis ſententiam ſtabilita eſt, non attingit.

Sic qui rem menſurandam ad amuſſim exigere tenetur, neceſſe eſt ut propriis oculis obſervet num Virgæ ſive Amuſſi quadret, ſuperioris autem autoritas eſt quâ tenetur proportionem debitam per Virgam iſtam menſurare.

Nulli deniq; ex ipſis Pontificiis conſtabit, an Dogma aliquod traditionum ſuarum regulæ congruat, niſi proprio Diſcretionis judicio.

Obj. Non minorem curam haberi Deus voluit de Chriſtianis in Novo Teſtamento quàm de Judæis in Vet. ſed Judæi in difficilioribus & ambiguis ad ſummum ſacerdotem remittebantur ſub pœna capitali niſi *obtemperent*, Deut. 17.8, &c. 2 Chron. 19.

Sol. Non ibi agitur de Controverſiis Fidei, ſed de *Ritualibus*, ut de Leprâ ; ſive Politicis inter ſanguinem & ſanguinem : Nec illi licuit alitèr determinare, quàm ut Judex *Miniſterialis*, & juxta normam Scripturæ.

Labia

Labia ſacerdotum cuſtodient ſapientiam, Mal. 2. 7. *Obj.*

Locus iſte non indicat Sacerdotum infallibilitatem, ſed Officium; ſequitur enim, *v.* 8. *Vos autem receſſiſtis de viâ, & pluribus ſcandalum præbuiſtis in Lege.* *Sol.*

Eccleſia conſtituitur à Chriſto ſupremus Controverſiarum Judex, *Matth.* 18. 17. *Dic Eccleſiæ.* *Obj.*

Ad Correptionem fraternam immorigeris miniſtratam reſpicit iſte locus, & quod Eccleſiam contemnentes *Excommunicandi* ſunt. Hæc autem non magis ad *Romanam*, quam ad quaſcunq; particulares Eccleſias ſpectant intra proprios limites. *Sol.*

Quod Chriſtus deberi aſſerit docentibus è Cathedrâ *Moſis*, à fortiori debetur Præpoſitis in Eccleſiâ Chriſti; ſed de iis, etiamſi malis, præcepit, *Quæ dicunt, facite.* *Obj.*

Eatenùs audiendi erant docentes è *Moſis* Cathedrâ, quatenùs doctrinam *Moſis* ſine alieno fermento proponebant. *Sol.*

S. *Paulus* aſcendit *Hieroſolymam*, ut conſuleret Petrum *eoſq; in pretio qui erant, nè in vacuum cucurriſſet*, Gal. 1. 18. & 2. 2. *Obj.*

Non ut ſcrupulos aliquos ei eximerent, aut doctrinam ejus confirmarent; ſed ut oſtenderet ſe conſenſum colere cum aliis Chriſti Apoſtolis: *Petrum* enim Judaizantem ſeverè reprehendit. *Sol.*

Concilia Confirmationem à Pontificibus Romanis expetiverunt, aliæ Eccleſiæ ipſos conſuluerunt, & Imperatores in re Religionis faſces ſuos illis ſubmiſerunt. *Obj.*

Non indè autem infallibiles agnoverunt Concilia, non Confirmationem, ſed fraternum conſenſum, à Papis abſentibus interdum poſtulârunt, nonnunquam Papas depoſuerunt; & jus eorum Actus examinandi & abrogandi adhuc vendicant. Imperatores interdum eos tanquam arbitros prudentes & honorarios conſuluerunt, antequam Tyrannis *Sol.*

rannis & Superſtitio totam *Maſſam* corruperant.

Obj. Scriptura non poteſt eſſe Judex, aut quoad Literam, aut quoad Senſum & Interpretationem. Non quoad Literam, hæc enim ſavet Hæreticis, ut *Arianis* (*Pater me major eſt*) & Pontificiis (*hoc eſt corpus meum.*) Non quoad Senſum, nam de Scripturæ ſenſu ſæpè tota eſt controverſia.

Sol. 1. De totâ Scripturâ inſtituitur Quæſtio, num de Articulis neceſſariis clarè judicet, quod præſtat cumulatè: quamvis particulæ quædam *in non neceſſariis maneant obſcuræ.*

2. Litera non ducit Hæreticos in errores ſuos, ſed prava ejus interpretatio. Qui præſunt in Eccleſiâ, præcipuè Concilia legitimè procedentia, tanquam Judices *Miniſteriales* ſenſum Scripturæ declarare poſſunt, & ſententiam *Supremi* Judicis; adeò ut in rebus adiaphoris & ordinem ſpectantibus, ſententiam ferant, non publicè aut temerè à ſubditis reſcindendam, eâq; tanquam formulâ concordiæ, (licet non fidei exemplari) quoad fieri poteſt, acquieſcendum eſt, nè pax Eccleſiæ turbetur. Ipſa interim Conciliorum Decreta non recipienda ſunt pro Decernentium Infallibilitate, ſed ad normam Scripturæ expendenda. Memores etiam ſimus illius Chriſti, *Neceſſe eſt ut veniant Scandala*, & Apoſtoli, 1 *Cor.* 11. 19. *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti ſiant.*

SECTIO V.

De Editione Authenticâ.

Quæſt. NUM *Editio Hebræa Veteris Teſt. & Græca Novi ſit Authentica?*

Reſp. De Veteri affirmatur, Non enim capere poſſumus Eloquia Dei fuiſſe primùm Hebræis alitèr quàm

quàm Hebraicè concredita, ſive vocem, ſive ſcriptum ſpectes.

Interiit Textus Hebræus cum exuſto Templo *Hieroſolymitano.* *Obj.*

Hoc dicunt Adverſarii, non probant, ſed contrà, *Nehem.* 8. 1. dixerunt *Ezræ* ſcribæ ut afferret Librum Legis *Moſis*, non Librum recens compoſitum. Non enim facilè credamus *Ezekielem, Jerem. Haggæum, Zachar. Dan.* Codicem ſacrum non habuiſſe. Eam eſſe Regulam Verſionum teſtantur Patres. Vide *Croc. Antibec.* l. 1. p. 21. *Sol.*

Græca Novi eſt etiam authentica. 2.

Hoc non negavit Leo Roman. qui Græcum Textum ab *Eraſmo* editum Orbi Chriſtiano commendavit.

Matthæum primùm Hebraicè ſcripſiſſe aſſerunt nonnulli. *Obj.*

Pro comperto non habent, ſed eſto, non indè perit Græcæ Editionis autoritas. Ab Apoſtolis enim tranſlatum fuiſſe docent plurimi, ſive à *Jacobo*, ut *Athanaſ.* in Synopſi; ſive à *Johanne*, ut *Theophylactus*; ſive ab ipſo *Matthæo*, ut alii. *Sol.*

Editiones hæ ſolæ à Prophetis & Apoſtolis vulgatæ ſunt, quorum mentes & calamos ità gubernavit Sp. S. ut nec quoad ſententiam nec literam eſſent erroneæ, *Eph.* 2. 20. 2 *Pet.* 1. 21. Ad has ergò veluti ad normam omnes aliæ ſunt examinandæ.

" Concilium quidem *Trident.* §. 4. ſanxit *Ver-*
" *ſionem Latinam* in publicis Lectionibus, Diſpu-
" tationibus, Prædicationibus, & Expoſitionibus
" pro Authenticâ habendam.

Nonnulli (quos hujus Decreti pudet) alienum ei ſenſum affingere, ſed fruſtrà, conantur, & dicunt Concilium V. Verſionem non Fontibus, ſed aliis Latinis Verſionibus prætuliſſe; nam ex Decreto pro authenticâ habenda eſt; undè nemo eam quovis prætextu rejicere auſus ſit. Inſuper autem vel Editio Hebræa Vet. & Græca Novi eſt Authentica,

aut

aut nulla eſt Authentica: Ex quo enim Novæ Revelationes non erant ulteriùs expectandæ, non permitteret aut Providentia Dei, aut *Maſoretharum* diligentia, aut Exemplarium fidelitati conſonum eſſet, ut deſineret illarum Editionum Autoritas.

Obj. Ipſa Autographa, ſcil. à Prophetis & Apoſtolis primò ſcripta, perierunt: Ergò nulla jam extant Authentica.

Sol. Authentica *primariò* & *originalitèr* ſunt Autographa Scriptorum Divinorum, ſicut Tabulæ Archetypæ, Edictorum Principum, Teſtamentorum & Contractuum. Authentica *ſecundariò* ſunt Apographa fidelitèr ex Archetypis deſcripta, per idoneos viros, quales ſunt Tabelliones publicâ autoritate ad id deſtinati ſuntq; Authentica, licet non Autographa.

Quæſt. *Num Textus Hebræus V. Teſtam. & Græcus Novi ſit incorruptus?* Affirm.

Arg. 1. Si Judæi Textum corrupiſſent, Innumera Exemplaria inter Chriſtianos vulgata conatus hujuſmodi reddidiſſent irritos.

2. Quodvis ſeculúm illuſtres Criticos exhibuit, quales erant *Origenes*, & *Hieronymus*, apud antiquos, *Eraſmus*, *Beza*, &c. ſequioris ſucceſſionis, qui omnes textûs apices expenderent, & in integrum reſtituerent, adeò ut in rebus alicujus momenti nè hilum deſideretur.

3. Ex ipſo (*a*) *Maſora* conſtat Judæos de conſervando textu ad ſuperſtitionem fuiſſe ſolicitos.

(*a*) *Maſora* eſt doctrina critica à priſcis Hebræorum ſapientibus ingenioſè inventa, quâ verſus, voces, literæ, S. Textus memoratæ, omniſq; ipſarum varietas notata eſt, *&c.* ut ſic conſtans & genuina ejus lectio conſervetur, & à corruptione muniatur. *Buxt.*

Variæ

Variæ tranſlationes inſtar *Maſoræ* aut Sepimenti fuerunt, undè quod aliquo modo mutatum eſſet in Originali, ex collatione, reſtitueretur. 4.

Mutantur Literæ à Deo ipſo conſignatæ, aſcitis aliis, ab hominibus inventis, undè multiplex corruptio interveniat. Hoc factum eſſe à Judæis, poſt reditum è Captivitate Babylonicâ aſſerit *Hieronymus*, aliiq; in Hebraicis verſatiſſimi. *Obj.*

Characterum mutatio non neceſſariò infert textûs corruptionem, Biblia enim Anglicana Italicis expreſſa characteribus, non indè corrumpuntur. *Sol.*

Plura vide apud *Glaſſium, Philol.* S. l. 1. tract. 1. Prid. faſcic. *p.* 20. alioſq; de *Obj.*

- *Gheri* & *Chetib*, quæ varias oſtendunt lectiones.
- *Chaſir* & *Jother*, quæ defectus aut redundantias Grammaticales indicant.
- *Tikkun Sopharim*, quæ ſunt correctiones ſapientum.

Non ab aliquibus aut horum omnibus conſtat textum S. in re alicujus momenti depravatum eſſe, ſed potiùs à depravatione immunem ſervatum. *Sol.*

LXX Interpretum Verſionem in Novo Teſt. citatam non niſi puro textu Hebræo traductam fuiſſe veriſimillimum eſt, ſed inter Græcam iſtam & quam habemus Hebraicam, multiplex eſt Varietas. *Obj.*

Interpretationem iſtam LXX exſtare hodiè plurimi negant. *Sol.* 1.

Apoſtoli in ſententiis citatis ex V. Teſt. non tam de verbis quàm de ſenſu erant ſoliciti ; & Græca potiùs adduxerunt quàm Hebraica, quia illa tunc temporis erant receptiora. 2.

Evangeliſtæ & Apoſtoli interdum ea citant è V. Teſt. quæ ibi non inveniuntur, ut, *vocabitur Nazaræus*, *Matth.* 2. 23. vel alitèr quàm ibi extant, *Obj.*

tant, ut, *Tu* Bethlem *nequaquam minima es*; *Michæ* autem verba ſunt, *& tu* Bethlem *minimus es*, Mich. 5. 2.

Sol. 1. Ut de voce *Nitzar* (ſurculus, *Iſa.* 11. 1. *Jer.* 23. 5. *Zach.* 6. 12.) taceam, *Matthæus* non dicit *Scriptum eſt*, ſed *dictum eſt*. Multa dicta fuerunt à Prophetis quæ non ſcripta; & Dictum hoc *Matthæo* innotuiſſe potuit vel per Traditionem, vel Revelationem; ut nomina *Magorum Jannes* & *Jambres* S. *Paulo*, & *Prophetia Henochi*, *Judæ* 14. Imò quamvis dixiſſet *Scriptum eſt*, non ſequitur quod Scripturis inveniretur; multa enim ſcripta Prophetarum periiſſe potuerant, quæ, ſicut hæc, & alia, non ſunt ad ſalutem neceſſaria.

2. Ad ἀντιφωνίαν *Matthæi* & *Michæ* quidam reſpondent,

1, Quod *Matthæus* hiſtoricè refert verba Sacerdotum *Herodi*, quæ ſi minùs vera non Hiſtorico id vitii imputandum eſt.

2. Si verba *Michæ* per interrogationem cùm Ellipſi negationis legantur, *v. gr.* (*tu es minima?*) eodem redeunt verba *Matthæi* & *Michæ*, *tu non minima es*.

Sic juxta textum Hebræum, *Jud.* 14. 16. (*& tibi annuncietur?*) 1 Sam. 11.12. *Saul regnaret ſuper nos?* Et ſigno interrogatorio non ſemper opus eſt (ut aſſerunt linguarum periti) quod cohærentia Sententiæ ſenſum ſatis perſpicuè declarabit.

Ad apparentes Contradictiones conciliandas, Vide conciliatores *Scharpium*, *Spanhem. Dub. Evang. Turret. Theol. Elench. de Script. Quæſt.* 5. *Crocii Antibecan. Tom.* 1. *p.* 94. alioſq;

De S. Textûs integritate doctè admodum & copioſè tractavit *Glaſſius*, Philol. S.

SEC-

SECTIO VI.

De Verſionibus, & in Specie de Vulgatâ Latinâ.

NUM *Verſiones S. Scripturæ in Linguas vulgò cognitas ſint neceſſariæ?* Quæſt.

Inter Pontificios alii cenſent verſiones Scripturarum in Linguas vulgò cognitas eſſe fidelibus perniciofas, Originem Hæreſium, *&c.* nec ſine impetrata facultate legi debere; in Sacris etiam urgent uſum Linguæ Latinæ quamvis vulgò ignotæ, at *Moſes* ſcripſit Idiomate noto; ità etiam Prophetæ & Apoſtoli, & ſingulis Synagogis legebatur *Moſes* ad inſtructionem plebis, *Act.* 15.21. *Reſp.*

Mandata habemus, *Deut.* 10. 1. *Col.* 4. 16, &c. Praxin etiam 2 *Reg.* 23. 2. *Nehem.* 8. 3, 4. *Act.* 13. 27. & 15. 30, 31. Teſtim. Patrum. Vide *Croc. Antibecan. Tom.* 1. p. 24. Scripturarum Lectio & Meditatio omnibus præcepta eſt.

Evangelium per totum Orbem prædicandum eſt, ergò in omnes Linguas vertendum; eadem enim eſt ratio utriuſq;. Apoſtoli Græcâ Linguâ ſcripſerunt, tunc temporis uſitatiſſimâ; ubi autem Græcæ uſus deſiit, verſionibus opus fuit, ad Evangelii propagationem. Captivatis Judæis, præcipuè rudioribus, ſerviebant *Thargumim*. Plures fuerunt. *Paraphraſis Chaldaica Jonathanis Uzielis* filii diſcipuli Hillelis 40 annis ante *Chriſtum*. Ex eo habemus verſionem Prophetarum priorum & poſteriorum.

Onkelos Gamalielis σύγχρονος, addidit tranſlationem *Pentateuchi*.

Compoſuit *Thargum Chaldaicum*, quòd quàm proximè accedit ad linguam Hebraicam.

Tertium *Thargum* erat *Hieroſolymitanum*, Sermone Hebraico corrupto. D Pa-

Paraphraſis *Hagiographorum* eſt incerti Autoris. Erant inſuper Verſiones *Syriacæ*, *Arabicæ*, *Perſicæ*, & *Æthiopicæ*.

Novi Teſt. datur Tranſlatio *Syriaca*, quàm nonnulli Eccleſiæ *Antiochenæ* naſcenti tribuunt.

Veteris Teſt. Verſiones *Græcæ* fuerunt, illa LXX 300 circiter annum ante Chriſtis.

Aquilæ Pontici Anno Chr. 137, hic, initio Græcus, Religione poſteà *Chriſtianus*, ob inſanum Aſtrologiæ ſtudium ab Eccleſiâ motus, ad Judæos defecit, & Odio Chriſtianorum V. Teſtamentum vertit, ut Oracula de Chriſto corrumperet.

Theodotionis Anno Chr. 184. Genere Ponticus erat, Religione Marcionita, poſteà Judæus, undè ſequitur, ut plurimùm, LXX.

Symmachi verſio refertur ad Annum Chr. 197. Vixit ſub *Commodo*, ſed defecit ad *Marcionitas*, & tandem ad Judæos. Alias Verſiones hic recenſere haud refert.

Obj. A Reditu è *Babylone* ad Chriſtum extitit Scriptura in Eccleſiâ Judaicâ non niſi linguâ vulgò incognitâ, nempè Hebræâ.

Sol. Multis anteà ſæculis vulgaris erat, neque tunc temporis prorsùs incognita; nam *Haggæus*, *Zacharias*, & *Malachi* concionati ſunt Hebraicè, ut ex Libris illorum patet. *Ezra* etiam lectâ Lege ſenſum dedit plebi, ſive expoſuit, non tranſlatione vocum, ſed rerum contentarum dilucidatione, quemadmodum Chriſtus dicta Prophetarum expoſuit Diſcipulis Emmaum adeuntibus.

Obj. Prophetæ & Apoſtoli non niſi Hebræâ & Græcâ ſcripſerunt, nec Univerſa Eccleſia ullis niſi his Linguis cum Latinâ uſa eſt in publicâ Scripturarum Lectione, poſtquam dudum deſiiſſent eſſe vulgares.

Sol. Verſiones *Syriaca*, *Gothica*, *Dalmatica*, & quidem intrà quadringintos Annos, unius uſum perpetuum jactantes abundè refutant.

Lin-

Lingua cujuſq; populi vulgaris præjudicaret unitati Eccleſiæ, pacem enim complures turbarent, quàm una ſtabiliret. *Obj.*

In Concionibus Lingua Vernacula non præjudicat Eccleſiæ unitati, ideò nec in Lectionibus, *&c.* Plures etiam Hæreſes ortæ ſunt à Clericis quam Laicis; ergò nec illi deberent legere Scripturas niſi Linguâ incognitâ. *Sol.* 1.

2. Verſiones certantes pro primatu turbant Eccleſiam, non illæ quæ rejiciuntur ubi cum Originalibus non conſentiunt, atq; eâ Lege *Vulgatam Latinam* inter cæteras admittimus; exſibilamus autem Sententiam *Gregorii de Valentia*, aliorumq; qui contendunt Originales ad vulgatam eſſe corrigendas.

Eſtne Verſio LXX *Interpretum Authentica?* Quæſt.

Authenticam eſſe cenſent multi Romanenſes, *Bellarm. Staplet. Carthuſianus*; ex noſtris *Iſ. Voſſius.* Humanam autem eſſe arbitramur licet multis præferendam, eo quod antiquiſſima, à Judæis diſperſis publicè lecta, ab Apoſtolis citata, & illius uſu Mundus Chriſto ſubactus, à Patribus Commentariis explicata, *&c.* *Reſp.*

Ex hâc Verſione omnes in Eccleſiâ approbatæ (exceptâ *Syriacâ*) traductæ fuerunt, ſcil. *Arabica*, *Æthiopica*, *Armena*, *Gothica*, *Latina* ante *Hieronym.*

Si tamen ex Sp. Sancti afflatu ſcripſiſſent illius Autores, numerus eorum ſuperfluus eſſet. Nihilominùs, nec verbis nec rebus quandoq; convenit cum Fontibus.

Codices Hebræi numerant ab Orbe condito ad Cataclyſmum annos 1656. LXX 2242. Singulis enim 5 primis Generationibus, ſcil. quibus *Adam* genuit *Seth* anno ætat. 130. *Seth* genuit *Enos* anno ætat. 105, *&c.* juxta Codices Hebræorum, LXX addunt annos 100; in ſextâ conſen-

tiunt; in ſeptimâ LXX addiderunt annos 100: in octavâ detraxerunt 20; in nonâ addiderunt 6; in decimâ conveniunt. LXX etiam addiderunt 780 à Diluvio ad *Abrahamum*; atq; inter *Arphaxad* & *Sala* poſuerunt Generationem *Cainan*; & quoad iſtam interpoſitionem, *Lucas* LXX ſequitur, & non Canonem Hebræorum, quod Charitati & Prudentiæ illius attribuitur, retinentis verſionem publicè receptam, in gratiam Helleniſtarum Judæorum.

Annorum Differentiam *Auguſt.* l. 15. *de Civit. Dei* c. 13. exiſtimat irrepiſſe vitio Scriptoris, qui primus ex Originali LXX Interpretum tranſlationem exſcripſit, ac ità facilè in alios Codices emanâſſe. Non habetur hodiè pura, *Hier. Ep. ad Aug. præf. in Eſdr. & Paral.*

Obj. Apoſtoli & Evangeliſtæ uſi ſunt iſta Verſione.

Sol. Non quaſi authenticam illam fuiſſe crederent, ſed quià tunc temporis erat uſitatiſſima, & ubi veritatis ratio patiebatur noluerunt ſcrupulum creare infirmis; nam aliàs prætulerunt Fontes, ut obſervavit *Hieronymus* l. 2. *contra Ruffin.* & colligi poteſt ex *Matth.* 2. 15. cum *Hoſ.* 11. 1. *Job.* 19. 37. cum *Zach.* 12. 10. *Jer.* 31. 15. cum *Matth.* 2. 18. *Iſa.* 25. 8. cum 1 *Cor.* 15. 54, &c.

Obj. *Irenæus*, *Clem. Alexandr. Aug.* & alii Verſionem hanc authenticam eſſe prædicant.

Sol. Nempè quià Linguæ Hebrææ ignari; nec in eorum verba jurare tenemur. *Doctiores* etiam Critici, ut *Origenes* & *Hieronymus*, in alterâ ſunt ſententiâ. LXX Interpretes in Cellulis ſeparatis ſpatio 72 dierum ſub auſpiciis *Ptolomæi Philadelphi*, opus ſuum abſolviſſe dicunt *Ariſtæus*, *Joſephus*, aliiq; ab ipſis Judæis, ſuadente utilitate, ſuſceptum eſſe opus illud & abſolutum aiunt. *Hier. Vives in* l. 11. *Aug. de Civ. Dei,* c. 41. *Scalig. in Euſeb. Druſius*, *Caſaubon*, *Uſſerius*, &c.

Latinæ Verſiones non tam ex fontibus quam ex Verſione Græcâ olim circumferebantur. *Una* communior *Itala*, *Duæ* ab *Hieronymo*, quarum *Una* ex Verſione LXX. *Altera* (quam ad Veritatem textûs Hebræi & Græci correxit) ab aliquibus exiſtimatur eſſe vulgata Verſio hodierna, ſed in progreſſu temporis in multis depravata; adeò ut Viri docti, ſcil. *Valla*, *Fab. Stapulenſis*, *Cajetanus*, *Arias Montanus*, & alii mendas & vitia non pauca in eâ notârint. *Vulgata hodierna* (ſive *Antiqua* *iſta*, ſive *Hieronymi*, ſive ex iis *mixta*, ſive ab *ignoto ortu*) multoties emendata fuit, nec immeritò.

Ex *Romanenſibus* quidam dicunt, Concilium *Trident.* Verſionem hanc non *Fontibus*, ſed *Latinis* reliquis prætuliſſe, & Authenticam eſſe in iis quæ ad fidem & mores pertinent: Alii verò non omninò erràſſe, nec ex Fontibus corrigendam, ſed illis præferendam eſſe ſtatuunt, ut *Greg. de Valentia*, *Huntlæus*, & alii.

Gen. 8. 31. In textu Hebræo eſt, *Corvus egrediebatur & revertebatur*, Legendum autem eſt, *non revertebatur*, ut habet *vulgata* Verſio. *Obj.*

Juxta textum Hebræum eſt, *huc illuc volitabat*, ſcil. ab uno ad alterum cadaver, & interdum ad ipſam Arcam, etiamſi non ingrederetur, nec Hebræorum Cauſæ prodeſſet particulam negativam hoc loco ſuſtuliſſe. *Sol.*

Si Quæſtio ſit quem locum inter Verſiones vulgata hæc obtinere debet, reſpondet *Le Blank*, Proteſtantes cenſent multas *Latinas* eſſe illâ meliores, nam *Vulgata* horreſcit alicubi mirâ barbarie; ut *nonne vos eſtis magis pluris illis*, Matt. 6. 26. Luc. 21. 28.

Populus manicabat ad eum, pro *manè veniebat*. Theſ. de Autoritate vul. Verſion. Lat. *Num.* 34, *&c.*

2. Multa loca ſunt, quæ nullum ſenſum habent; præcipuè in *Pſalmis*. Pſ. 67. 19. 76. 6.

 3. Au-

3. Author illius, vel ambiguitate vocis vel pravâ lectione deluſus, quædam abſurdè vertit, & ab autoris ſacri mente, ſenſu alieniſſimo, &c.

Non tamen contemnenda eſt, quoniam non eſt adeò corrupta, quin ea quæ ad fidem & bonos mores pertinent, ex eâ ſufficientèr exhauriri poſſint.

Et quod erratum eſt ex aliis locis corrigi & ſuppleri poteſt; ergò emendanda potiùs quàm novæ Verſiones cudendæ. Et quum nulla verſio ſit authentica conſultum foret, ut Orthodoxi omnes in aliquâ convenirent, quâ diligentèr caſtigatâ, omnes uterentur: Quo ſenſu Germani Proteſtantes Verſionem *Lutheri* aliquando declarâſſe Authenticam feruntur.

SECTIO VII.

De Scripturarum Perſpicuitate.

Quæſt. NUM *Scriptura adeò perſpicua ſit in rebus ad Salutem neceſſariis, ut intelligi poſſit à fidelibus?*

Reſp. Ex ipsâ Quæſtione liquet quod non negatur obſcuritas reſpectu infidelium, & egregiè impiorum, quibus tectum eſſe Evangelium dicit Apoſtol. 2 *Cor.* 4. 3. vel reſpectu Myſteriorum in iis traditorum. Intereà verò ſedula textûs cum annexis ſuis, aliiſq; textibus comparatio, & Expoſitionum lucidarum conſideratio, & ſi quæ alia ſint media ad inſtructionem non ſunt lubentèr negligenda. *Scriptura S. Lux eſt illuminans oculos*, Pſ. 19. 7. *Lucerna reſplendens loco obſcuro*, 2 Pet. 1. 19. Prov. 6. 23.

Excep. Excipit *Bellarm. Intellecta illuminat.*

Sol. Imò ut intelligatur, prout natura eſt Lucernæ, quæ ſeipſum & alia reddit aſpectabilia, 2 *Pet.* 1. 19, &c.

1. 19, &c. *Cui rectè facitis, ut attendatis velut Lucernæ, uſq; dum dies illuceſcat.*

Apoſtoli Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti *non potuerunt intelligere*, Joh. 16. 18. *Obj.*

Apertior erat Revelatio earundem poſt Reſurrectionem. Sufficit unicuiq; cognitio pro ſtatu quo verſatur, & Revelationis gradu. *Sol.*

In V. Teſt. Res divinæ non perſpicuè ſed per figuras & umbras quodammodo, & obſcurè admodum indicabantur. *Obj.*

Scriptura V. Teſtamenti obſcura erat comparatè, & reſpectu Novi, ſed ſatis perſpicua pro ratione ſtatûs Eccleſiæ cui proponebatur. *Sol.*

1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non capit quæ ſunt Spiritûs Dei.* *Obj.*

Non fide vivâ recipit, non practicè intelligit, donec gradatim deſinit verè denominari Animalis. *Practica* cognitio eſt fidelium *propria.* *Sol.*

2 *Pet.* 3. 16. In quibus ſunt quædam *difficilia intellectu.* *Obj.*

Non ſequitur quod in omnibus, multò minùs per totum Scripturarum Syſtema non colligi poſſe voluntatem divinam in neceſſariis. *Sol.* 1.

Ad Epiſtolas *Pauli* malè refertur quòd *Petrus* de *Rebus* pronunciat, non dicit *αἷς* ſed *οἷς*. Myſteria reſpicit. 2.

De indoctis inſuper & inſtabilibus loquitur. 3.

Diſcipuli euntes ad *Emmaum* non intelligebant Scripturam antequam Chriſtus eam interpretatus eſt, *Luc.* 24. 27. *Obj.*

Interpretatio non arguit Scripturæ obſcuritatem, ſed hominum infirmitatem, *Joh.* 20. 9. *Adhuc non nôrunt Scripturas, quod reſurrecturus erat.* *Sol.*

Eunuchus reſpondet, *quomodo poſſim intelligere ſi non aliquis oſtenderet mihi? Act.* 8. 31. *Obj.*

Ab Eunucho, haud adhuc Proſelyto, ad Chriſtianos adultiores non valet illatio; aut ab uno Prophetiæ textu ad totam Scripturam. *Sol.*

Obj. Aliter *Lutherani*, aliter *Calviniſtæ* intelligunt *Hoc eſt corpus meum?*

Sol. In fundamento *Fidei* & *Salutis* conſentiunt.

Quæſt. *Num adeò perſpicua ſit Scriptura ut à quolibet fideli poſſit cum fructu legi, idq; abſq; permiſſione ſuperiorum impetrata.*

Reſp. Non quæritur an neceſſaria ſit Scripturæ Lectio; Infantes enim ſalvari poſſunt; etiam multi rudes & illiterati. Nec quæritur an ſine diſcretione legenda: Juniores quandoq; à nonnullis Libris arcebantur, ob judicium non ſatis confirmatum; ſed an ſimplicitèr interdicenda Laicis?

Præcepta patent, *Deut.* 6. 6, 7. & 31. 11, 12. *Col.* 3. 16. *Joh.* 5. 39. *Joſ.* 1. 8. 2 *Pet.* 1. 19.

Obj. Plus detrimenti affert, quam utilitatis.

Sol. Non niſi per accidens, & hominis vitio. Imò Hæreſes ab ipſis *Eccleſiaſticis* ſæpiùs quàm à *Laicis* oriuntur. Dein legant omnes, ut Erroribus obviàm eant.

Obj. Populus inſtituendus eſt à Clericis.

Sol. Non negligenda eſt inſtitutio, aliáve debita ſubſidia; ſed occurrendum eſt Tyrannidi eorum qui populum in tenebris occludere vellent.

Obj. *Margaritæ* non projiciendæ porcis, *Matth.* 7. 6.

Sol. Gratiæ divinæ Symbola impuris & obſtinatis peccatoribus non ſunt projicienda; interim Filii non pro porcis habendi ſunt.

Excep. Permiſſa eſt quibuſdam Scripturarum Lectio.

Sol. Non modò quibuſdam permittenda eſt per modum privilegii, quod omnibus mandatum eſt per modum officii.

Quæſt. *Num Quadruplex ſit Scripturæ Senſus* Literalis, Alleg. Tropol. & Anagogic?

Minus

Minùs perſpicua videtur Scriptura, dum Pontificii docent eam ſenſum habere, tùm *Literalem*, tùm myſticum, & hunc iterum, vel *Reſp.*

Allegoricum, quando Hiſtoria transfertur ad Res fidei; ut, quod dicitur de *Sarah* & *Hagara* transfertur ad duo Fœdera, *Gal.* 4. 22.

Tropologicum, quando transfertur ad mores.

Anagogicum, quando ad Res futuri ſæculi.

Hoc diſticho efferuntur.

Litera geſta docet, quod credas, *Allegoria.*
Moralis, quid agas, quo tendis, *Anagogia.*

Reformati docent unicum modò verum & genuinum ſenſum Scripturæ tribuendum eſſe, *Literalem* ſcil. & *Grammaticalem* (non qui ſemper propriis, & non quandoq; Tropicis verbis & Typicis enuncietur, ſed) quem voluiſſe Sp. Sanctum ex locorum contextu & ratione colligimus, ideóq; (juxta illos) ſenſus loci poteſt eſſe, vel

Simplex & *Hiſtoricus*, qui unius rei declarationem continet, ſive ſit præceptum, ſive dogma, ſive Hiſtoria; & hic iterum quoad modum enunciandi, ſeu verba per quæ effertur; vel

Proprius & *Grammaticalis*, qui ex verbis propriis oritur, ut *diliges Deum*, &c. *Matth.* 22. 37.

Tropicus, ut, *lingua mollis confringit oſſa*, Prov. 25. 15.

Compoſitus ſive *Mixtus* in *Typis*, cujus pars eſt in *Typo*, pars in *Antitypo*, quæ non conſtituunt duos ſenſus, ſed duas partes unius ſenſus quem nobis ſuggerit Spiritus Sanctus, Ut, *Os non confringetis*, Exod. 12. 46. plenus haberi non poteſt, niſi comparetur cùm *Antitypo*, Joh. 19. 36.

Monendi autem ſumus, non ſenſum hunc Allegoricum quærere, niſi præeunte Scripturâ, 2 *Tim.* 3. 16. *Obj.*

3. 16. *Utilis eſt Scriptura ad Doctrinam, Redargutionem, Correctionem, & Inſtitutionem, etiam ad Conſolationem*, Rom. 15. 4.

Sol: Hi in plurimis occurrunt, non in omnibus; ſuntq; applicationum ſpecies, potiùs quàm diverſi ſenſus. Unicus enim eſt ſenſus immediatus, etiamſi diverſimodè ad ædificationem accommodetur.

Obj. Ipſe Senſus Literalis non ſemper unicus eſt, quatenus eadem verba quandoq; plura ſignificant.

Sol. Verba enim & Sententiæ quædam ſeparatim & abſolutè ſumptæ plura quandoq; ſignificant; non verò cum aliis conjunctim. Hinc *Senſus verus* eſt *verus*, vel

- *Abſolutè*, qui nihil falſi continet; ideoq; *Orthodoxus* appellatur:
- *Relatè* ad loci circumſtantias, atq; ità is eſt reverà *Senſus literalis* & *genuinus*, quem Contextûs ſeries, & ipſius Loci circumſtantiæ jure poſtulant.

CAPUT

Caput III.

De Deo & Attributis.

Sectio I.

Ne quid de Deo temerè definiamus, imprimis quærere oportet, Quales Conceptus ritè formare poſſumus, dum corpore verſamur, de rebus immaterialibus & naturam humanam longè tranſcendentibus. Non certè nobis omninò innoteſcunt res iſtiuſmodi, niſi modo quodam à materiâ mutuato, ſcilicet per viam Remotionis, vel Eminentiæ, per Comparationem, aliòve ad materiam modo alluſivo. Nec capit intellectus humanus (ſtatu hoc conjuncto) quæ ad *Æternitatem* aut *Immenſitatem* ſpectant, niſi per *σχέσιν* ad *tempus* & *locum*; ſive ratiocinando à duratione finitâ in quâ datur Succeſſio per *prius* & *poſterius*, & à *localitate* in quâ *Extenſio*. Imò ſi quæ de rebus iſtiuſmodi Spiritualibus & infinitis revelentur, ipſæ Revelationes à nobis non caperentur, niſi per Ideas rerum materialium repræſententur. Quemadmodum enim ea eſt Oculi conſtitutio, ut alia quàm corporea & colorata non cernat, ità (in ſtatu cum corpore conjuncto) ea eſt Intellectûs indoles & habitudo, ut, quæ ſupra conditionem corpoream elevantur, excipere nequeat, niſi tanquam corporis quibuſdam circumſtantiis veſtita & effigiata.

Damus

Damus quidem rerum immaterialium & infinitarum Durationem, Eſſentiam, & Præſentiam, hoc mixto ſtatu, quodammodò à nobis apprehendi & intelligi, quoad τὸ ὅτι, ideoq; *veros* de iis conceptus formare poſſumus, attamen nos latent, quoad τὸ πῶς. Hinc dicimus quòd *Æternitas* eſt duratio tota ſimul, quod Anima eſt tota in qualibet parte, & *Eſſentia* ſingularis in *Deo Pluribus* communicatur. Hæc autem concipimus non niſi alluſivè ad temporalia & terreſtria; & indè ratiocinando *negativè*, quòd in *Æternitate* non eſt *prius* & *poſterius* quemadmodum in tempore: quòd *Anima* corpori non ineſt per partes, quià *indiviſibilis*; & quòd etiamſi quælibet Perſona in *S. Trinitate* ſit *DEUS*, non tamen plures ſunt *Dii*, &c. Nec mirum videatur quòd dum Myſteria hæc agnoſcimus, eorum *modum* neſciamus, quum nè *modum* quidem quo fiat rerum *Materialium intellectio* probè capere poſſimus: Licèt enim dicant nonnulli, Objecta per *Species* à ſenſibus externis ad internos delatas, & ab Intellectu Agente defœcatas ad *Paſſibilem* transferri, modum tamen quo ſpecies (ut ut defæcatæ, nondum tamen purè ſpirituales) Intellectum intrent, eiq; uniantur, ut per eas fiat perceptio, haud quenquam arbitror, ex illâ deſcriptione, mente aſſecutum fuiſſe; ità etiam quoties de *modo* quæritur, quo, in unione hypoſtaticâ Chriſti, Divina Sapientia communicatur humano intellectui, juxta illud Apoſtol. *Col.* 2. 3. *In eo reconditi ſunt omnes theſauri Sapientiæ*: Meritò rejicimus ſententiam *Ubiquitariorum*; qui ſtatuunt id fieri per communicationem ſeu transfuſionem infinitæ Scientiæ ipſius Dei in Intellectum humanum: eo quod cum *Eutyche* confuſionem naturarum induceret; item Pontificiorum qui hoc factum aſſerunt per intuitum humanæ naturæ in divinam (quam ſententiam haud ſolidè fundatam in Scripturis invenimus) nam ad immen-

ſam

ſam Sp. Sancti Unctionem & Revelationem multò probabiliùs referendum eſſe conjiciunt alii: Tutò autem de *Modo poſitivo* hujus aliorumq; Myſteriorum ſileamus, non præeunte Revelatione.

Porrò (ut alteram demus inſtantiam) certum eſt *paſſivam* Potentiam non *propriè Deo* ineſſe, attamen Filius *Dei* dicitur ab æterno *genitus*, & Spiritus S. *Spirari*, ſcilicet, quod in Deo captum noſtrum excedit, & eſt ineffabile myſterium, illud claudicante & haud æquâ alluſione ad terreſtria qualitercunq; effertur. Nam ut *Auguſt.* l. 5. de *Trin.* c. 9.

" Magnâ prorsùs inopiâ verborum laborat humanum eloquium. Dictum eſt tamen *Tres Perſonæ*, (ità etiam *Activa* & *Paſſiva Generatio*) non ut illud diceretur (ità ſcilicet ut clarè perciperetur) ſed nè omninò taceretur. Non enim Rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet.

Hinc, Qui Reſponſa paulò apertiora deſiderant, quam nonnunquam afferimus ad importunas, tum Atheorum, tum Sciolorum, adversùs Myſteria (quæ ad Rationis decempedam non ſunt examinanda) cavillas, meminerint, ſufficere ut Rem ità ſe habere oſtendant, quamvis non modum rei attingant, ac ut multa (quæ captum humanum tranſcendunt) credenda ſint, licet ob conditionem naturæ eorum ſcientificè demonſtrari nequeant. De Myſteriis enim captum humanum tranſcendentibus, balbutire neceſſe eſt, per negationes, comparationes, alluſiones, eaſq; mancas & imperfectas, aut prorsùs ſilere, ſaltèm quoàd τὸ πῶς, & ultra Revelationem. Hoc enim humanæ infirmitati dandum eſt, nec erubeſcat quiſquam non altiùs ſapere: quum neſcire velle, quæ Magiſter maximus celare voluit, erudita cenſenda eſt inſcitia.

SEC-

Sectio II.

Deus *contemplandus eſt in ſe & in Operibus.*

In ſe, quâ (*a*) Spiritus (*b*) increatus, (*c*) unus *Eſſentiâ*, (*d*) trinus Perſonis, Pater, Filius, & Sp. S.

(a) *Joh.* 4. 24. Deus eſt Spiritus.
(b) *Gen.* 1. 1. Ab illo omnia, *Iſa.* 43. 10. ante me non eſt formatus Deus, *&c.*

(c) *Deut.* 6. 4. Audi *Iſrael*, Deus noſter Jehova unus eſt, & 32. 39. *Mar.* 12. 29, 32. *Eph.* 4. 6.
(d) *Hag.* 2. 4, 5. *Matt.* 3. 16, 17. & 28. 19. 1 *Joh.* 5. 7.

Hujus in Scripturis exhibentur quædam *Nomina* & *Attributa.*

Nomen non propriè competit Deo, qui eſt *Ens ſingulare*, & naturâ ſuâ ità diſtinctus à re quâlibet, ut nomine diſcretivo non egeat; varia autem nomina, ut ſeſe nobis accommodet, aſſumit.

Nomina, quibus S. Literis inſignitur, ſunt vel

- *Hebræa*, in Vet. Teſt. ut, *Jehova* (& contractè *Jah*) *Elohim*, *Adonai*, *El*, & *El-Shaddai.*
- *Græca*, in Novo; ut, Θεὸς, & Κύριος. Θεὸς præcipuè reſpondet Hebræo *Elohim*, & *El*; Κύριος, *Jehova* & *Adonai.*

Attributa (quæ & *Proprietates* ejus interdum appellantur) ſunt quæ Eſſentiam ejus, pro captu noſtro, exprimunt.

Attributa Dei non ſunt aut *Qualitates* in *Deo*, aut *Adjuncta* ab Eſſentiâ realitèr diverſa, ſed ipſa Eſſentia divina, modò ſub unâ perfectione, modò

dò ſub aliâ repræſentata, ut quæ, uno conceptu adæquato, à nobis capi nequit, eadem variis conceptibus inadæquatis quodammodò percipiatur.

Quatenùs ſunt *in Deo*, poſſunt *de Deo* & de ſe invicem prædicari in *Abſtracto*, ſeu ſenſu identico; ut *Sapientia Dei eſt ipſe Deus: Miſericordia Dei* non realitèr differt ab illius *Juſtitiâ*; etiamſi *Mentibus noſtris* non niſi ſub variis conceptibus formalitèr diſtinctis apprehendantur.

Qui, quod in Deo eſt actu unum & ſimplex, concipit tanquam multa realitèr diverſa, ille *falſum* de Deo concipit. **Obj.**

Quiſquis autem, quod actu unum in Deo eſt, concipit, tanquàm *virtute* ſolummodò & eminentèr multa, non *falſum* de Deo concipit. **Sol.**

Juſtitia concipitur à nobis neceſſariò, ut res formalitèr & definitione diverſa à *Miſericordiâ*, &c. ſed in Deo idem ſunt (quicquid enim in Deo eſt ipſe Deus eſt) & quæ in Deo ſunt prædicari poſſunt de ſe invicem ſenſu identico. Ergò dum diſtinctos conceptus de iis formamus, *falſum* de Deo concipimus, alitèr ſcil. concipimus quam reverà ſe res habet. **Inſt.**

Inadæquati conceptus noſtri de Re infinitâ denotant *imperfectionem* mentis finitæ, non *falſitatem*. Sunt enim Conceptus *præciſivi* non *excluſivi*: Conceptus Miſericordiæ præſcindit notitiam benigni affectûs ſui in miſeros à conceptu Juſtitiæ, non excludit aut negat conceptum Juſtitiæ. **Sol. 1.**

Impoſſibile eſt *Juſtitiam* & *Miſericordiam*, &c. quatenus in Deo, eſſe Res diverſas, quamvis *modum* quo unum idemq; ſint, aſſequi non poſſumus, ut ſuprà monuimus. **2.**

Impoſſibile videtur, ut tot Effectus toto genere differentes, *ex. gr.* effectus *Juſtitiæ* (ut multiplices pœnæ,) *Miſericordiæ* (ut varia miſeratiogum genera,) *Potentiæ* (ut innumerabilia Creationis & Providentiæ opera,) *&c.* ab unâ eademq; **Obj.**

Ope-

Operantis effectione prodeant, & ad unam & eandem ſimplicem *Ideam* conformentur.

Sol. Vis Dei *Operativa* in ſe una, non operatur ſecundum adæquatam ſuam rationem, neq; ullus illius Effectus eſt virtuti divinæ *Operativæ* adæquatus: Pœnam infligit ſecundum peculiarem habitudinem ad illum Effectum, & miſericordiam impertit ſecundum habitudinem ad iſtum Effectum. Et quamvis Eſſentia Dei ſit omnium Creaturarum Idea ſimpliciſſima, verè tamen dicimus *Hominem creari* per Idæam *Hominis* non *Equi*. Unum enim & eminentiſſimum exemplar divinum ob infinitam ſuam perfectionem repræſentat ſingula, ac ſi eſſet ſingulorum proprium, & unumquodq; producit quatenùs eminentèr illud ipſum ſingulare repræſentat.

Diviſiones Attributorum generales.

Attributorum Divinorum alia dicuntur Incommunicabilia, alia Communicabilia.

1. *Incommunicabilia* ità Deo tribuuntur, ut nihil iis *analogum* in Creaturis reperiatur, qualia ſunt *Simplicitas, Æternitas, Immenſitas*, cæteraq; omnia *negativa*, quæ omnem imperfectionem à Deo removent.

2. *Communicabilia* ſunt quorum umbræ quædam, & quaſi *Veſtigia* in Creaturis deprehenduntur.

Communicabilia dicuntur, non quaſi eſſentialitèr & formalitèr eadem numero vel ſpecie poſſint Deo & Creaturis ineſſe, (eo enim ſenſu omnes Dei *Proprietates* ſunt *incommunicabiles*, æq; ac ipſa *Eſſentia* divina) ſed analogicè, & quâdam ſimilitudine, quæ divinas iſtas *Proprietates*, & *Virtutes* quaſdam in Creaturis productas, intervenit: ut *Sapientia, Juſtitia, Bonitas*, &c.

Hæc non dicuntur de Deo & Creaturis univocè, ſive tum quoad nomen, tum æqualem nominis rationem

tionem; nec æquivocè ſive quoad nomen tantum, ac ſi ratio nominis eſſet prorsùs diverſa; ſed Analogicè, ſive tum quoad nomen tum quoad rationem nominis, ſed inæqualiter. Hæc etiam *Attributa* de Deo dicuntur originalitèr, independentèr, & eſſentialitèr; de Creaturis autem ſecundariò, per dependentiam, & participativè; unde Fideles dicuntur *Divinæ Naturæ participes* 2 Pet. 1. 4.

Alia eſt hæc *Attributorum* & *Idiomatum Communicatio*, ab eâ quam humanæ Naturæ Chriſti vendicant *Ubiquitarij*. Communicationem in *Concreto* reſpectu Perſonæ Chriſti agnoſcimus, Communicationem formalem in *Abſtracto* reſpectu Naturæ negamus; ſic Chriſtus ex duabus Naturis quaſi concretus, qui Homo eſt Omniſcius reſpectu Perſonæ, non quâ Homo *abſtractè*.

Attributorum affirmativorum communicationem *Analogicam* Creaturis dari, concedimus; *Formalem* per transfuſionem eorundem quæ ſunt in *Deo* in humanam naturam Chriſti rejicimus.

Secundò, *Attributa* efferuntur *alia Negativè*, *alia affirmativè*. *Diviſio* II.

Quum enim nè Muſcæ quidem natura nobis unquam nota fuit, multò minùs à nobis percipi poteſt, quid, propriè loquendo, ſit ipſius Dei Natura & Eſſentia; quoniam autem neceſsè eſt, ut quicquid Perfectionis ineſt Creaturis analogicè, in Deo reperiatur, modo quodam longè eminentiori, & ut quicquid ſit in ijs imperfectum à Deo removeatur, indè diſtributio hæc *Attributorum* ortum ſumpſit, ſcil. Quædam eorum ſunt *Affirmativa*, ut *Sapientia*, *Juſtitia*, *Bonitas*, &c. Quædam *Negativa*, ut *Inviſibilitas*, *Immenſitas*, *Immortalitas*.

Quædam efferuntur *Abſolutè*, ſine ullâ relatione ad Creaturas; ſic dicitur *Æternus*, *Immenſus*, &c. *Diviſio* III.

Quædam *Relati*. Hæc non ab æterno, ſed in tempore Deo competunt, quatenùs *Relationem ad Creaturas indigitant*, ut, *Creator*, *Dominus*, *Rex*; formalis enim ratio *Relationis* non eſt, aut *eſſe per ſe*, aut *eſſe* in *alio*, ſed *eſſe ad*.

Diviſio IV. Quædam etiam *Attributa agnominantur*,

Propriè, ut cùm dicitur *bonus*, *ſanctus*, *juſtus*, &c.
Impropriè, & *ἀνθρωποπαθῶς*, ut cum membra corporea Deo tribuuntur, *Manus*, *Brachia*, &c. quibus nos ſuſtentat & protegit.

Ità quidem plurimi hanc Diſtinctionem uſurpant; ſin propiùs rem conſideremus, *Nulla* in Deo ſunt *Attributa Propriè*, 1. juxta rationes eorum formales.

Incommunicabilia non ſunt in Deo *Propriè*; tribuuntur enim per negationem Imperfectionum; ut *Simplicitas*, licet vox ſit poſitiva, eſt tamen, quoad *Rem*, negatio *Compoſitionis*: & *Æternitas* non à nobis concipitur niſi per negationem *Succeſſionis*: *Infinitas* & *Immenſitas* negationem dicunt *Limitum* & *Terminorum*.

Neq; *Communicabilia* ſunt in Deo *propriè*; ſunt enim perfectiones rerum creatarum, & in Deo *eminentèr* & *virtualitèr*, non juxta *rationes formales* quales in Creaturis obtinent. Attamen, quum *Attributa* quæ à partibus corporeis aut paſſionibus humanis ducta ſunt, intelliguntur unam ſpeciem Attributorum conſtituere, tum per ſpeciem oppoſitam (quam *propriè dictorum* appellant) neceſſe eſt, ut cætera omnia intelligamus, licet haud *propria* ſit Appellatio. Deum verè *vivere*, *velle*, *juſtum eſſe*, & *miſericordem*, &c. lubentèr agnoſcimus; *propriè* autem in Deo eſſe iſtiuſmodi *Attributa*, & *formalitèr* (ut rotundè pronunciant nonnulli) non facilè concedimus.

Attri-

Attributa dicuntur de Deo quandoque in *Abſtracto*; ut, cum dicitur, *Vita*, *Charitas*, &c. quandoque in *Concreto*; ut cum dicitur *Vivens*, *Salvator*, *Juſtus*, &c. *Diviſio* V.

De Deo dici poſſunt in *Abſtracto* & *abſolutè*, quæ de Creaturis tantùm in *Concreto* & cum *limitatione*, quia Deo ſunt Eſſentialia, Creaturis accidentia.

SECTIO. III.

De Attributis quibuſdam in particulari.

DE *Attributis particularibus* copioſiùs tractârunt *Zanchius*, *Polanus*, & alij; de præcipuis eorum nonnulla breviter ådnotabimus.

Perfectio Divinæ Naturæ eſt, quaſi aliorum *Attributorum* compendium: *Matth.* 5. 48. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter, qui eſt in cœlis, perfectus eſt.* Gen. 17. 1. *El Schaddai, ſibi ſufficiens.* Act. 17. 25. *Nullius rei indigens eſt, cum ipſe det omnibus vitam, halitum, & omnia*, &c. Attamen neceſſe eſt alia Dei *Attributa* (ſecundum noſtrum concipiendi modum, ad quem non rarò Deus ſe accommodat in Scripturis) diſtinctis notationibus exprimere; aliter enim deſcribere oportet *Sapientiam* quam *Potentiam*; aliter Dei *Miſericordiam* quam *Juſtitiam*, &c. Et clariùs patebit cujuſque Attributi Natura, ſi juxta partitionem ſequentem diſcernantur.

Attributa prorſus Incommunicabilia Creaturis, dicuntur à quibuſdam.

I. *Attributa Primi Generis*; ſuntque *Simplicitas*, & *Infinitas*, quæ ita appellatur, vel reſpectu

Durationis; ut *Æternitas:* Vel,
Præſentiæ; ut *Immenſitas*, quæ, ſub notione non multùm abſimili, eſt *Omnipræſentia.*

Huc etiam (ratione *Infinitatis*) referri quodammodò poſſunt cætera *Attributa*, nempe quatenùs concipiuntur eſſe in Deo *eminenter* & *modo infinito*, ut *Omniſcientia*, *Omnipotentia*, *infinita Sapientia*, *Juſtitia*, *Miſericordia*, &c. alias, *Attributorum alterius* generis ordinem conſtituunt, ut ſequuntur.

II. *Alia ſecundi Ordinis*, & communicabilia tribuuntur Deo per *Analogiam*; vel ad

1. *Ipſum Eſſe Rei finitæ*, ut *Eſſentia*, *Vita.*
2. *Facultates* quaſdam Creaturarum Spiritualium; ut *Intellectus*, *Voluntas*, & *Exequendi Poteſtas.*
3. Iſtarum *Facultatum Habitus* aut *actus*; ut *Scientia*, *Sapientia*, *Gratia*, *Miſericordia.*

De Simplicitate Divinæ Eſſentiæ.

Simplicitas dicit negationem *Compoſitionis*. In Deo omninò nulla eſt. *Compoſitio*; 1.

1. *Non Logica*, ex *Genere* & *Differentia*; qui ſupra omne *Genus* eſt, & *Singulare:* adeò ut nullius *Speciei* Differentiâ egeat, quâ ab aliis diſtinguatur.

2. Non *Phyſica*, ſcil. ex materiâ & formâ, quia *incorporeus*; non ex *Subjecto* & *Accidente*; quamvis enim multæ proprietates quaſi tot Accidentia Deo tribuantur, illud non fit niſi noſtro intelligendi modo; *Perfectiſſimo* enim nihil addi poteſt, aut accidere, quo ulteriùs perficiatur.

3. Non *Metaphyſica*, ſcil.

Non

Non *ex Eſſe*, ſive *Exiſtentiâ*, & *Eſſentiâ*; quia Deus non concipi poteſt non exiſtere; atque hæc duo ita in Deo ſunt, ut neque ex ijs *componatur*, nec re ipſa diſtinguantur; quià in Deo *Separatim* concipi nequeunt: ideoque *Eſſentia* Deo tribuitur in Scripturis cum triplici temporis differentiâ; *Qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt*; Apoc. 1.

4. Non ex *Actu* & *Potentiâ*, quia mutationis neſcius, & Perfectior quam ut quidquam recipiat.

5. Non ex *Naturâ* & *Subſiſtentiâ*, ſive *Perſonâ*; quia *Relationes* ſive *Perſonæ* in S. Trinitate non habent *Eſſentiam* aliam ab *Eſſentiâ* Dei: tum enim eſſet *Quaternitas*; ſed tanquam *Modi* ſunt qui non componunt, etiamſi quodammodò diſtinguant. *Diſtinctionem* verò *Simplicitas* non excludit, ſed *Compoſitionem*. Aliud eſt *Diſtinctum* aut *Multum*, aliud *Compoſitum*. Atque in rebus finitis *Ens* dividitur in ſimplex & compoſitum; non in Simplex & Diſtinctum ſive multum.

Eſſentia Divina Singularis eſt, atque licet Tribus *Perſonis* Communis ſuo modo, *Perſona* tamen non addit aliquid *reale* Eſſentiæ; quia *aliud* & *aliud* eſſe in Deo impoſſibile eſt. Aliter in Creatis ſe res habet; Nam in unoquoque *Suppoſito* Creato, ſingularis eſt aliqua Differentia, quæ naturam communem ad ſe reſtringit; unde aliud eſt *Petrus*, aliud *humanitas*; in Deo autem non ſunt Res diverſæ. Ità communitèr loqui ſolent Theologi per modum negationis; quemadmodum verò ſint *idem* in Deo *poſitivè* non capit humanus intellectus. In unione *Hypoſtaticâ* Chriſti non eſt compoſitio *Partis cum Parte*, ſed Aſſumptio humanæ naturæ in Filii *Hypoſtaſin*, quæ ad naturam iſtam ſe habet, ut perficiens & ſuſtentans Adjunctum perficiendum & ſuſtentandum, quo nihil accidit Naturæ Divinæ

In Deo igitur eſt *Trinitas* quæ ad Perſonas refertur, non *Triplicitas* quæ ſpectaret *Eſſentiam*, & *Unus* eſt *Deus*, licet *Trinus* ſit *Perſonis*.

Obj: *Compoſitus* eſt Deus, nam jurat per animam, *Amos* 6. 8.

Sol. Alibi explicatur eſſe juramentum per ſeipſum, ità etiam ille ipſe Textus redditur quibuſdam Verſionibus.

Obj. Dicitur *vitam habere in ſeipſo, iraſci, lætari, dolere*, &c.

Sol. Sed ἀνθρωποπαθῶς, nec illi ineſt vita per modum accidentis. *Ipſe enim vita eſt*, Joh. 14. 6. 1 Joh. 1. 2.

Obj. Attributa, prout in Deo, ſunt ipſe Deus; ergò cùm multa ſint, Deus eſſet multiplex.

Sol. *Attributa Divina*, prout conceptibus noſtris formantur, multiplicia ſunt, & à ſe invicem differentia; ſed, prout in Deo, ab eo non differunt; Unica enim *Eſſentia Divina* omnes illas *perfectiones* in ſe complectitur, ſive eſt quælibet eorum eminentér.

Obj. Neceſſarium & liberum non identificantur; ſed Deus eſt Ens neceſſarium; Decreta, autem in Deo, Libera.

Sol. 1. Deus eſt Ens neceſſarium; ergò non Ens liberum ad *eſſe* & *non eſſe*: Sed Liberrimum ad agendum aut non agendum hoc vel illud, neceſſe eſt Deum eſſe; ſed non neceſſe erat Deum Mundum creâſſe, aut hoc vel illo ſtatu ac ordine.

2. Decretum, quatenus in Deo, eſt neceſſarium, ſive ipſa Eſſentia Dei actuoſa (ut loquuntur) ſed quatenus varia objecta reſpicit, ſive quatenus relationem habet ad Creaturas, & ratione termini ad extra, eſt Liberum.

Inſt. Unumquodq; Decretum, etiam quatenus in Deo, ſuum habet Objectum, nec tantum in *eſſe Cognito*; ſed quà *futuro*, aliàs decerneretur nihil, nec Reſpondendum quod Decretum ratione termini ſit Liberum, non ratione Principii, aut quatenus eſt

eſt in Deo; nam non eſt Decretum antequam referatur ad Objectum futurum, ſive antequam Objectum ipſum decernatur.

Cautè ergò reſpondent nonnulli, quòd cùm Decretum fuiſſe in Deo ab æterno negari non poteſt, non ſolicitè de modo inquirendum eſt dummodò non dicatur ineſſe tanquam accidens, impoſſibile enim eſt, ut Intellectus finitus *modum* capiat quo ſint in Deo, quæ tamen in Deo eſſe eminentèr negare non poſſumus, *eſſe* enim in Deo *eminentèr*, eſt *ineſſe Modo quodam perfectiore*, quàm in Creaturis, ſed ſub quâ formalitate nos latet. *Sol.*

Si non ſint aliud & aliud in S. Trinitate, Filius tamen & Pater uterq; Deus, tum verè dici poſſit, Pater eſt Filius, & Filius eſt Pater: nam quæ ſunt idem in uno tertio, ſunt idem inter ſe. *Obj.*

Verum non eſt iſtud axioma, quando illa quæ ſunt idem in uno tertio, non ſunt tum re tum ratione idem. Sic in rebus creatis *Radius eſt re idem cum ſuâ luce & calore*, ſed *lux & calor ratione quâdam diſtinguuntur à Radio*. Intellectus etiam & voluntas diſtinguuntur realitèr inter ſe, ab Eſſentiâ verò animæ non niſi Ratione diſtingui ſtatuunt multi in re philoſophicâ periti admodùm & exercitati. *Sol.*

De Infinitate Dei, Æternitate, Immenſitate, & Omnipræſentiâ.

Infinitas Deo tribuitur, tum ratione *Durationis* quà *æternus*; tum ratione *Præſentiæ*, ſive *Ubiquitatis*, quâ *Immenſus*, & *Omnipræſens* dicitur.

Æternitas ſumitur interdum pro longo tempore, ſic Sabbatum & Circumciſio dicuntur *Pacta æterna*, Deut. 15. 17. Servus qui tempore à Deo conſtituto exire nollet è ſervitute, jubetur ſervire *in æternum*, i. e. per totam vitam, aut ad Jubilæum.

Interdum ſumitur pro eo quod finem non habet quamvis initium habuerit, ut *vita æterna. Propriè* verò pro eo quod nec *initium* nec *finem* habet.

Juxta *Boëthium, Æternitas* eſt vitæ interminabilis, tota ſimul, & perfecta *poſſeſſio.*

[Quæ loquendi formula, cum aliis id genus quomodò ſit intelligenda, pateat ex iis quæ dicta ſunt §. prima hujus C. & mox dicenda] *Propriè* tribuitur Deo; ille enim *Æternitatem habitat*, Iſa. 57. 15. *Sempiternus Rex eſt*, Jer. 10. 10. Rom. 1. 20, 1 Tim. 1. 17. Non tantùm à parte *poſt*, ſed à parte *ante*, *æternus eſt*, Iſa. 44. 6. *Pſ.* 19. 2.

Quidam ſtatuunt Angelos longè ante Mundum viſibilem creatos fuiſſe, non autem indè ſequitur, eos fuiſſe ab æterno; quamvis pro iiſdem communitèr habentur locutiones iſtæ, [*fuiſſe ante jactum Mundi fundamentum*, & *fuiſſe ab æterno*] ſic, *Act.* 15. 18. *Eph.* 1. 4, &c.

Niſi autem Deus fuiſſet abſolutè ab æterno, fuiſſet à priore quodam ortus, *Ille* verò *primus eſt* & *ultimus*, Iſa. 44. 6. & 41. 4. Apoc. 1. 8.

Dicitur quidem à ſeipſo eſſe *αὐτὸ ὢν*, ſed appellato illa non ſignificat *affirmativè*, à *ſeipſo* ortum habere, ſed *negativè*, quod ſit à *nullo dependens.*

Imò Tempus ipſum & Sæcula à Deo condita dicuntur, *Col.* 1. 16. *Heb.* 1. 2.

Quæſt. *Eſtne Dei Æternitas* ſine *aliquâ ſucceſſione*, & *tota ſimul?*

Reſp. 1. Affirmant Patres & Scholaſtici; & S. Scripturæ omnes temporis differentias ſimul Deo tribuunt, *Pſ.* 102. 27. *Cæli peribunt, tu permanes*, Job 36. 26. Heb. 13. 8. *Chriſtus heri, hodiè, & in ſæcula*, Apoc. 1. 8. Prov. 8. 23.

2. In Deum non cadit Succeſſio temporis; ergò nec in Attributum eſſentiale, quod cum Deo idem eſt (Temporanei verò cum ſumus, non niſi tempori congruentes conceptus de æternitate, ſive

rebus

rebus æternis formare poſſumus) imò nullius rei duratio differt à re ipsâ niſi *Ratione*. Nam duratio rei eſt res cum negatione deſtructionis, hinc *Æternitas* qualis ſemper fuit, talis ſemper erit. Attamen quoad conceptus noſtros *Æternitatis duratio*, concipi non poteſt niſi per diſtinctionem *præteriti*, *præſentis*, & *futuri*.

In omni ſucceſſione eſt reductio potentiæ ad actum, item *eſſe ad non eſſe*, & *à non eſſe ad eſſe*, nihil autem in Deo eſt quod non ampliùs eſt, *Exiſtentia* illius parti perditæ non ſuccedit nova, quam anteà non habuit. 3.

Notitiæ Dei omnia ſunt præſentia citra ſucceſſionem, & unico intuitu conſpectat omnia, Act. 15. 18. Heb. 4. 13. 4.

Dicitur res præſcire. *Obj.*

Illud dicitur reſpectu rerum ipſarum, quæ præſcientia Dei poſteriores ſunt, quamvis ſuo tempore co-exiſtunt. *Sol.*

Tum res ipſæ ſimul eſſent, & non eſſent. *Excep.*

Ità diverſo reſpectu ſunt *futura*, ſi earum *exiſtentia* ſpectetur. *Præſentes* divinæ præſcientiæ in *Æternitate*, ſic Navis præſens eſt mari quocunq; fluit. *Sol.*

Si *præteritum* & *futurum* co-exiſtant *Æternitati*, tum ſibimet ipſis co-exiſtent, eo quod uni tertio co-exiſtunt. *Obj.*

Cum *Æternitate* ſimul exiſtunt, non confusè, ſed eo ordine quo exiſtunt. *Sol.*

Res nunquam inciperent aut deſinerent, orirentur aut occiderent, quià ſemper *præſentes* eſſent *Æternitati*. *Obj.*

Oriuntur & occidunt reſpectu Exiſtentiæ ſuæ in tempore; *præſentes* autem erant *Æternitati* abſq; reſpectu *prioritatis* aut *poſterioritatis*, quæ in *Æternitate* locum non habent; ſic *Iſaac Abrahamo* ſuccedebat, *Jacobus Iſaaco*, & omnes jam mortui vivunt Deo. Alter ſcil. alteri ſuccedebat, quia cujuſq; *Sol.*

juſq; eorum exiſtentia erat in ſe ſucceſſiva, reſpectu tamen notitiæ divinæ in quâ nulla eſt prioritas & poſterioritas, neceſſe eſt ut ſine prioritate aut poſterioritate illi innoteſcerent.

Ad Durationem Eſſentiæ Dei referri poteſt illius Immutabilitas, quæ licet ab Æternitate nonnihil differat, ei tamen affinitate annectitur, nec in æternum durat quod mutari poteſt.

Hæc Dei *Immutabilitas* in S. Literis crebrò celebratur, *Pſ.* 102. 27. *Mal.* 3. 6. *Ego Dominus non mutor*, Jac. 1. 17. *In eo non eſt mutationis adumbratio*, quamvis *Immutabilitatem voluntatis, non exiſtentiæ*, indè probari velint nonnulli: Accinit ratio, nam quod mutatur non eſt neceſſarium; Deus autem eſt Ens ſummè neceſſarium.

Obj. Quod pendet à Conditione mutabili eſt mutabile: Deus in Executione Promiſſionum & Communicationum pendet à conditione iis annexa, quæ pro liberâ humanæ voluntatis Electione mutabilis eſt.

Sol. Quæ mutabilia ſunt reſpectu Cauſæ ſecundæ, certiſſima & immota ſunt reſpectu præſcientiæ, Conſilii, & Decreti Divini.

Obj. *Verbum* dicitur *Caro factum*, Joan. 1. 14. ergò mutatur.

Sol. Fieri ſæpè dicuntur, quæ cum aliâ re conjunguntur, ut quod *Joan.* 1. 14. factum dicitur, exponitur, *Phil.* 2. 7. per aſſumptum, & *Heb.* 2. 14. *Particeps factus eſt.*

Obj. Mutavit præcepta & opera; primò docuit Eccleſiam ſine verbo ſcripto, poſteà per ſcriptum; olim per Typos & Ceremonias, poſteà ſine Typis.

Muta-

Mutatio facta eſt in *Objecto*: Nam reſpectu Dei quælibet diſpenſatio reſpondet uni eidemq; Conſilio, quod in tempore per partes & ordine definito exequitur. *Sol.*

Deus ſcivit Chriſtum naſciturum antequam natus erat, hoc non ſcivit poſtquam natus erat. *Obj.*

Hinc ſequitur mutatio *Objecti* non *Scientiæ* divinæ, quæ in æternitate ſcivit Nativitatem Chriſti olim futuram, jam præteritam, ampliùs non futuram. *Sol.*

Scriptura tribuit Deo *pœnitentiam*. *Obj.*

Ἀνθρωποπαθῶς ſolummodò. Per pœnitentiam ſignificatur voluntas mutandi *Opus* abſq; mutatione *Voluntatis divinæ*; alitèr pœnitentiam Deo tribuendam non docet Scriptura. *Non eſt Homo quem pœniteat.* Vide etiam quæ de *Voluntate Dei*, §. 5. *Sol.*

Infinitas etiam tribuitur Deo ratione Ubiquitatis & *Præſentiæ* ſuæ, undè *Immenſus* & *Omnipræſens* denominatur, *Job* 11. 8. *Altior Cœlo, profundior Abyſſo*, 1 Reg. 8. 27.

Præoccup. Deus ubiq; eſt, non tantùm per virtutem & potentiam ſuam, ſed per Eſſentiam. *Pſ.* 139. *Quo abeam à Sp. tuo?* Iſa. 66. 1. Jer. 23. 24. *Scrutatur corda*, Matt. 28. 20. Voces quibus utitur Scriptura, non tantùm Gloriam aut Virtutem aliquam Dei, ſed ipſum Deum deſignant; ſi *ſubſtantiam* à Deo *diſtinctam* notarent, *pluralitatem* Deorum inferrent; ſin accidens, cuinam ſubjecto inhæret?

Non tantùm per Angelos aliaq; inſtrumenta Mundum adminiſtrat, neceſſe enim eſt, ut illos Miniſtros ſuſtentet & regat.

Cœlum dicitur Habitaculum Dei, ſed non acſi eo includatur: Fideles enim pariter ſunt *Templum ejus*, 2 Cor. 6. 16. & *ædificavi tibi* (inquit *Solom.*)

Solom.) *in quo reſideas in ſæcula*, 1 Reg. 8. 13. Num propterea nuſquam fuit alibi?

Non inficitur ſordibus, quamvis illis æquè ac Cœleſtibus præſens ſit, ut nec Sol fimeto affulgens. Novit *cogitationes* Davidis è *longinquo*, Pſ. 139. 2. quamvis ibi de *longinquitate temporis* loquitur Pſalmiſta, non *loci*, ut ex verbis ſequentibus conſtat, *quùm nondum eſt ſermo in Linguâ*, alibi tamen cùm reſpicit ad locum *altiſſimè habitare* dicitur, *demiſſè proſpicere*, Pſ. 113. 5. *Aſcendiſſe*, *deſcendiſſe*, *veniſſe*, *abiiſſe*; ſed ἀνθρωποπαθῶς. Videtur in Cœlo, ſed mentis oculo non corporis, 1 *Tim.* 6. 16.

Obj. Qui dicunt Deum totum eſſe in quolibet, etiam minutiſſimo, loco, videntur Majeſtatem in anguſtum deducere.

Sol. Veritatem Rei, non modum efferunt; certum eſt Eſſentiam Dei eſſe ubicunq; ſit & totam, non quaſi pars una hic eſſet, altera illic. Exigit hoc ſpiritualis ejus Natura, quæ partes non habet. *Tota plenitudo Deitatis corporaliter habitavit*, in humanâ naturâ Chriſti, *Col.* 2. 9.

Obj. Non videtur eſſe extra Circuitum Cœli *Empyræi*, quoniam extrà non eſt locus.

Sol. Regerendum eſt illud *Tertul.* adverſus *Praxeam*. *Ante omnia Deus erat ſolus, ipſe ſibi & locus, & mundus, & omnia.*

SECTIO IV.

FUerunt Attributa prorsùs *Incommunicabilia*, ſequuntur *Communicabilia*, quæ (quamvis ob *Infinitatem eorum*, quatenus ſunt *in Deo*, ab iis quæ Primi Generis dicuntur, non ſunt ſegreganda, quatenus tamen denominantur à *Perfectionibus* creatis quæ in Deo qui nullâ perfectione deſtituitur, neceſſariò inſunt modo eminentiſſimo) alterum di-

ſtribu-

ſtributionis ramum conſtituunt. Memores duntaxat ſimus, *Perfectiones iſtas*, quas in Creaturis finitas eſſe deprehendimus, quales ſunt *Scientia*, *Potentia*, &c. *in Deo eſſe modo eminentiſſimo* & *infinito*, ideóq; *Omniſcientia*, *Omnipotentia*, &c. appellantur, & quaſdam eſſe virtualitèr in Deo. i. e. *Eſſentiam Divinam* ab iis denominari quatenùs perfectiones in Creaturis, aut productivæ ſint effectuum ejuſdem generis cum iis, quos virtutes illæ creatæ, pro mediocritate virium ſuarum, producere ſolent, ut, *Intellectus*, *Voluntas*, &c.

Attributa hujus Generis tribuuntur Deo per Analogiam, vel ad ipſum 1. *Eſſe Rei finitæ; ut, Eſſentia & Vita abſolutè immortalis, vel ad* 2. *Facultates quaſdam Creaturarum Spiritualium, earumve* 3. *Facultatum habitus, aut Actus perfectionem præ ſe ferentes, ideoq; Deo eminentiori modo tribuenda.*

De Eſſentiâ Dei.

Eſſentia proprietate maximâ, primariò, & independentèr Deo tribuitur, ideóq; auguſtum illud nomen *Jehova*, ὁ ὢν, ſibimet eſt à ſeipſo impoſitum, *Exod.* 3. 14. Nempè ἀπὸ τοῦ εἰμὶ *ſum*, dictus ὁ ὢν. *Proprietas* eſt quæ illi præ omnibus jure optimo convenit; *qui eſt*, *qui erat*, & *qui futurus eſt*, à quo etiam omnia ſuum *Eſſe* accipiunt.

Eſſentiam Deo tribuimus, non quamlibet, v. gr. non *Accidentium*, ſed *Subſiſtentem*, i. e. *Subſtantiam.* Quæ tamen *Eſſentia*, quamvis loco Generis quandoq, ponitur in illius Deſcriptione, eſt *Genus* duntaxat *Analogum*, non propriè dictum, inæqualitèr enim prædicatur de Deo, & alijs Eſſentijs, eò quod omnia per eum ſubſiſtunt, *Col.* 1. 17. *Subſtantia* etiam propriè dicta ſubſtat. Accidentibus quæ in Deo locum non habent.

Spiritus non eſt, *Jer.* 10. 14. *Iſa.* 42. 17. cum ipſis excellentiores ſunt, & ab iis potiùs adorandi.

SECTIO V.

Attribuuntur Deo per Analogiam ad Facultates Creaturarum Spiritualium Facultas Dirigens, nempè Intellectus, Imperans, Voluntas, Exequens, Potentia.

De Facultatibus in Deo Intellectui & Voluntati Analogis.

QUamvis Facultates Angelorum & Animæ humanæ referant Imaginem Dei, & Deus ad ſui ipſius exemplar hominem iis inſtructum creavit, non ipſe hominibus aſſimilatus. Noſtra tamen Dei notitia, ordine retrogrado à nobis orditur, & ab iis quæ in nobis ſunt ſpiritualia, aut ſuprà fæces terrenas elevata, conceptus formamus divinarum quarundam Perfectionum: non acſi ſub formalitate facultatum humanarum aut actuum indè prodeuntium Deo ineſſent; ſed quaſi *perfectiones* quæ Deo eminentèr, ſive modo quodam cœleſti *Majeſtate* digno ineſſe ſupponuntur, quemadmodum in hoc capite ſæpiùs indicavimus.

De Habitibus Intellectûs, eorumq; Actibus, nempè Scientia & Sapientia. Scientia Dei vocatur alia Simplicis Intelligentiæ, alia Viſionis.

1. *Simplicis Intelligentiæ*, quâ novit non *futura* modo ſed *Poſſibilia*, etiamſi nunquam futura ſint.

Vocatur

vocatur hæc etiam *Indeterminata*, *Naturalis*, & *Neceſſaria*.

2. *Viſionis*, quâ novit quæ futura erant, hæc aliàs Scientia determinata & libera vocatur.

Præter has tertiam fingunt Jeſuitæ; nempè *Mediam* ſeu *Conditionatam*, quam *diſtinctam* eſſe velint tam à *Scientiâ Naturæ* quam *Liberæ*, ſcil. hoc vel illud eventurum, prout hominis voluntas huc vel illuc ſe verſura erat. Hæc tamen quomodò admittenda eſt (ſenſu ſcil. & conſilio à Jeſuitico longè alieno) & ad Scientiam *Simplicis Intelligentiæ* referenda, C. quinto §. ſecundâ indicabitur.

Si *determinata*, & *Infallibilis* eſſet *Præſcientia Divina*, inane eſſet virtuti ſtudere, inania eſſent Conſilia, Solertia, Conamina Nulla præmia bonis deberentur nec malis pœnæ. *Obj.*

Neceſſitas non imponitur *Cauſæ ſecundæ* per *Præſcientiam primæ*, quod firmatur ab Exemplo *Hezekiæ*, *Iſa*. 38. 1. *Pauli* etiam & cum ea navigantium, *Act*. 27. 22, *&c.* prævifus & prædictus erat Eventus, illæſa tamen manſit Navigantium Libertas. *Sol.* *Vid.* C. 5.

De certitudine autem Præſcientiæ Divinæ tot Teſtes quot Prophetæ, Tertul.

Iſa. 5. 4. Deus *expectâſſe* dicitur *uvas*, *inveniſſe labruſcas*. *Obj.*

Expectâſſe dicitur, non quod *de Eventu* incertus erat, ſed quod longanimitatem oſtenderet, *Rom*. 9. 22. 1 *Pet*. 3. 20. *Sol.*

Gen. 22. 12. Deus *tunc* agnovit *Abrahamum* ipſum revereri. *Obj.*

Loquitur non de cognitione *ſimplici* ſed *experimentali*, aliàs enim nunquam non novit *Abrahamum* & *Corda aliorum*, 1 Reg. 8. 39. *Sol.*

De Fundamento quo nititur Certitudo *præſcientiæ* de futuris conting. vide, C. 5. §. 1.

Quæſt. *Eſtne Scientia Dei Cauſa Rerum.*

Reſp. Etiamſi ità ſtatuerit *Auguſt.* quem *Aquinas* ſequitur, Rectiùs tamen alii, nam intellectus operatur per voluntatem.

Obj. *Intellectus* Dei eſt ipſa *Eſſentia Dei*; Voluntas etiam in Deo cùm Intellectu identificatur.

Sol. *Intellectus* operatur per *Rem iſtam* quæ eſt *Intellectus*, ſed non quâ eſt *Intellectus.*

Obj. Omnia creavit per *Verbum*, & *Verbum* eſt *Intellectus*, Joh. 1. 3.

Sol. Per Verbum ibi non intelligitur *nuda Intellectûs* operatio, ſed Operatio *Voluntatis Chriſti*, quæ per *Intellectum* dirigitur.

De Sapientiâ Dei.

Sapientia Dei tum Scripturis tum Operibus ſuis diverſis celebratur & inclareſcit, *Dan.* 2. 20. *Sapientia illius* eſt, & *Sapientibus dat Sapientiam*, Prov. 8. & 15. *Per eam Reges regnant*, & *Legiſlatores juſta decernunt. Eam poſſedit in initio viarum ſuarum. Solus Sapiens vocatur*, Rom 16. 27. 1 *Tim.* 1. 17.

Sponte hoc agnoſcit quiſquis corporis humani conformationem, totiuſq; univerſi fabricam & partium illius Ordinationem dignè contemplatur, & quùm accuratè obſervat quali menſurâ, numero & pondere diſponuntur omnia, fieri nequit ut non totus in admirationem eorum rapiatur. Sic B. *Paulus* multiformem Dei Sapientiam in Diſtributione Gratiæ relucentem ſeriò recognoſcens, in admirationem erumpit, *O Altitudo divitiarum ſapientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & viæ ejus imperveſtigabiles!* Rom. 11. 33.

De Voluntate Dei cum Habitibus & Actibus ei tributis.

Voluntas Deo tribuitur, quâ *Principium* quorumcunq; Eventuum, *Apoc.* 4. 11. *Creaſti omnia, & propter Voluntatem tuam ſunt, & creata erant.*

Ab eâ *Decretum* differt (pro captu finito) ut Effectus à Causâ. Actus enim abſq; facultate, undè proficiſcatur, eſſe nequit, *Eph.* 1. 11. *Operatur omnia ex conſilio voluntatis ſuæ. Actiones* ejus ſunt vel

Neceſſariæ, atq; illæ vel *abſolutè*, ſic *vult & amat ſe ipſum*; vel ſecundum quid, ſic Actiones quædam ſunt internæ in Creaturas, quas licet *liberè creat*, non tamen niſi *juſtas* & *bonas* creare poteſt, alioquin *non amaret* quando creatæ ſunt, vel *Liberæ*; quas extra *eſſentiam ſuam producit.*

Qui optima ſemper neceſſariò vult, quædam neceſſariò vult. *Obj.*

Ex Hypotheſi ſcil. quando vult, optima vult. *Sol.* 1.

Quæ fecit, bona fecit valdè, potuit tamen eadem aliâ bonitatis ſpecie adornâſſe. 2.

Non poteſt velle mala, ſed quæ bona tanummodò, ergò non liberé. *Obj.*

Poſſe mala velle, eſt imperfectio, quâ iſta qui vult in bono non confirmatur. *Sol.* 1.

Liberrima Electio conſiſtit cum beatâ illâ determinatione Naturæ. Vid.c. 5. §. 1. 2.

Num Deus vult aut probat malum? Quæſt.

Malum eſt vel pœnæ vel culpæ. *Reſp.*

Ipſum malum Pœnæ quatenus eſt *Afflictio* & *Miſeria Creaturæ* non probat, *Ezek.* 18. 23. ſed quâ

In Deo igitur eſt *Trinitas* quæ ad Perſonas refertur, non *Triplicitas* quæ ſpectaret *Eſſentiam*, & *Unus* eſt *Deus*, licet *Trinus* ſit *Perſonis*.

Obj: *Compoſitus* eſt Deus, nam jurat per animam, *Amos* 6. 8.

Sol. Alibi explicatur eſſe juramentum per ſeipſum, ità etiam ille ipſe Textus redditur quibuſdam Verſionibus.

Obj. Dicitur *vitam habere in ſeipſo, iraſci, lætari, dolere*, &c.

Sol. Sed ἀνθρωποπαθῶς, nec illi ineſt vita per modum accidentis. *Ipſe enim vita eſt*, Joh. 14. 6. 1 Joh. 1. 2.

Obj. Attributa, prout in Deo, ſunt ipſe Deus; ergò cùm multa ſint, Deus eſſet multiplex.

Sol. *Attributa Divina*, prout conceptibus noſtris formantur, multiplicia ſunt, & à ſe invicem differentia; ſed, prout in Deo, ab eo non differunt; Unica enim *Eſſentia Divina* omnes illas *perfectiones* in ſe complectitur, ſive eſt quælibet eorum eminentèr.

Obj. Neceſſarium & liberum non identificantur; ſed Deus eſt Ens neceſſarium; Decreta, autem in Deo, Libera.

Sol. 1. Deus eſt Ens neceſſarium; ergò non Ens liberum ad *eſſe* & *non eſſe*: Sed Liberrimum ad agendum aut non agendum hoc vel illud, neceſſe eſt Deum eſſe; ſed non neceſſe erat Deum Mundum creâſſe, aut hoc vel illo ſtatu ac ordine.

2. Decretum, quatenus in Deo, eſt neceſſarium, ſive ipſa Eſſentia Dei actuoſa (ut loquuntur) ſed quatenus varia objecta reſpicit, ſive quatenus relationem habet ad Creaturas, & ratione termini ad extra, eſt Liberum.

Inſt. Unumquodq; Decretum, etiam quatenus in Deo, ſuum habet Objectum, nec tantum in *eſſe Cognito*; ſed quà *futuro*, aliàs decerneretur nihil, nec Reſpondendum quod Decretum ratione termini ſit Liberum, non ratione Principii, aut quatenus

eſt

eſt in Deo; nam non eſt Decretum antequam referatur ad Objectum futurum, ſive antequam Objectum ipſum decernatur.

Cautè ergò reſpondent nonnulli, quòd cùm Decretum fuiſſe in Deo ab æterno negari non poteſt, non ſolicitè de modo inquirendum eſt dummodò non dicatur ineſſe tanquam accidens, impoſſibile enim eſt, ut Intellectus finitus *modum* capiat quo ſint in Deo, quæ tamen in Deo eſſe eminentèr negare non poſſumus, *eſſe* enim in Deo *eminentèr*, eſt *ineſſe Modo quodam perfectiore*, quàm in Creaturis, ſed ſub quâ formalitate nos latet. *Sol.*

Si non ſint aliud & aliud in S. Trinitate, Filius tamen & Pater uterq; Deus, tum verè dici poſſit, Pater eſt Filius, & Filius eſt Pater: nam quæ ſunt idem in uno tertio, ſunt idem inter ſe. *Obj.*

Verum non eſt iſtud axioma, quando illa quæ ſunt idem in uno tertio, non ſunt tum re tum ratione idem. Sic in rebus creatis *Radius eſt re idem cum ſuâ luce & calore*, ſed *lux & calor ratione quàdam diſtinguuntur à Radio.* Intellectus etiam & voluntas diſtinguuntur realitèr inter ſe, ab Eſſentiâ verò animæ non niſi Ratione diſtingui ſtatuunt multi in re philoſophicâ periti admodùm & exercitati. *Sol.*

De Infinitate Dei, Æternitate, Immenſitate, & Omnipræſentiâ.

Infinitas Deo tribuitur, tum ratione *Durationis* quà *æternus*; tum ratione *Præſentiæ*, ſive *Ubiquitatis*, quà *Immenſus*, & *Omnipræſens* dicitur.

Æternitas ſumitur interdum pro longo tempore, ſic Sabbatum & Circumciſio dicuntur *Pacta æterna*, Deut. 15. 17. Servus qui tempore à Deo conſtituto exire nollet è ſervitute, jubetur ſervire *in æternum*, i. e. per totam vitam, aut ad Jubilæum.

Interdum ſumitur pro eo quod finem non habet quamvis initium habuerit, ut *vita æterna*. *Propriè* verò pro eo quod nec *initium* nec *finem* habet.

Juxtà *Boëthium*, *Æternitas* eſt vitæ interminabilis, tota ſimul, & perfecta *poſſeſſio*.

[Quæ loquendi formula, cum aliis id genus quomodò ſit intelligenda, pateat ex iis quæ dicta ſunt §. prima hujus C. & mox dicenda] *Propriè* tribuitur Deo; ille enim *Æternitatem habitat*, Iſa. 57. 15. *Sempiternus Rex eſt*, Jer. 10. 10. Rom. 1. 20. 1 Tim. 1. 17. Non tantùm à parte *poſt*; ſed à parte *ante*, *æternus eſt*, Iſa. 44. 6. *Pſ.* 19. 2.

Quidam ſtatuunt Angelos longè ante Mundum viſibilem creatos fuiſſe, non autem indè ſequitur, eos fuiſſe ab æterno; quamvis pro iiſdem communitèr habentur locutiones iſtæ, [*fuiſſe ante jactum Mundi fundamentum*, & *fuiſſe ab æterno*] ſic, *Act.* 15. 18. *Eph.* 1. 4, &c.

Niſi autem Deus fuiſſet abſolutè ab æterno, fuiſſet à priore quodam ortus, *Ille* verò *primus eſt* & *ultimus*, Iſa. 44. 6. & 41. 4. Apoc. 1. 8.

Dicitur quidem à ſeipſo eſſe *αὐτὸ ὢν*, ſed appellato illa non ſignificat *affirmativè*, à *ſeipſo* ortum habere, ſed *negativè*, quod ſit à *nullo dependens*.

Imò Tempus ipſum & Sæcula à Deo condita dicuntur, *Col.* 1. 16. *Heb.* 1. 2.

Quæſt. *Eſtne Dei Æternitas* ſine *aliquâ ſucceſſione*, & *tota ſimul?*

Reſp. 1. Affirmant Patres & Scholaſtici; & S. Scripturæ omnes temporis differentias ſimul Deo tribuunt, *Pſ.* 102. 27. *Cæli peribunt, tu permanes*, Job 36. 26. Heb. 13. 8. *Chriſtus heri*, *hodiè*, & *in ſæcula*, Apoc. 1. 8. Prov. 8. 23.

2. In Deum non cadit Succeſſio temporis; ergò nec in Attributum eſſentiale, quod cum Deo idem eſt (Temporanei verò cum ſumus, non niſi tempori congruentes conceptus de æternitate, ſive

rebus

rebus æternis formare poſſumus) imò nullius rei duratio differt à re ipsâ niſi *Ratione*. Nam duratio rei eſt res cum negatione deſtructionis, hinc *Æternitas* qualis ſemper fuit, talis ſemper erit. Attamen quoad conceptus noſtros *Æternitatis duratio*, concipi non poteſt niſi per diſtinctionem *præteriti*, *præſentis*, & *futuri*.

In omni ſucceſſione eſt reductio potentiæ ad actum, item *eſſe ad non eſſe*, & *à non eſſe ad eſſe*, nihil autem in Deo eſt quod non ampliùs eſt, *Exiſtentiæ* illius parti perditæ non ſuccedit nova, quam anteà non habuit. 3.

Notitiæ Dei omnia ſunt præſentia citra ſucceſſionem, & unico intuitu conſpectat omnia, Act. 15. 18. Heb. 4. 13. 4.

Dicitur res præſcire. *Obj.*

Illud dicitur reſpectu rerum ipſarum, quæ præſcientia Dei poſteriores ſunt, quamvis ſuo tempore co-exiſtunt. *Sol.*

Tum res ipſæ ſimul eſſent, & non eſſent. *Excep.*

Ità diverſo reſpectu ſunt *futuræ*, ſi earum *exiſtentia* ſpectetur. *Præſentes* divinæ præſcientiæ in *Æternitate*, ſic Navis præſens eſt mari quocunq; fluit. *Sol.*

Si *præteritum* & *futurum* co-exiſtant *Æternitati*, tum ſibimet ipſis co-exiſtent, eo quod uni tertio co-exiſtunt. *Obj.*

Cum *Æternitate* ſimul exiſtunt, non confusè, ſed eo ordine quo exiſtunt. *Sol.*

Res nunquam inciperent aut deſinerent, orirentur aut occiderent, quià ſemper *præſentes* eſſent *Æternitati*. *Obj.*

Oriuntur & occidunt reſpectu Exiſtentiæ ſuæ in tempore; *præſentes* autem erant *Æternitati* abſq; reſpectu *prioritatis* aut *poſterioritatis*, quæ in *Æternitate* locum non habent; ſic *Iſaac Abrahamo* ſuccedebat, *Jacobus Iſaaco*, & omnes jam mortui vivunt Deo. Alter ſcil. alteri ſuccedebat, quia cujuſq; *Sol.*

juſq; eorum exiſtentia erat in ſe ſucceſſiva, reſpectu tamen notitiæ divinæ in quâ nulla eſt prioritas & poſterioritas, neceſſe eſt ut ſine prioritate aut poſterioritate illi innoteſcerent.

Ad Durationem Eſſentiæ Dei referri poteſt illius Immutabilitas, quæ licet ab Æternitate nonnihil differat, ei tamen affinitate annectitur, nec in æternum durat quod mutari poteſt.

Hæc Dei *Immutabilitas* in S. Literis crebrò celebratur, *Pſ.* 102. 27. *Mal.* 3. 6. *Ego Dominus non mutor*, Jac. 1. 17. *In eo non eſt mutationis adumbratio*, quamvis *Immutabilitatem voluntatis, non exiſtentiæ*, indè probari velint nonnulli: Accinit ratio, nam quod mutatur non eſt neceſſarium; Deus autem eſt Ens ſummè neceſſarium.

Obj. Quod pendet à Conditione mutabili eſt mutabile: Deus in Executione Promiſſionum & Communicationum pendet à conditione iis annexa, quæ pro liberâ humanæ voluntatis Electione mutabilis eſt.

Sol. Quæ mutabilia ſunt reſpectu Cauſæ ſecundæ, certiſſima & immota ſunt reſpectu præſcientiæ, Conſilii, & Decreti Divini.

Obj. *Verbum* dicitur *Caro factum*, Joan. 1. 14. ergò mutatur.

Sol. Fieri ſæpè dicuntur, quæ cum aliâ re conjunguntur, ut quod *Joan.* 1. 14. factum dicitur, exponitur, *Phil.* 2. 7. per aſſumptum, & *Heb.* 2. 14. *Particeps factus eſt.*

Obj. Mutavit præcepta & opera; primò docuit Eccleſiam ſine verbo ſcripto, poſteà per ſcriptum; olim per Typos & Ceremonias, poſteà ſine Typis.

Muta-

Mutatio facta eſt in *Objecto*: Nam reſpectu Dei quælibet diſpenſatio reſpondet uni eidemq; Conſilio, quod in tempore per partes & ordine definito exequitur. *Sol.*

Deus ſcivit Chriſtum naſciturum antequam natus erat, hoc non ſcivit poſtquam natus erat. *Obj.*

Hinc ſequitur mutatio *Objecti* non *Scientiæ* divinæ, quæ in æternitate ſcivit Nativitatem Chriſti olim futuram, jam præteritam, ampliùs non futuram. *Sol.*

Scriptura tribuit Deo *pœnitentiam*. *Obj.*

Ἀνθρωποπαθῶς ſolummodò. Per pœnitentiam ſignificatur voluntas mutandi *Opus* abſq; mutatione *Voluntatis divinæ*; aliter pœnitentiam Deo tribuendam non docet Scriptura. *Non eſt Homo quem pœniteat.* Vide etiam quæ de *Voluntate Dei*, §. 5. *Sol.*

Infinitas etiam tribuitur Deo ratione Ubiquitatis & *Præſentiæ* ſuæ, undè *Immenſus* & *Omnipræſens* denominatur, *Job* 11. 8. *Altior Cælo, profundior Abyſſo*, 1 Reg. 8. 27.

Deus ubiq; eſt, non tantùm per virtutem & potentiam ſuam, ſed per Eſſentiam. *Pſ.* 139. *Quo abeam à Sp. tuo?* Iſa. 66. 1. Jer. 23. 24. *Scrutatur corda*, Matt. 28. 20. Voces quibus utitur Scriptura, non tantùm Gloriam aut Virtutem aliquam Dei, ſed ipſum Deum deſignant; ſi *ſubſtantiam* à Deo *diſtinctam* notarent, *pluralitatem* Deorum inferrent; ſin accidens, cuinam ſubjecto inhæret? *Præoccup.*

Non tantùm per Angelos aliaq; inſtrumenta Mundum adminiſtrat, neceſſe enim eſt, ut illos Miniſtros ſuſtentet & regat.

Cœlum dicitur Habitaculum Dei, ſed non acſi eo includatur: Fideles enim pariter ſunt *Templum ejus*, 2 Cor. 6. 16. & *ædificavi tibi* (inquit *Solom.*)

Solom.) *in quo reſideas in ſæcula*, 1 Reg. 8. 13. Num propterea nuſquam fuit alibi?

Non inficitur ſordibus,quamvis illis æquè ac Cœleſtibus præſens ſit, ut nec Sol fimeto affulgens. Novit *cogitationes* Davidis è *longinquo*, Pſ. 139. 2. quamvis ibi de *longinquitate temporis* loquitur Pſalmiſta, non *loci*, ut ex verbis ſequentibus conſtat, *quùm nondum eſt ſermo in Linguâ*, alibi tamen cùm reſpicit ad locum *altiſſimè habitare* dicitur, *demiſſè proſpicere*, Pſ. 113. 5. *Aſcendiſſe*, *deſcendiſſe*, *veniſſe*, *abiiſſe*; ſed ἀνθρωποπαθῶς. Videtur in Cœlo, ſed mentis oculo non corporis, 1 *Tim.* 6. 16.

Obj. Qui dicunt Deum totum eſſe in quolibet, etiam minutiſſimo, loco, videntur Majeſtatem in anguſtum deducere.

Sol. Veritatem Rei, non modum efferunt; certum eſt Eſſentiam Dei eſſe ubicunq; ſit & totam, non quaſi pars una hic eſſet, altera illic. Exigit hoc ſpiritualis ejus Natura, quæ partes non habet. *Tota plenitudo Deitatis corporaliter habitavit*, in humanâ naturâ Chriſti, *Col.* 2. 9.

Obj. Non videtur eſſe extra Circuitum Cœli *Empyræi*, quoniam extrà non eſt locus.

Sol. Regerendum eſt illud *Tertul.* adverſus *Praxeam*. *Ante omnia Deus erat ſolus*, *ipſe ſibi & locus*, & *mundus*, & *omnia*.

SECTIO IV.

FUerunt Attributa prorsùs *Incommunicabilia*, ſequuntur *Communicabilia*, quæ (quamvis ob *Infinitatem eorum*, quatenus ſunt *in Deo*, ab iis quæ Primi Generis dicuntur, non ſunt ſegreganda, quatenus tamen denominantur à *Perfectionibus* creatis quæ in Deo qui nullâ perfectione deſtituitur, neceſſariò inſunt modo eminentiſſimo) alterum diſtribu-

ſtributionis ramum conſtituunt. Memores duntaxat ſimus, *Perfectiones iſtas*, quas in Creaturis finitas eſſe deprehendimus, quales ſunt *Scientia*, *Potentia*, &c. *in Deo eſſe modo eminentiſſimo* & *infinito*, ideóq; *Omniſcientia*, *Omnipotentia*, &c. appellantur, & quaſdam eſſe virtualitèr in Deo. i. e. *Eſſentiam Divinam* ab iis denominari quatenùs perfectiones in Creaturis, aut productivæ ſint effectuum ejuſdem generis cum iis, quos virtutes illæ creatæ, pro mediocritate virium ſuarum, producere ſolent, ut, *Intellectus*, *Voluntas*, &c.

Attributa hujus Generis tribuuntur Deo per Analogigiam, vel ad ipſum 1. *Eſſe Rei finitæ*; *ut*, *Eſſentia & Vita abſolutè immortalis*, *vel ad* 2. *Facultates quaſdam Creaturarum Spiritualium*, *earumve* 3. *Facultatum habitus*, *aut Actus perfectionem præ ſe ferentes*, *ideoq;* *Deo eminentiori modo tribuenda.*

De Eſſentiâ Dei.

Eſſentia proprietate maximâ, primariò, & independentèr Deo tribuitur, ideóq; auguſtum illud nomen *Jehova*, ὁ ὤν, ſibimet eſt à ſeipſo impoſitum, *Exod.* 3. 14. Nempè ἀπὸ τοῦ εἰμὶ *ſum*, dictus ὁ ὤν. *Proprietas* eſt quæ illi præ omnibus jure optimo convenit; *qui eſt*, *qui erat*, & *qui futurus eſt*, à quo etiam omnia ſuum *Eſſe* accipiunt.

Eſſentiam Deo tribuimus, non quamlibet, v. gr. non *Accidentium*, ſed *Subſiſtentem*, i. e. *Subſtantiam*. Quæ tamen *Eſſentia*, quamvis loco Generis quandoq, ponitur in illius Deſcriptione, eſt *Genus* duntaxat *Analogum*, non propriè dictum, inæqualitèr enim prædicatur de Deo, & alijs Eſſentijs, eò quod omnia per eum ſubſiſtunt, *Col.* 1. 17. *Subſtantia* etiam propriè dicta ſubſtat. Accidentibus quæ in Deo locum non habent.

Dein

Dein *Subſtantia* dicitur non *corporea*, nequidem ſubtiliſſima, quia tum haberet terminos Eſſentiæ: Nec potuit eſſe in eodem loco cum alijs, *in eo* autem *ſumus* & *movemur*, Act. 17. 28. Nec eſſet *Perfectiſſimus* & *Simpliciſſimus*, ſed ex materiâ & formâ conſtans. Delirârunt ergo non ſolum Ethnici olim qui Deum *Formam mundi eſſe docuerunt.*

Virg. *Eſſe aliquam partem Divinæ mentis, & auras Æthereas dixere*——

Sed & Nuperi etiam *Libertini*, qui hominem per Regenerationem *Deificari* contenderent.

Dicitur quidem inſufflâſſe homini Spiritum vitæ; non quaſi homini impertiverit Spiritum de Spiritu, tanquam lumen de lumine: Sed exponitur *de Formatione* illius, *Zach.* 12. 1. *Format Spiritum hominis in medio illius*, & *Eccleſ.* 12. 7. *Spiritus redit ad Deum qui dederat eum.* Adde quod flatus rei non eſt res ipſa. Dicimur *Genus Dei*, Act. 17. 28. *Adamus filius Dei*, Luc. 3. ult. per Creationem, at non per Generationem: *Chriſtus* enim *Unigenitus eſt à Patre*, Joan. 1. 14. *Regeniti* dicimur *è Semine incorruptibili*, imò *Dei*, 1 Pet. 1. 23. Addit autem *Petrus*, *Semen* illud eſſe *Verbum quod* illis *evangelizatum erat*. *Conſortes* etiam *facti* dicimur *divinæ naturæ*, 2 Pet. 1. 4. explicatur autem clauſulâ annexâ, eo quod elapſi ex *corruptione quæ eſt in mundo per cupiditatem:* Non quòd aut ipſa Natura divina aut proprietates illius inſerantur; ſed quod virtutes quædam ſimiles (licet tum gradu tum naturâ diſpares) in *renatis* creantur.

Dum Ariani *Potentiam creandi* Filio Dei (quem meram Creaturam eſſe ſtatuebant) & *Ubiquitarii*, *Omnipræſentiam* Corpori illius communicatam eſſe contendunt, non tantum *Attributa* ſeu *Proprietates* ſecundum quid communicabiles, *i. e.* ſimiles

quo-

quodammodò qualitates, ſed alias abſolutè incommunicabiles, quarum unaquæq; ipſa eſt Eſſentia Divina, in Creaturis formari docent.

Ipſa Eſſentia Divina communicatur humanæ Naturæ Chriſti, ergò & *Proprietates Eſſentiæ Divinæ* communicantur; *propria* enim à *Subjecto* ſuo ſeparari nequeunt. *Obj.*

Eodem modo communicantur *proprietates divinæ*, quò *Natura*, ſcil. inconversè utraq; natura cum ſuis proprietatibus manet integra. *Sol.*

Num Ideæ Creaturarum in Deo ſint ipſe Deus? Quæſt.

Alii reſpondent, quod non ſunt Creaturæ, ſed ipſa Mens divina circa creaturas futuras occupata; ſunt autem Creaturæ quando extra Deum producuntur. *Reſp.*

Alii, quod non eſt noſtrum de naturâ Intellectûs divini, aut de modo quo operatur, quidquam definire niſi negativè, aut alluſivè, ut ſuprà monuimus.

DE VITA DEI.

In Scripturis ſæpè *Vivens* agnominatur, 1 *Tim.* 4. 10. *Speramus in* Deum Viventem; *Heb.* 10. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei Viventis.* Cum in mundo inferiori Res vitâ præditæ reperiantur, multò magis ineſt *Mundi Rectori.*

Fons eſt *Vitæ* aliis *Viventibus*, Pſ. 36. 9. *Apud ipſum eſt Fons Vitæ*, 1 Tim. 6. 13. *vivificat omnia.*

Dein *Solus* habet *Immortalitatem*, tam à parte ante quam à parte poſt, & *ſolus ex ſe ipſo*, non ſicut Angeli qui *Immortalitatem* habent *ex dono alterius.*

Illuſtre adeò & auguſtum eſt hoc *Attributum*, ut in juramenti formulam tranſijt; *Ezek.* 33. 11. inde dictorum ſuorum veritatem confirmat.

Inſaniunt ergò planè qui res *vitâ* deſtitutas loco *Viventis Dei* colunt, *Idola* ſcil. quorum ore

Spi-

Spiritus non eſt, *Jer.* 10. 14. *Iſa.* 42. 17. cum ipſis excellentiores ſunt, & ab iis potiùs adorandi.

Sectio V.

Attribuuntur Deo per Analogiam ad Facultates Creaturarum Spiritualium Facultas Dirigens, nempè Intellectus, Imperans, Voluntas, Exequens, Potentia.

De Facultatibus in Deo Intellectui & Voluntati Analogis.

QUamvis Facultates Angelorum & Animæ humanæ referant Imaginem Dei, & Deus ad ſui ipſius exemplar hominem iis inſtructum creavit, non ipſe hominibus aſſimilatus. Noſtra tamen Dei notitia, ordine retrogrado à nobis orditur, & ab iis quæ in nobis ſunt ſpiritualia, aut ſuprà fæces terrenas elevata, conceptus formamus divinarum quarundam Perfectionum: non acſi ſub formalitate facultatum humanarum aut actuum indè prodeuntium Deo ineſſent; ſed quaſi *perfectiones* quæ Deo eminentèr, ſive modo quodam cœleſti *Majeſtate* digno ineſſe ſupponuntur, quemadmodum in hoc capite ſæpiùs indicavimus.

De Habitibus Intellectûs, eorumq; Actibus, nempè Scientia & Sapientia. Scientia Dei vocatur alia Simplicis Intelligentiæ, alia Viſionis.

1. *Simplicis Intelligentiæ*, quâ novit non *futura* modo ſed *Poſſibilia*, etiamſi nunquam futura ſint. Vocatur

vocatur hæc etiam *Indeterminata*, *Naturalis*, & *Neceſſaria*.

2. *Viſionis*, quâ novit quæ futura erant, hæc aliàs Scientia determinata & libera vocatur.

Præter has tertiam fingunt Jeſuitæ; nempè *Mediam* ſeu *Conditionatam*, quam *diſtinctam* eſſe velint tam à *Scientiâ Naturæ* quam *Liberæ*, ſcil. hoc vel illud eventurum, prout hominis voluntas huc vel illuc ſe verſura erat. Hæc tamen quomodò admittenda eſt (ſenſu ſcil. & conſilio à Jeſuitico longè alieno) & ad Scientiam *Simplicis Intelligentiæ* referenda, C. quinto §. ſecundâ indicabitur.

Si *determinata*, & *Infallibilis* eſſet *Præſcientia Divina*, inane eſſet virtuti ſtudere, inania eſſent Conſilia, Solertia, Conamina Nulla præmia bonis deberentur nec malis pœnæ. *Obj.*

Neceſſitas non imponitur *Causâ ſecundæ* per *Præſcientiam primæ*, quod firmatur ab Exemplo *Hezekiæ*, *Iſa*. 38. 1. *Pauli* etiam & cum ea navigantium, *Act*. 27. 22, &c. prævisus & prædictus erat Eventus, illæſa tamen manſit Navigantium Libertas. *Sol.* *Vid.* C. 5.

De certitudine autem Præſcientiæ Divinæ tot Teſtes quot Prophetæ, Tertul.

Iſa. 5. 4. Deus *expectâſſe* dicitur *uvas*, *inveniſſe labruſcas*. *Obj.*

Expectâſſe dicitur, non quod *de Eventu* incertus erat, ſed quod longanimitatem oſtenderet, *Rom*. 9. 22. 1 *Pet*. 3. 20. *Sol.*

Gen. 22. 12. Deus *tunc* agnovit *Abrahamum* ipſum revereri. *Obj.*

Loquitur non de cognitione *ſimplici* ſed *experimentali*, aliàs enim nunquam non novit *Abrahamum* & *Corda aliorum*, 1 Reg. 8. 39. *Sol.*

De Fundamento quo nititur Certitudo *præſcientiæ* de futuris conting. vide, C. 5. §. 1.

Quæſt. *Eſtne Scientia Dei Cauſa Rerum.*

Reſp. Etiamſi ità ſtatuerit *Auguſt.* quem *Aquinas* ſequitur, Rectiùs tamen alii, nam intellectus operatur per voluntatem.

Obj. *Intellectus* Dei eſt ipſa *Eſſentia Dei*; Voluntas etiam in Deo cùm Intellectu identificatur.

Sol. *Intellectus* operatur per *Rem iſtam* quæ eſt *Intellectus*, ſed non quâ eſt *Intellectus*.

Obj. Omnia creavit per *Verbum*, & *Verbum* eſt *Intellectus*, Joh. 1. 3.

Sol. Per Verbum ibi non intelligitur *nuda Intellectûs* operatio, ſed Operatio *Voluntatis Chriſti*, quæ per *Intellectum* dirigitur.

De Sapientiâ Dei.

Sapientia Dei tum Scripturis tum Operibus ſuis diverſis celebratur & inclareſcit, *Dan.* 2. 20. *Sapientia illius* eſt, & *Sapientibus dat Sapientiam*, Prov. 8. & 15. *Per eam Reges regnant*, & *Legiſlatores juſta decernunt. Eam poſſedit in initio viarum ſuarum. Solus Sapiens vocatur*, Rom 16. 27. 1 *Tim.* 1. 17.

Sponte hoc agnoſcit quiſquis corporis humani conformationem, totiuſq; univerſi fabricam & partium illius Ordinationem dignè contemplatur, & quùm accuratè obſervat quali menſurâ, numero & pondere diſponuntur omnia, fieri nequit ut non totus in admirationem eorum rapiatur. Sic B. *Paulus* multiformem Dei Sapientiam in Diſtributione Gratiæ relucentem ſeriò recognoſcens, in admirationem erumpit, *O Altitudo divitiarum ſapientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & viæ ejus imperveſtigabiles!* Rom. 11. 33.

De

De Voluntate Dei cum Habitibus & Actibus ei tributis.

Voluntas Deo tribuitur, quâ *Principium* quorumcunq; Eventuum, *Apoc.* 4. 11. *Creaſti omnia, & propter Voluntatem tuam ſunt, & creata erant.*

Ab eâ *Decretum* differt (pro captu finito) ut Effectus à Causâ. Actus enim abſq; facultate, undè proficiſcatur, eſſe nequit, *Eph.* 1. 11. *Operatur omnia ex conſilio voluntatis ſuæ. Actiones* ejus ſunt vel

Neceſſariæ, atq; illæ vel *abſolutè*, ſic *vult & amat ſe ipſum*; vel ſecundum quid, ſic Actiones quædam ſunt internæ in Creaturas, quas licet *liberè creat*, non tamen niſi *juſtas* & *bonas* creare poteſt, alioquin *non amaret* quando creatæ ſunt, vel *Liberæ*; quas extra *eſſentiam ſuam producit.*

Qui optima ſemper neceſſariò vult, quædam neceſſariò vult. *Obj.*

Ex Hypotheſi ſcil. quando vult, optima vult. *Sol.* 1.

Quæ fecit, bona fecit valdè, potuit tamen eadem aliâ bonitatis ſpecie adornaſſe. 2.

Non poteſt velle mala, ſed quæ bona tanummodò, ergò non liberé. *Obj.*

Poſſe mala velle, eſt imperfectio, quâ iſta qui vult in bono non confirmatur. *Sol.* 1.

Liberrima Electio conſiſtit cum beatâ illâ determinatione Naturæ. Vid. c. 5. §. 1. 2.

Num Deus vult aut probat malum? Quæſt.

Malum eſt vel pœnæ vel culpæ. *Reſp.*

Ipſum malum Pœnæ quatenus eſt *Afflictio* & *Miſeria Creaturæ* non probat, *Ezek.* 18. 23. ſed quâ

Opus juſtitiæ, Rom. 11. 36. *Ex eo, per eum, & in eum ſunt omnia.*

Inflictio pœnæ dicitur *Opus ſuum*, Deut. 32. 39. Amos 3. 6.

In malo *Culpæ* conſideranda ſint, *Actio ipſa*, *Deformitas Actionis*, & *Directio* illius in bonum finem.

Actio eſt *à Dei Providentiâ.* *Directio* etiam eſt *à Deo*; undè illam Deus interdùm velle dicitur, *Gen.* 45. 7, 8. & 50. 20. *Deus illud cogitavit in bonum*, Iſa. 10. 5, &c.

Malitiam Actionis nec probat nec vult, *Pſ.* 5. 5. *Jac.* 1. 13. vetat, punit, *&c.* ſed *volens* permittit, *Act.* 14. 10. *Deus ſivit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Bonum utiq; eſt ut mala in bonos fines permitteret qui impedire non tenetur.

Nec adeò nuda eſt permiſſio, ut, quaſi Deo invito, permitteretur, ſemper enim conjuncta eſt cum directione in fines optimos.

Obj. Si Deus malum *Volens* permittit, Malum illud non opponitur Voluntati ejus.

Sol. Si Voluntas ſumatur *privativè* pro *non repugnantiâ*, tum permiſſio ei non opponitur: Sin pro *Complacentiâ* aut *Approbatione*, opponitur Voluntati Divinæ. *Non vult iniquitatem.*

Obj. Non minùs opera mala quàm bona in Scripturis Deo tribuuntur, *Gen.* 45. 8. *Non vos me hùc miſiſtis, ſed Deus ipſe*, Job 1. 21. Act. 3. 18. *Deus, quæ ante annunciavit implevit.*

Sol. Non Deo aſcribuntur, tanquam malorum operum *Autori*, ſed tanquam pravorum inſtrumentorum *frænatori, moderatori, directori.* Effectus enim qui à duabus cauſis oritur, quarum una *Effectrix*, altera *Directrix* eſt, utriq; aſcribendus eſt diverſo reſpectu. Sic cùm Fons rivum emittit in hunc vel illum Agrum, tùm Agricola qui eum diducit rectè dicitur eundem emittere. *Hoc* ipſo *Simili* Sp. Sanctus utitur, *Prov.* 21. 1. *Cor Regis in manu Do-*

Domini ut Rivi aquarum. Sic *Duci etiam Victoria* tribuitur, qui *Exercitum rectè ordinavit.*

Deus præcipit ut hæc vel illa mala fiant, ergò iſta vult. *Shimei* præcepit, ut *malediceret*; *Satanæ*, ut *eſſet mendax Spiritus in ore Prophetarum Achabi*, 1 Reg. 22. 22. *Obj.*

Vox præcipiendi in his & locis ſimilibus *impropriè* ſumitur pro *Providentiæ gubernatione*, ſic *Iſa.* 10. 5, 7. *Aſſyrius* erat *Virga* iræ Divinæ; Ipſe verò non ità propoſuit, ſed ut vaſtaret, *&c.* *Sol.*

Num voluntas Dei ſit Immutabilis? Vid. etiam retrò §. 3. *De immutabilitate Dei.* Quæſt.

Actiones internæ voluntatis Divinæ non mutantur, *Jac.* 1. 17. *Iſa.* 46. 10. *Conſilium meum ſtabit*, Mal. 3. 6. *Ego Jehova non mutor.* Non eſt *Defectus* aut *Potentiæ*, aut *Sapientiæ*, ergò non mutationis materia: Mutatis autem Objectis ipſe mutatur: *Saulem* & *Solomonem* pios amavit; deficientes odit, & ſeverè punivit. *Reſp.*

Voluntas libera ſemper eſt *Mutabilitatis* Principium. *Obj.*

Non quidem in Creaturis ſemper verum eſt, niſi in voluntate ſibi relicta; Angeli & Beati in Cœlo confirmantur. *Sol.*

Eſt autem in *Voluntate*-*Poteſtas* actus ſuos variandi. *Inſt.*

Voluntas, quoad actus internos non variat, niſi imperfecta ſit, aut imperfectè inſtructa. Nemo enim Decretum ſuum variat, niſi aliquid in eo apprehendat Imperfecti, aut incommodi; quod Deo non accidit. Et quoad actus externos variandi cauſa non eſt in voluntate Divinâ, ſed in Objectis. *Sol.*

Libertas autem in eo conſiſtit, ut hoc aut illud velle poſſit. *Inſt.*

Verum eſt de *Voluntate*, antequàm determinavit. Nec illa *Libertas* mutabilis dicenda eſt, ſed fa- *Sol.*

facultas diverſimodè agendi. Deus autem omnia determinavit, & optimè; ideóq; *Conſilium non mutat*.

Obj. *Voluntas* eſt in Potentiâ, ad ea quæ illi ſubjacent, quam diù ea non *vult actu*.

Sol. Verum eſt, ſed quæ Deus jam vult actu, ab æterno voluit. Cogitari poteſt *Prioritas* & *Poſterioritas* Ordinis in æternis, non Temporis.

Obj. *Aliter* ſe habet Deus cum iraſcitur homini; *aliter* quando ei pacatur.

Sol. *Voluntas* in ſe non mutatur; quia modo illo variabili agere ab æterno decrevit; non novos affectus induit, ſed varios actus voluntatis ſine mutatione ſui exercet.

Obj. *Promittit* & *minatur* quæ non exequitur, ergo *Voluntas* ejus mutabilis eſt, & de morte *Hezekiæ*, 2 *Reg*. 20. alia atq, alia fuiſſe videtur.

Sol. Promiſſiones & Comminationes illæ Conditionales erant, ſaltem tacitè, *Jer*. 18. 7. *quo tempore loquar contra*, &c. Præſciens autem ab æterno, num Conditio præſtanda foret, ipſe peragit in Tempore, prout ab æterno decreverat.

Quæſt. *Eſtne aliqua voluntas Dei reſpectu Actionum Juſtitiæ & Miſericordiæ quæ Arcana ſit? Sive num Deus exerceat Judicia ſua ſecundùm Promiſſiones & Comminationes verbo annexas?*

Reſp. Non exercet Judicia ſua contra Voluntatem Revelatam, Ratio tamen Judiciorum ſæpè *occulta eſt*, Pſ. 36. 6. *Judicia tua Abyſſus multa*, Rom. 9. 25. *num figulus*, &c. & 11. 33. *Quam inſcrutabilia*, &c. *Job* 42. 3. Hoc tamen non obſtante *Voluntas Divina* diſtinguitur,

1. In *Arcanam*, de iis quæ proprio quaſi pectore clauſa reſervat; ut de *Judicii extremi definito die*; & *Revelatam* de iis quæ verbo ſuo patefacta ſunt. Utriuſque mentio fit, *Deut*. 29. 29.

29. 29. Occulta Deo noſtro, quæ manifeſta ſunt, nobis & noſtris in æternum Frequens admodum (licet haud propria) eſt Diſtinctio in *Voluntatem Signi* & *Beneplaciti*;

2. *Signi*, quæ Signo aliquo nobis innoteſcit. Signa verò iſta cenſentur hoc Verſiculo.
Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

2. *Beneplaciti*, quæ in Deo latet donec Oraculo aliquo aut eventu pateſcat.

1. Sed imprimis. *Promiſſiones* ejus ſigna ſunt. Expletio ſive Eventus eſt quidem voluntatis *Beneplaciti* Signum & Demonſtratio, ſeu Effectus, potiùs quàm ſignum.

2. Eſt quoq; *Vocis* diſtinctio potiùs quam *Rei*, nam quod mandat non minùs ei placet, quam quod evenit; nec quicquid evenit eſt illi gratum, Peccatum enim (quo nihil frequentius) illi maximè diſplicet & exoſum eſt.

3. Deniq; *Voluntas Signi* eſt pars *Beneplaciti*; nam per *Voluntatem Beneplaciti* decrevit, quibus modis & gradibus *Voluntatem Signi* patefaceret.

Quamvis autem minùs propria ſit hæc Diſtinctio, non tamen *Contrarietatem* voluntati Divinæ oſtendit ineſſe.

Deus mandavit *Abrahamo* Filium ſuum mactare, ſed voluntate *Beneplaciti* hoc fieri nollet. *Obj.*

Partem tantùm voluntatis *Abrahamo* ſignificavit primo, partem apud ſe occuluit tentandi gratiâ; nam plena *Voluntas* erat mandare ut offerret, poſteà offerre paratum, impedire nè faceret. *Sol.*

Præcepit *Pharaoni* ut Populum *Iſraelit.* dimitteret, voluntate autem *Beneplaciti* voluit eum indurare, nè hoc faceret. *Inſt.*

Idem reſponderi poteſt. Præcepit Populum dimittere, partem verò *Voluntatis* non ſignificavit, nempè indurantem ſe ſibi permittere. *Sol.*

Inſt. Deus *Pharaonem* induráſſe dicitur.

Sol. *Pharaonis* induratio quâ Deo parere non voluit, *Pharaonis* Malitiæ juſtè tribuitur, *Exod.* 7. 13. 22. & *C.* 8. 15. 19. Deus quidem induráſſe dicitur, ſed per accidens, ſcil. quibuſdam actioni bus quæ emolliendo potiùs cordi ejus quàm indurando inſerviiſſent, ſi non deſperatè improbus fuiſſet, occaſionem nimirùm ſumpſit ex Dei patientiâ & ſubductione plagarum ſæpiùs iteratâ ſe magìs magiſq; adversùs Deum obfirmandi, atque inſtar ferri calefacti remoto igne, refrigeſcentis, durior factus eſt.

Obj. Vult omnium ſalutem *Voluntate Signi*, 1 Tim. 2. 4. Vult autem multorum damnationem *Voluntate Beneplaciti.*

Sol. Vult omnium ſalutem, nempè ſi credant & reſipiſcant; quod cum omnes non fecerint, vult eorum damnationem: Hæc autem non contrariantur.

Inſt. At voluntate *Signi* teſtatur ſe velle, ut omnes credant & reſipiſcant, & Vol. *Beneplaciti*, ut non credant & reſipiſcant.

Sol. 1. Vol. *Signi* teſtatur ſe probare hominum reſipiſcentiam, eam enim præcipit; media ſufficientia exhibet, *&c.* non autem tenetur novas vires & irreſiſtibiles largiri lapſis, quoties ſufficiens Gratia, propriâ cujuſq; culpâ reddetur inutilis.

2. Non conſtat Deum velle ut ulli non credant & reſipiſcant, niſi qui reſipiſcere noluerit, nec impedit aut improbat, quo minùs donis collatis utantur, quod propriæ cujuſq; impœnitentis *contumaciæ* tribuendum eſt.

Voluntas Dei (juxta *Damaſcenum*, l. 2. c. 29. *de Orthod. fide*) eſt vel *Antecedens* vel *Conſequens*, quam Diſtinctionem varii variè interpretantur; aperta verò & ſatis congrua eſt hæc Explicatio ad finalem hominum ſtatum accommodata.

Ante-

Antecedens eſt, quà Deus vult omnes ſervare ſi credant & reſipiſcant; hæc ſæpè non impletur, quia conditio ab homine non impletur, ſive potiùs impletur de homine eapropter non ſalvando.

Conſequens, quâ Deus pœnam inobedientibus & præmium obedientibus ſtatuit; hæc nunquam non impletur.

Multi contrà remonſtrantes hanc diſtinctionem elevant, & quidam prorsùs rejiciunt, quaſi primum illius membrum inefficax votum ſolummodò aut *Velleitatem* Deo tribueret. Attamen Deus haud concipi poteſt qualis revera eſt, ſcilicet *Benigniſſimus*, niſi volens Homini antecedentèr (quoad ordinem naturæ) ad omnem noxam, aut ſepoſitâ cujuſq; delicti conſideratione, benefacere, ſaltèm non pœnis æternis eum adjudicare; ſed quia juſtus eſt & peccatum odit, haud concipi poteſt quin prævisâ hominis voluntariâ defectione, præcipuè ſi Gratiam ad meliorem frugem illum reducere ſufficientem obſtinatè rejecturus fuerit, eundem dignis pœnis afficere.

Hinc prior actus voluntatis *Antecedentis* eſſe cenſetur, poſterior *Conſequentis*. Quod enim *Neceſſarium* eſt in Deo (ut benefacere innocenti) tanquam quid priùs à nobis concipi oportet, quàm quod *Liberum* & ad conditionem Objecti accommodandum, ut eſt Supplicii & Pœnæ conſtitutio; quæ non niſi ex præviſo Creaturæ delicto neceſſaria eſt, etiamſi, quatenùs ſunt in Deo, actus ſunt ſimultanei, & eodem momento æternitatis eliciti.

Sicut *Intellectus* (qui eſt facultas *dirigens*,) & *Voluntas* (facultas *imperans*,) ità *Potentia*, imò *Omnipotentia* (quæ eſt facultas *exequens*) Deo tribuitur.

Poten-

Potentia Activa Deo tribuitur, quâ ad res efficiendas *potentiſſimus* eſt.

Paſſiva verò ad aliquid recipiendum non *propriè* in Deo eſt, quia omnimodè *Perfectus.* Amatur & colitur à piis, blaſphematur & offenditur ab Impiis: ſed quamvis illa ſunt *Paſſiva verba*, grammaticè accepta, nullam tamen indicant paſſionem in Deo, niſi quis diceret *Colorem* pati ab oculo. Non indè major perfectio Deo accidit, ſed innoteſcit, *Pſ.* 16. 2. *Bonum meum non ad te*, &c.

Obj. *Paſſiva Generatio* eſt in Filio, & *paſſiva Spiratio* in Sp. Sancto.

Sol. Grammaticè *Paſſiones* dicuntur, non propriè. Nam in *paſſione* propriè *dictâ Subjectum* præexiſtit antequam *perfectio* accedat. Hæc autem coexiſtunt ab æterno cum Filio & Sp. Sancto. Ità vulgò reſpondent, ut *ſuprà* monuimus. Tutiùs autem eſt, dicere cum *Auguſtino*, quod *Myſterium hoc ineffabile* non eſt ad Leges *Naturales* revocandum, *l.* 5. de *Trin.*

Potentia Dei *una* eſt, ſed reſpectu Objectorum & Effectuum diſtinguitur:

Eſtq;, vel { *Perſonalis*, quâ Pater dicitur *generare* & *ſpirare*. / *Eſſentialis*, quæ, communis eſt tribus *Perſonis*. }

Dicitur etiam vel *Abſoluta*, vel *Actualis* & *Ordinaria*.

Abſoluta, quâ poteſt omnia, quæ non implicant contradictionem, efficere, *Matth.* 3. 9. Poteſt ex lapidibus excitare liberos *Abrahamo*, Luc. 1. 37. *Nulla res eſt illi impoſſibilis.*

Actualis & *Ordinaria* exequitur in tempore quod vult & decrevit, *Eph.* 1. 11. *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Num

Num hæc Ordinaria communicata fuerit humanæ naturæ Chriſti? Quæſt.

Quoniam ipſa eſt Divina Eſſentia, communicatur; ſed non alitèr quàm quia unitur cum humanâ Eſſentiâ, non in eam transfunditur. *Reſp.*

Matth. 28. 18. *Mihi data eſt omnis poteſtas in Cœlo & Terrâ.* *Obj.*

In Græco non eſt δύναμις ſed ἐξουσία i. e. jus & Autoritas, ſeu Poteſtas, ſic *omnia ſubjecit pedibus illius*, 1 Cor. 15.27. *Sol.*

Filius non poteſt *generare*, nec Sp. Sanctus *aliam Perſonam producere.* *Obj.*

Illæ ſunt *Actiones Perſonales*, non *Eſſentiales*, *Relativæ* non *Abſolutæ.* *Sol.*

Potentia hæc ob attributum *Infinitatis* eſt *Omnipotentia*, quæ indè ſe manifeſtat, quod non eget inſtrumentis, nec *præexiſtente materiâ*, neq; *ductu temporis*, *nec fatigatur*, Heb. 1. 3. Phil. 3. 21. *Poteſt ſubjicere ſibi omnia*, Apocal. 1. 8. Pſ. 115. 3. Matth. 26. 53.

Poteſt omnia quæ cum Naturâ aut Proprietatibus illius non pugnant, quod *Impotentiam* argueret. Sic *mentiri neſcius* dicitur, *Tit.* 1. 2. *Peccare* nequit, quia *Sanctiſſimus*, id naturam illius everteret. *Edere*, *bibere*, *dormire*, *loco moveri*, notarent *Imperfectionem*; *facta* non poteſt reddere *infecta*; nec facere ut *Contradictoria* ſimul eſſent *vera*, quia tum *Veritatem* negaret. Præoccup.

Si potuit Creaturas meliores & perfectiores feciſſe quàm fecit, non videtur Optimus, quia non dedit Optima. *Obj.*

Sapientiæ inſuper rationem habuit, quæ varias rerum perfectiones & perfectionis gradus poſtulavit ad pulchritudinem Univerſi. Nec ex *Neceſſitate*, ſed *Libertate* ſe creare oſtendit. *Sol.*

Si

Obj. Si ſemper pluribus perfectionibus Creaturas ornare potuit, tum infinitis, & Creatura eſſet infinitè perfecta; ſi non potuit, limitaretur illius *Potentia.*

Sol. Non ſequitur: Non quod *Potentia* Deo deſit, ſed quod Creatura infiniti ſit *incapax.*

SECTIO VI.

De Habitibus & Actibus Voluntatis Divinæ, Bonitate, ſcil. Juſtitiâ, &c.

ATtributa quædam per modum *Habituum* & *Affectuum Voluntatis* de Deo prædicantur; ut *Bonitas, Juſtitia,* &c.

I. *Bonitas.* Bonus eſt Deus.

Ratione { *Internæ* ſuæ *Naturæ,* ſive in *Se,* imò *Solus,* Luc. 18. 19. / *Beneficiorum* in alios, ſive relatè, *Rom.* 2. 4. }

Ultionem quidem mandavit, *Rom.* 13. 4. ſed publicam, quæ non humana eſt ſed Divina.

Bonitas Dei eſt, tum { *Generalis,* erga omnes, *Pſ.* 145. 9. & 119. 64. *Matth.* 5. 45. / *Specialis* erga Eccleſiam & fideles, *Pſ.* 73. 1. 1 *Tim.* 4. 10. }

Bonitatis velut Rami ſunt illius *Gratia* & *Miſericordia.*

1. *Gra-*

1. *Gratia* Dei eſt, vel { *Præveniens*, quâ (non protervè rejicientibus) auxilia præbet in ordine *ad Converſionem*, aliaq; fœderis beneficia, *Apoc.* 3. 20. *Phil.* 2. 13.
Subſequens, ad fructus *Converſione* dignos producendos, *Joh.* 15. 2. }

Palmites in Chriſto purgat, *Rom.* 8. 26. *Spiritus ſuccurrit*, &c.

Eſtq: *Gratia*, vel { *Gratuitus Dei favor*, Gen. 6. 8. *Noah invenit gratiam apud Deum.*
Donum ex *Gratiâ* datum. }

Num Dona in Creatione data, etiam in homine corrupto relicta rectè vocentur Gratia? Quæſt.

Sunt *Singularia Beneficia*, & ex ſolo Dei *Beneplacito*, ſed non *Gratia Evangelica*, quæ in Scripturis per Chriſtum parta habetur, *Joh.* 1. 17. *Lex per Moſen data eſt, ſed Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum*, Rom. 6. 14. *Non ſumus ſub Lege ſed Gratiâ. Pelagius* ergò *Gratiæ* vocabulo abutebatur, quando dona Naturæ titulo iſto inſignivit. *Reſp.*

Eſtne Legitima Diſtinctio illa Gratiæ ingratis datam, & gratum facientem, cum omnis ſit gratis data, & nihil nobis inhærens nos Deo gratos reddat? Quæſt.

Non, niſi per *Gratiam gratum facientem*, intelligamus *Gratiam ſanctificantem*; non *Gratiam*, quæ merito ſuo nos Deo *gratos* reddat, & per *gratis datam* intelligamus *Donum aliquod Gratiæ ſanctificanti Gratiâ* oppoſitum, Nomine Generis ſumpto pro ſpecie, quæ nomine caret. *Reſp.* 1.

Miſericordia Deo tribuitur non quatenùs ſignificat Dolorem conceptum ex alienâ miſeriâ, ſed quod ad ſuccurrendos miſeros propenſus ſit, idq; ex Natu- 2.

Naturâ ſuâ in eâ enim locum habuit ab æterno, & ad Exemplar Dei jubemur *Miſericordes eſſe*, Luc. 6. 36.

Eſtq; vel { *Generalis*, quâ miſeretur omnium Creaturarum, *Pſ.* 104. 27. & 145. 9. *Specialis*, quâ miſeretur fidelium, horum enim *ſpeciali* modo miſereri vult, *Rom.* 9. 18. *Exod.* 33. 14. }

II. *Juſtitia*, *Pſ.* 145. 17. *Juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis* : Eſtq;, vel { *Dicti*, *Facti*. }

1. *Dicti* eſt, vel { *Veracitas*. *Fidelitas*. }

1. *Veracitas*, quâ illud enunciatur quod cogitatur, & opponitur *Simulationi* ſive *Hypocriſi*. Deus enim eſt mentiri neſcius.

Obj. Videtur interdum enunciare vel præ ſe ferre, ac ſi quædam vellet, quæ tamen non vult, ut cum *Abrahamo* præcepit filium mactare, *Pharaoni Iſraelitas* dimittere.

Sol. In his non fuit *Simulatio* (ut priùs indicavimus) ſed ſancta licet non plena Conſilii ſui declaratio. Sic 1 *Sam.* 16. 3. Propheta ex mandato divino Sacrificium *Bethlemi* inſtituit, *Davidem* uncturus in Regem, & *Luc.* 24. 28. Chriſtus præ ſe tulit, quod longiùs eſſet iturus.

2. *Fidelitas* eſt *Conſtantia* in Promiſſionibus & Minis, ſic Vox *Juſtitiæ* pro *Fidelitate* ponitur, *Pſ.* 143. 1. *Exaudi me pro fide tuâ, & pro Juſtitiâ tuâ.*

Obj. Nonnunquam videtur promittere quæ non præſtat, & minari quæ non exequitur ; ut, *de Nnevitarum Excidio.* *Con-*

Conditionales erant illæ tum *Promiſſiones* tum *Comminationes*, ut Deus ipſe interpretatus eſt, *Jer.* 18. 7, &c. *Sol.*

2. *Facti Juſtitia* eſt, vel { *Univerſalis.* / *Particularis.* }

{ *Univerſalis* eſt Rectitudo & Sanctitas in omnibus ſuis Actionibus, *Deut.* 32. 4. *Rupes eſt*; *illius opus perfectum eſt.* Hab. 1. 13. *Oculi ejus puri adeò ut iniquitatem videre nequeat.*

Particularis eſt, vel { *Commutativa.* / *Retributiva.* } }

{ *Commutativa* ordinarie verſatur in Contractibus, undè, propriè loquendo, locum non habet inter *Deum* & *Homines*, Partes ſcil. adeò inæquales. Fœdera tamen cum Hominibus inire dignatur, in quibus Obedientiam exigit & Præmium Evangelicum pollicetur, adeò ut Gratia magis quam ſtricta Juſtitia in iis conſpicua ſit, quodcunq; enim præſtamus, Deo debetur & *ſervi ſumus inutiles*, Luc. 17. 10.

Retributiva eſt, tum { *Remunerans.* / *Puniens.* } }

Quarum utraq; Deo tribuitur, 2 *Theſſ.* 1. 6. *Juſtum eſt apud Deum reddere*, &c. *Rom.* 1. ult. *Remunerans* autem eſt ex Dei Bonitate & Veritate, non ex debito. *Debitorem enim ſe fecit, nihil accipiendo*; *ſed omnia promittendo.*

Gratia benè locata, ſcil. quæ Pietati ſtudet, eſt Divina; ergò pretii & meriti infiniti, ut in humanâ Naturâ Chriſti. *Obj.*

Hoc

Sol. Hoc autem in meris Hominibus verum non eſt, quia in illis uſus iſtius Gratiæ cum defectibus conjunctus eſt, ſuntq Perſonæ finitæ.

Præoccup. *Retributiva puniens*, vel eſt in { *Suos.* / *Inimicos.* }

{ *Suos*, *Probatio* & *Caſtigatio*; eaq; à Deo, ſive

Sub ratione {
Patris, Heb. 12. 6, 7.
Domini, Matth. 20. 15. *Annon poſſum facere de meo quod volo?* Rom. 9. 21. *Figulus*, &c.
Judicis, licet non quoad rigorem Juſtitiæ, *Gen.* 18. 25. *Annon Judex Univerſi quod rectum eſt faceret?* }

Inimicos, *Punitio* ſtrictè dicta τιμωρία. }

Harum diſcrimen eſt, in

1. *Causâ Efficiente*, quæ Cauſa Efficiens

Caſtigationis, eſt Dei Amor, *Heb.* 12. 6. *Caſtigat quem diligit.*
Pœnæ, propriè dicta eſt ira & odium, *Rom.* 1. 18. *Ira Dei eſt manifeſta.*

2. *Puniendi modo.*

in {
Caſtigatione eſt Paterna moderatio, 2 *Sam.* 7. 14. *Corripiam Virgâ hom.* &c.
Punitione ſtrictè dictâ, Ira & Excandeſcentia, *Pſ.* 6. 1. *In irâ nè reprehendas me.* }

3, *Fine*, qui

in

in { *Caſtigatione* eſt Emendatio & Conſervatio, 1 *Cor.* 11. 32. *Cum judicamur à Domino, caſtigamur ne cum mundo condemnemur.*
Pœna ſtrictè dicta, *Maledictio* & *Perditio*, Gal. 3. 10. }

Num Juſtitia retribuens pœnam peccato ſit Proprietas Deo naturalis, quam negare non poteſt, an res media quam poteſt admittere vel omittere? Quæſt.

Sociniani cum *Vorſtio* priùs negant, ut fundamentum ſternant Doctrinæ quâ veram Chriſti ſatisfactionem negant. Nobis ſufficere poſſet *Voluntas Dei*, quæ ſatisfactionem hanc exigit. Non tamen hoc iis dandum eſt quod *Juſtitia* non ſit *Deo Naturalis*. *Reſp.*

1. Amor Juſtitiæ & Pietatis eſt Deo Naturalis; ergò & *Juſtitia Vindicatrix*.

2. Scriptura annuit, *Pſ.* 5. 4. *Non eſt Deus qui delectetur improbitate*, & 34. 16. *Rom.* 1. 18.

3. Lex eſt ſpeculum Naturæ Divinæ quoad actus morales.

4. Per *Juſtitiam Vindicatricem* diſtinguitur à falſis Diis, *Exod.* 34. 7. *Non abſolvit ſontem*, 2 Theſſ. 1. 6.

5. Neceſſarium erat ad noſtram Redemptionem ut Chriſtus, cum peccata noſtra in ſe ſuſceperat, ſupplicia etiam iis debita ſubiret, *Matth.* 26. 39. *Si fieri poſſet*, &c. *Heb.* 2. 10. *Deut.* 9. 23. *Neceſſe erat, ut Exemplaria*, &c.

Juſtitia vindicatrix habuit initium. Ergò non eſt Deo naturalis [& eodem redit Argumentum quod in hunc modum formatur] ſine quo Deus eſſe potuit illud non eſt Deo eſſentiale, ſed Deus potuit fuiſſe ſine Juſtitia vindicatrice, quia potuit non fuiſſe Creatura peccatrix. *Obj.*

Sol. Actus Dei externi habuerunt initium & ſine eis Deus potuit fuiſſe, attamen nunquam potuit fuiſſe non oſor peccati, aut illud quandocunq; eveniret non puniturus; idq; neceſſariò, adeò ut quamvis Juſtitia ultrix potuit non fuiſſe quoad Eſſe Relativum, & ob defectum objecti, tamen quoad Eſſe Abſolutum fuit Deo Eſſentialis, & in Sanctitate illius fundata. Ad eundem etiam modum alia Attributa quoad Actus externos initium habuerunt, quaſi mutabilia fuiſſe viderentur, ſic Patientia, Veritas Promiſſionum & Comminationum, *&c.* quamvis Deus quoad naturam ſemper idem exiſtit.

Obj. Contraria non ſunt in eodem Subjecto gradibus intenſis, ergò non in Deo Juſtitia vindicatrix & Miſericordia quæ grandis eſt & limites tranſcendens.

Sol. Non ſunt in Deo tanquam accidentia in Subjecto, ſed in Deo ſunt ipſe Deus, quamvis circa diverſa Objecta diverſos habeant effectus, ut ſunt punire, & condonare.

Obj. Si Juſtitia puniens eſſet Deo eſſentialis & neceſſaria, tum nullum peccatum unquam remitteretur, etſi Miſericordia eſſet ei neceſſaria, nullum puniretur. Contra naturam illius eſſet aut punire quenquam, aut illius miſereri; nimirum in Miſericordiam offenderet ulciſcendo, ac in Juſtitiam condonando miſeriſve ſuccurrendo. Nec concipi poteſt quomodo quicquam faceret, vel internis, vel externis ſuis Actibus, adverſus ea quæ ipſi ſunt naturalia.

Sol. Ubi non intervenit *Debitum* aliquod Juſtitiæ contra naturam illius eſſet punire, aut cruciare quenquam, quia Miſericordia eſt illi naturalis; ſed ubi *Debitum* per peccatum intervenit contra naturam illius eſſet condonare, quamdiu *Debitum* non ſolutum eſt, & peccator ad pœnam obligatus, quia Juſtitia eſt illi naturalis. Hinc autem ſequitur quod Satisfactione Chriſti præſtitâ, nè mi-

nima

nima quidem diſcordiæ ſcintilla inter hæc Attributa relinquatur.

Opera Miſericordiæ non neceſſariò, ſed liberè exercentur, ergò & Opera Juſtitiæ; ſic Potentia eſt Attributum Eſſentiale & Neceſſarium, ſed non neceſſe eſt ut ex lapidibus ſuſcitet liberos Abrahæ. *Obj.*

Attributorum maximè neceſſariorum Opera exercet Deus ſecundùm Sapientiam ſuam & liberam pariter & ſanctiſſimam Voluntatem libere, & non eodem ſemper *modo*, *menſura & ordine:* Semper autem juſtè adeò, ſanctè, & ſapientèr, ut ſive operetur, ſive ab operando ſe contineat, nè quidem mente aſſequi poſſumus quicquam ab eo factum unquam aut infectum eſſe ſanctitati ſuæ naturali alienum, & ſpeciatim, quo aut Debitum ex peccato non ſolvatur, aut ab acceptato Sponſore ſolutum à Perſonâ peccatoris denuò exigatur. *Sol.*

Si Juſtitia ultrix & Miſericordia ſint Attributa Deo naturalia, agerent ex neceſſitate naturæ, ſcilicet quicquid, quando & quantum poſſint. Horum autem effecta non ex iſtiuſmodi neceſſitate fiunt nam quorum vult miſeretur. *Obj.*

Quædam fiunt ex *abſolutâ* neceſſitate, illa ſcilicet ad quæ nulla requiritur decreti Hypotheſis; ſic Deus Pater genuit Filium, Spiritus S. proceſſit, malum odio habet, ſanctitate delectatur, peccatum quandocunq, eveniret puniturus; in ſancta tamen illius *voluntate* ſitum erat utrum peccatum permitteret, ac ſatisfactionem alienam acceptaret necne. *Sol.*

Alia fiunt ex neceſſitate, ſed ſimul à determinatione divinæ voluntatis pendent hinc ſæpè ſuſpenditur, in dies aut annos, aliquot, pœna quæ ob peccatum immediate ex ſua natura Juſtitiæ debebatur. Hinc etiam Pœna ſæpè non à peccatore reſipiſcente exigitur, ſed in Chriſtum ſponſorem illius transfertur, cujus Subſtitutio (cum relaxatione ſtricti juris) acceptata peccatoris de-

G 2 lictum

lictum reddit, non modo remiſſibile, ſed certò, & ex neceſſitate illi fore remittendum.

Obj. Si juſtum ſit apud Deum iis ipſis parcere qui peccarunt, *tum multò magis innocenti ſuo Filio; qui ex merâ charitate Sponſorem ſeſe exhibuit.*

Sol. Quoad vadis ſubſtitutionem dicimus, quædam juſta ſunt quia Deus vult, quædam verò Deus vult, quia juſta ſunt. Peccatum ſimplicitèr punire inter ea numeratur quæ Deus vult, quia juſta ſunt. Peccata punire in Perſona ipſius peccatoris, vel illius qui culpam præſtare vadimonio ſe obſtrinxit inter ea quæ juſta ſunt quia Deus vult, quamvis enim Juſtitia puniens ſit Deo naturalis; vadis tamen Subſtitutio, qui peccatoris vice & loco Juſtitiæ ſatisfaceret, voluntaria erat & ex mero Dei beneplacito; *neq; alius erat par huic negotio qui loco illius ſubſtitueretur.* Quædam ab his non longè aliena occurrunt, *Cap.* 9. §. 4. *Quæſt. de Satisfactionis neceſſitate* quæ cum his collata lucem ſibi mutuò præbebunt clariorem.

CAPUT

Caput IV.

De SS. Trinitate.

Sectio I.

Opera Dei ſunt, vel { *Interna.* / *Externa.*

INterna dicuntur, quæ ad terminum extra Deum non referuntur, ut *Intellectio*, quâ ſeipſum intelligit, & quod unicuiq; Perſonarum proprium eſt. *Æterna Generatio Filii Spiratio & Proceſſio S. Sancti.*

In Doctrinâ hujus Myſterii, voces quædam occurrunt hic brevitèr explicandæ, tum Græcæ, tum Latinæ. *Explicantur voces Græcæ*

Græcæ, ut οὐσία, quæ ducitur ab ὤν. Vox ipſa οὐσία, quatenus ſignificat opes terrenas, extat *Luc.* 15. 12. Non autem ſenſu huic Myſterio congruente, attamen, οὐσία. 1.

1. Res ipſa in Scripturis habetur; dum Nomen *Jehova*, Attributa, Opera, & Gloria Divina Patri, Filio, & Spiritui S. tribuuntur. Attributa enim Eſſentialia ſunt ipſa Dei Eſſentia.
2. In Concreto habetur in Scripturis, *Exod.* 3. 14. *Ap.* 1. 4.
5. Synonyma illius in Scripturis occurrunt, θεία φύσις, 2 *Pet.* 1. 4. *Gal.* 4. 8. θειότης, *Col.* 2. 9. θεότης, *Rom.* 1. 20. Quid enim aliud eſt Divina Natura, Deitas, Divinitas, quam Divina Eſſentia?

 Non

Non autem de Perſonis prædicatur, ut Univerſale de pluribus numero differentibus, ut humana Natura de *Petro*, *Paulo*, &c. quorum quilibet habet naturam ſuam numericè differentem. Sed quamvis Eſſentià ſit ſingularis & individua, eſt tamen tota cuiq; Perſonarum communicabilis.

2. Ομουσία. Ὁμούσιος ab ὁμῶς & οὐσία, quòd Eſſentia una & indiviſa æqualitèr tribus Perſonis competit, quà dicuntur ὁμούσιοι.

Quidam conati ſunt oſtendere vocem iſtam in uſu fuiſſe ante Concilium *Nicænum*, ſed ex Scriptis incertæ Originis. *Aug.* enim l. 3: contra *Max.* c. 14. à Patribus eam contra impietatem *Arianorum* conditam aſſerit.

“ Quoad ſignificationem Vocis, audiatur *Au-*
“ *guſt.* l. de quinq; Hæreſ. *c.* 7. Quando Chriſtus,
“ *Joh.* 10. 30. dicit, *Ego & Pater unum ſumus*;
“ per id quod ait *Unum Arium* perculit, per id
“ quod ait *ſumus Sabellium* ſtravit, cum nec [*ſu-*
“ *mus*] de *Uno*, nec [*Unum*] diceret de *diverſis.*

Monet *Athanaſ. de Decret. Synodi Arim. & Sileuc.* [ὁμούσιος] non dici de illis, qui quomodocunq; habent unam Eſſentiam, ſed de illis tantùm, quorum unum eſt ab altero, & ab illo recipit eandem Eſſentiam. *Sabellius* fatebatur Patris & Filii eſſe eandem Eſſentiam, ſed negabat Filium eſſe à Patre ab æterno genitum, & perſonalitèr ab eo diſtinctum. *Arius* Filium eſſe à Patre & perſonalitèr ab eo diſtingui, ſed negabat *eandem*, per generationem à Patre Eſſentiam recepiſſe.

Epiphanius in Anc. monet, aliud eſſe συνούσιον, aliud ὁμούσιον, illud ſignificat unitatem ſine diſtinctione, hoc unitatem cum diſtinctione unius ab alio. Alii etiam tradunt diſcrimen inter ὁμούσιον & ἑτερούσιον, & inter ὁμούσιον & ὁμοιούσιον, ut per ὁμούσιον non ſimilis, ſed æqualis, imò eodem numero Eſſentia, Potentia, Æternitas, Voluntas, Gratia, & Majeſtas intelligatur.

Si

Si qui inter *Orthodoxos* dicunt ſe nomen ὁμοούσιον
odiſſe (quod de *Luthero* objicitur) Rem tenent
in Concilio per Scripturas definitam, ideóq; Hæ-
retici non ſunt.

Ὑπόστασις ab ὑφίστασθαι ſubſiſtere, ſeu firmitèr ſtare 3.
ſumitur, de firmâ fiduciâ & immotâ animi confi- ὑπόστασις
dentiâ uſurpatur, 2 *Cor.* 9. 4. & *Heb.* 3. 14. & 11.
1. ſed in eâ ſignificatione quam in Doctrinâ de
Trinitate obtinet, *Heb.* 1. 3. ubi Chriſtus dicitur
χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. An Perſonæ an Eſſentiæ
haud convenit inter Autores; conciliari autem
poſſint, ſi dicamus ὑπόστασιν ibi non ſumi pro Per-
ſonalitate aut Perſonali Proprietate præcisè & for-
malitèr acceptâ, ſed pro Perſonâ concretè & ma-
terialitèr, *i. e.* Eſſentiam habente. Hinc quidam
diſtinguunt inter ὑπόστασιν & τρόπον ὑποστάσεως, ſcil.
Perſonam & Perſonalitatem, ſive Perſonalem Pro-
prietatem. Confer quæ (ſub tit. *Perſona*) ſequun-
tur.

Ὕπαρξις, ἀπὸ τοῦ ὑπάρχειν, idem in hoc Myſterio 4.
quod ὑπόστασις. LXX. aliâ ſignificatione hâc voce ὕπαρξις.
utuntur, ſcil. pro bonis facultatibus, & opum Poſ-
ſeſſione, *Prov.* 13. 11. *Jer.* 9. 10. *Dan.* 11. 13. Quo
ſenſu etiam accipitur *Act.* 2. 45. *Heb.* 10. 34.

Πρόσωπον, ἀπὸ τοῦ πρὸς ὦπα. Græci uſurpare cepe- 5.
runt πρόσωπον pro ὑποστάσει, cùm viderint Latinos Πρόσωπον
Perſonæ appellatione Hypoſtaſin exprimere.

Μονὰς καὶ Τριὰς in antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptori- 6.
bus occurrunt, *Juſt.* &c. Concretum Τριάδος diſer- μονὰς καὶ τριάς.
tè extat 1 *Joh.* 5. 7.

Latinæ huc ſpectantes, ſunt *Voces Latinæ.*

Eſſentia, idem quod apud Græcos οὐσία, de quâ 1.
vid. ſuprá. *Eſſentia.*

In *Creatis*, quælibet *Perſona*, ut *Petrus*, *Paulus*,
Johannes, propriam habet Eſſentiam incommunica-
bilem, & ab Eſſentia Perſonæ alterius differentem,
in S. *Trinitate* quælibet Perſona, Pater, Filius, &
Sp. Sanctus unam & eandem habet Eſſentiam

G 4 com-

communicabilem, & quælibet totam. *Unitas* Eſſentiæ in Perſonis *Creatis* eſt *Specifica*: *Unitas* Eſſentiæ in Perſonis *Divinis* eſt *numerica*; ratio pendet ab Eſſentiæ *Humana Finitate*, & *Infinitate Divina*.

2. *Subſtantia* *Subſtantia*, interdum ſumitur impropriè, hoc ipſo Articulo, pro Perſonâ. *Hilar.* l. *de Synod.* dicit in Deo eſſe tres *Subſtantias*; quo ſenſu quidam reddunt verba Apoſt. *Hebr.* 1. 3. *Filius eſt Character Subſtantiæ Patris. Aug.* l. 2. *de Trin.* c. 4. dictum eſt à noſtris Græcis *Una Eſſentia*, *tres Subſtantiæ*, *Una Ouſia*, *tres Hypoſtaſes*, ſive *Subſiſtentiæ*. Vide ergò ſuprà de Voce ὑπόςασις.

3. *Subſiſtentia.*

4. *Perſona.* *Perſona* etiam reſpondet Græco vocabulo, ὑπόςασις, quod vide ſupra.

Cum ex Inſtitutione Baptiſmi in nomine Patris, Filii, & S. Sancti Orthodoxi docuerunt tria eſſe Nomina ejuſdem Eſſentiæ, *Sabellius* aſſeruit unam duntaxat Perſonam, ſed τριώνυμον, & cum illi contrà indicârunt, non tantùm tria nomina fuiſſe, ſed tres nominum Proprietates, *Sabellius* iterùm hoc depravavit, dicendo tres Proprietates eſſe, ſicut una Anima tres habet *Potentias.* Tum communitèr explicabatur *Eccleſiæ Doctrina*, nempè *tres eſſe Perſonas*, ſeu *Hypoſtaſeis*, quamvis extet etiam hæc vox in antiquiſſimis Latinæ Eccleſiæ Doctoribus. *Tert. adverſ. Prax.* Quæcunq; ergò *Subſtantia* Sermonis fuit, *illam* dico *Perſonam*, & illi nomen *Filii* vendico. *Cyprian. ſer. de Chriſti Nativitate, Hilar.* l. *de Synod.* &c.

In Scripturis legimus Deum non acceptare alicujus *Perſonam*, & *Bellar. de Chriſto* l. 2. c. 5. Hypoſtaſin humanam intelligit; iis autem locis Perſona Qualitatem potiùs quàm Hypoſtaſin ſignificat, ſcil. Qualitatem aut adjunctum aliquod à causâ alienum; ut ſunt, *Opes, honor, cognatio, dignitas, potentia*, &c.

Perſona, in hoc Myſterio, eſt *Subſtantia prima, intelligens, non pars alterius, nec ab alio ſuſtentata.*

1. *Subſtantia prima* quia per ſe Subſiſtens, & Individua, nimirum incommunicabilis aliis Perſonis.
2. *Intelligens.* Bruta quandoq; dicuntur Suppoſita, nunquam Perſonæ.
3. *Non pars alterius*, Anima rationalis individua, non eſt Perſona, quia pars alterius.
4. *Nec ab alio ſuſtentata*, ergò humana Natura Chriſti non eſt Perſona, licet *Subſt. intell.* &c.

Trinitas. Aquinas Trinitatem dictam vult quaſi eſſet *Trium unitas*, juxta illud, 1 *Joh.* 5. 7. *Hi tres unum ſunt*; ſed Hæc Etymologia eſt tantum alluſiva, & vocis ſonum ſpectans potiùs quam veritatem rei. Nam in hoc Myſterio non ſignificat aliquid ex tribus compoſitum, ſed tres Perſonas unius Eſſentiæ, quæ Perſonæ non realitèr differunt ab Eſſentiâ; aliàs, loco Trinitatis introduceretur Quaternitas. Aliud eſt *Trinus*, aliud eſt *Triplex*. *Trinum* eſt quod Eſſentiâ unum, tres habet ſubſiſtendi modos; *Triplex* quod ex tribus rebus eſt compoſitum. Deum *Trinum* dicimus, non *Triplicem*; & *Trinitatem*, non *Triplicitatem*. *5. Trinitat.*

Cum judicio legendi ſunt Patres, qui non raro ſententiis diſſident in uſu vocum, Subſtantiæ, Hypoſtaſεως, ὐσίας; *ut patet ex* Hieron. ad Dardan. Aug. *l.* 5. de Trin. *c.* 8, & 9. Socrat. Hiſt. Trip. l. 6. *Cautio.*

Sectio II.

CUM Myſterium hoc nec dictavit Ratio, nec demonſtravit Exemplum, ideò juxta normam revelatam ſolummodò de eo loquendum eſt.

Perſona

Perſona divina deſcribitur, acſi eſſet Eſſentia Divina cum modo ſubſiſtendi, *Heb.* 13. Filius Dei comparatus ab Apoſt. cum Patre, dicitur *Character Perſonæ illius*, quæ vox ibi *concretè* ſumpta non *Perſonalitatem* ſolummodò, ſed *Perſonalitatem*, ſive *perſonalem Proprietatem* cum Eſſentiâ denotat. *Perſona* enim *abſtractè* ſumpta *Perſonalitatem* ſolummodò ſignificat.

Perſonarum notanda ſunt Numerus, Diſtinctio, & Unio.

1. *Numerus.* (a) *Tres* ſunt Numero numerante, & *tres Perſonæ* dicuntur Numero numerato (*b*), *Proprietates* enim & (*c*) *Opera* iis in Scripturâ tribuuntur, quæ non niſi Perſonis competere poſſunt.

(*a*) 1 Joh. 5.7. *Tres ſunt qui teſtantur in Cœlo.*
(b) *Generatio Æterna, Filius erat à Patre genitus,* Joh. 3. 16. *& ante ſæcula,* Joh. 1. 1. *In principio erat Verbum. Proceſſio* Joh. 15. 26. *Qui à Patre proced.*

(*c*) Col. 1. 16. *Per Filium condita ſunt omnia,* Heb. 1. 2,3. *Per eum Mundum condidit. Omnia ſuſtentat,* Job 26.13. *Spiritu ſuo Cœlos creavit, &* 33. 4. *Spiritus Dei fecit me.*

2. *Diſtinctio.*

Pater eſt *Deus*, cum Proprietate Perſonali Patris. Filium genuit, *Heb.* 1. 5. *Cui dixit unquam Angelorum, hodie te genui?*

Filius eſt *Deus*, cum Proprietate ſuâ Perſonali, *Joh.* 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

Spiritus S. eſt *Deus*, cum Proprietate Perſonali Proceſſionis, *Joh.* 15. 26. *Quum venerit Advocatus quem ego mittam à Patre. Sp. ille Veritatis qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.*

3. *Unio*

3. *Unio* ſive *Communio Perſonarum* conſiſtit in Ὁμουσίᾳ, ἰσότητι, & περιχωρήσει.

Ὁμουσίᾳ, eo quod Co-eſſentiales ſunt, 1 *Joa: Hi tres unum ſunt*, Joa. 10. 30. *Ego & Pater* unum *ſumus.*

Ἰσότητι, eo quod ſint *Æquales*, Joa. 5. 18. *Deum dicebat Patrem ſuum, Parem ſe faciens Deo*, ἴσον.

Περιχωρήσει, eo quod ità ſunt uniti, ut una ſit in & cum alia, *Joa.* 14. 10. *Non credis me in Patre eſſe & Patrem in me*, 1 Cor. 2. 11. *Quis hominum novit ea quæ ſunt hominis niſi Spiritus hominis qui in eo eſt ; ità & quæ Dei ſunt nemo novit niſi Sp. Dei.*

Haud alienum erit ab Inſtituto noſtro, ſi quæ ſolus *F. Turretinus* de Controverſiis ad hoc Myſterium potiſſimè ſpectantibus, ab aliis quaſi in compendium, curâ ſolerti ſatis, reduxit, contractiùs adhuc paucis admodum pagellis expediam.

Utrum Articulus de S. Trinitate Perſonarum ſit fidelibus neceſſarius ? Quæſt.

Affir. *Vita Æterna* in illius cognitione ſita dicitur, *Joh.* 17. 3. & 6. 40. & 14. 1. Continet primarium Objectum fidei & cultûs. Illius Confeſſio in Baptiſmo includitur, *Matth.* 28. 19. Vid. etiam, 1 *Joh.* 2. 23. *Joh.* 5. 23. *Reſp.*

Ab eo pendent alia Dogmata fundamentalia, qualia *de Filii Miſſione & Satisfactione, de Miſſione Sp. Sancti*, &c.

A Judæis hodiernis, Mahumetanis, & Ethnicis, hoc Articulo diſtinguimur.

Diſtinguenda eſt Cognitio ab illius gradibus, aliud τὸ ὅτι, aliud τὸ πῶς. *Præoccup.*

1. Non neceſſe eſt, ut omnis Articulus fundamentalis, quoad verba, ſit in Scripturis, ſi *Objection.*

2. Quoad *rem* ibi contineatur.

3. Diſſenſus Doctorum in modo explicandi non detrahit à rei Veritate.

4. Fal-

4. Falſum eſt Patres & Chriſtianos ante Concilium *Nicænum* dogma de Trin. non agnoviſſe; nam *Plin*. Ep. 97. ad *Trajan*. dicit eos *coluiſſe Chriſtum ut Deum*, *Clem*. Rom. Ep. *ad* Cor. *p*. 20. *aliaq*; *Teſt. citat Turret. de Deo Trino*, c.24. V.Cl. *Bullium*.

Quæſt. *An in una Eſſentia tres ſint diſtinctæ Perſonæ P. F, & Sp. S.* Affir. contra Socin.

Reſp. Quæ ex *Platone* & *Platonicis* de tribus Principiis, *Mente*, *Verbo*, & *Spiritu* petuntur, ex priſcâ Hebræorum doctrinâ, ſive Lectione *Moſis* & Prophetarum (quos *Platoni* non ignotos fuiſſe conſtat) hauſta videntur; & traditioni potiùs quam Rationi & Lumini Naturæ, aſcribenda ſunt.

Myſterium hoc (quantum ad ſalutem neceſſarium) revelâſſe dignatus eſt Sp. S. in Vet. Teſt. licet obſcuriùs, in Novo clariùs.

Matth. 3. 16. Tres Perſonæ diſtinctis ſe manifeſtârunt Perſonalitatibus in Baptiſmo Chriſti. Spiritus (de quo ibi mentio fit) non poteſt Voluntatem aut Proprietatem aliquam Dei deſignare, hæ enim non dicuntur è Cœlo deſcendere corporali ſpecie; nec particula ὡσεὶ ad *modum deſcenſûs* referri debet, quaſi diceretur *ſenſim* & *leniter* delapſus, ſed ad *ſpeciem* ſeu *modum* apparitionis.

Obj. Dicimur nos baptizari Spiritu; ergò non neceſſario Perſona Sp. dicto loco intelligitur.

Sol. Sic dicimur Chriſto indui & nutriri quamvis ſit Perſona, ſcil. figuratè & myſticè Chriſtum induimus, 1 *Joh*. 5. 7. *Tres ſunt qui teſtificantur in Cœlo, P. Verbum & Sp. Sanctus*, & hi tres *unum ſunt*. *Tres* ponuntur *Teſtes*, ergò non Qualitates ſunt, ſed Perſonæ; eorumq; Teſtimonium eſt teſtimonium Dei, eò quod teſtimonium hominum ei opponitur. Ità inſuper diſtinctè teſtificantur, ut unum ſint non conſenſu tantum ſed Eſſentiâ, ut unum dicuntur, *Joh*. 10. 30.

Fruſtrà

Fruſtrà locum hunc declinant Adverſarii tanquam adulterinum, eo quod variis codicibus Græcis deſideretur, nec apud Syrum & Arabem, hoc dolo malo *Arianorum* adſcribendum eſt: Pro nobis enim faciunt antiquiſſimi & probatiſſimi Codices, teſtibus *Hieron. prol. in Epiſt. Cano. Eraſmo, Eruditiſſimis Editionibus Compl. Antverpienſ. Ariæ Mont. R. Steph. Walton.* &c. Nec ullus eſſet ſenſus verborum ſequentium, *& tres ſunt qui teſtantur in Terrâ*, niſi ſupponeretur *Teſtes* præceſſiſſe teſtantes in Cœlo.

2 *Cor* 13. 13. Tria Beneficia quæ totam Salutis Rationem complectuntur à tribus Perſonis juxta proprium cujuſq; operandi modum fidelibus optantur. Nec obſtat quod Communio Spiritûs *paſſivè* non *activè* ab aliquibus videtur accipi, quaſi peteret ut Charitas Dei communicaret Sp. Sanctum fidelibus, aliud enim eſt petere Spiritum S. à Charitate Dei & Gratia Chriſti, aliud petere ut Communio Spiritûs ſit cum fidelibus, non ut Materia Voti & ipſum *Donum*, ſed ut Author donorum à quo petitur Gratia & Pax. *Apoc.* 1. 4, 5. 1 *Cor.* 12. 4, 5, 6.

Alias probationes apud *Turret.* alioſq; invenias. Fontes ſolutionum. Quæ idem ſunt Eſſentialitèr, diſtingui poſſunt perſonaliter; itaq; licet *Filius* ſit ejuſdem Eſſentiæ cum *Patre*, recte dicitur, non eſt *Pater*. Tres numero, quorum quilibet eſt *Deus*, poſſunt eſſe *unus* numero *Deus*, alius enim & alius eandem participant Eſſentiam. *Gignens* & *Genitum* ſunt *unum* Eſſentià. Principia quæ vera ſunt de Naturâ *finitâ*, non transferenda ſunt ad *Infinitam*; quod *ſingulare* eſt & *Individuum* non poteſt communicari pluribus in humanis, ut *Tres Perſonæ ſunt tres Homines*; ſed malè colligitur inde, *Tres Perſonæ ſunt Tres Dii in Divinis.* In humanis, tres participant Eſſentiam Specie eandem, non numero: Ergò in Divinis,

nis, tres participant non numero eandem. Nam in Divinis, Eſſentia numero eadem eſt communicabilis pluribus Perſonis. Quamvis tres ſint Perſonæ in divinis, non ſequitur quod *tria* ſint *Infinita*, *Infinitas* enim eſt *proprietas Eſſentialis*; ergo ut *Eſſentia* eſt *eadem*, ità & *Infinitas*. Sunt in Divinis *unum* & *tria* realitèr diſtincta, non tamen quatuor, tres enim Perſonæ non *realiter* diſtinguuntur ab Eſſentiâ, ſed ſubſiſtendi modo, tres illæ Perſonæ nihil aliud ſunt quam Unus Deus, qui in *tribus Perſonis* diverſimodè ſubſiſtit. Quamvis *Verus Deus* ſit *Trinitas*, non tamen quicquid eſt *Verus Deus* eſt *Trinitas*, ſed vel *Trinitas*, vel aliqua Perſona *illius*. *Unum* non eſt *Trinum* eodem reſpectu. Quæ ſunt eadem *Uni Tertio* ſunt eadem inter ſe *Tertii* illius reſpectu. Sic, quia tres *Perſonæ* conveniunt in Eſſentiâ, ſunt *Idem* inter ſe quoad *Eſſentiam*; ergo *Idem* ſed non *Iidem*. Quæ ſunt *eadem uni Tertio* ſingulari & incommunicabili ſunt eadem inter ſe; ſed quæ ſunt eadem in *Tertio Univerſali*, vel ſaltem *communicabili*, non ſunt eadem inter ſe, v. g. *Petrus* & *Joannes* ſunt *Unum* in Naturâ humanâ Specificâ, ſed non ſunt *Idem* inter ſe numericè, quia Natura humana eſt *Univerſalis*. *Pater* & *Filius* ſunt *Unum* in *Naturâ divinâ*, & non ſunt *idem* inter ſe, quia *natura divina* eſt *Singularis*; attamen Perſonis pluribus *communicabilis*.

Obj. Eſſentia Divina eſt Pater, Filius eſt Eſſentia Divina; ergò Filius eſt Pater.

Sol. Eſſentia in *Majore* vel ſumitur *univerſalitèr*, ac ſi diceretur quicquid eſt Eſſentia, Divina tum,& falſa eſt propoſitio; vel *particularitèr*, ac ſi diceretur, *Aliquis* qui eſt *Eſſentia Divina* eſt *Pater*, & tum nihil concludit, quia omnes termini ſunt *particulares*.

Quæſt. *Num Trinitatis Myſterium ex V. Teſt. demonſtrari poſſit; ſive an ſub eo cognitum?*

Per-

Perſonarum Pluralitas probatur ex *Gen.* 1. 26. *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, & 3. 22. *factus eſt ſimilis nobis*, & 11. 7. *Deſcendamus & confundamus linguam eorum.* Deus non honoris causâ inſtar Regum & Principum locutus eſt numero *plurali*, nam *Idiotiſmus* linguæ repugnat, ut agnoſcit *Aben Ezra* in *Gen.* 29. 27. *Reſp.*

Nec Angelos alloquitur; nam nihil illi contulerunt ad hominis Creationem; nec ad eorum imaginem factus erat, etiamſi in multis haud abſimilis.

Gen. 1. 2. Spiritus Dei dicitur *incubare Aquis*: Nec *Aer*, nec *Ventus* intelligi poteſt; nondum enim creata erant. Nec vis quædam Dei; actiones enim ſunt Suppoſitorum, ideoq; Perſona quæ alibi Autor *Creationis* perhibetur.

Pſ. 33. 6. & 104. 30. *Iſa.* 40. 13, 14. quæ Elogia in rem *Creatam* non cadunt. Ex locis quibus Deus à Deo diſtinguitur *Hoſ.* 1. 7. dicit *Jehova, Servabo eos per Jehovam Deum ipſorum.* Gen. 19. 24. *Jehova demiſit pluviam Sulphuris & ignis à Jehova.* Pſ. 110. 1. *Dixit Jehova Domino meo*, & 45. 7. *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

Ipſa Trinitas probatur ex *Gen.* 1. *Moſes* loquitur de Perſonâ *Elohim Creantis*, de Perſonâ *Spiritûs* Aquis incubantis, & de Perſonâ *Verbi* omnia producentis. Per *Verbum* enim intelligendum eſt, non ſimplex Dei *Mandatum*, ſed *Verbum perſonale*, uti patet ex collatione *Moſis* cum *Joanne*, c. 1. 1, 2, 3. *Pſ.* 33. 6. *Verbo Jehovæ Cœli facti ſunt & Spiritu Oris omnis exercitus eorum.*

Liberatio populi *Iſr.* ex *Ægypto* ſoli Deo tribuitur, *Exod.* 3. 8. *Deut.* 32. 12. Ergò non dubitatur de Patre, de Filio probant loca *Exod.* 3. 2. & 23. 20. & 32. 34. Angelum illum Jehovæ eſſe Filium Dei oſtendit Deſcriptio, & Attributa ejus, Dicit ſe *Deum Abrahami*, *Iſaaci* & *Jacobi*; vocat Iſra. *populum ſuum*, Iſa. 63. 7, 8, 9.

Tres Perſonæ recenſentur & diſtinctæ operationes ijs tribuuntur; *Jehovæ* Miſeratio, *Angelo faciei* Redemptio, *Spiritui S.* exacerbatio & averſatio.

Adde quod Deſcriptio Meſſiæ *Iſa.* 61. 2. *Sp. Domini ſuper me*; *unxit me Dominus*, &c. ad Chriſtum applicatur, *Luk.* 4. 18, 21.

Queſt. *An Perſonæ diſtinguantur ab Eſſentia, & inter ſe, & quomodo?*

Reſp. Perſonas ab Eſſentiâ diſtingui patet; quià,

Eſſentia eſt Unica, Abſoluta, Communicabilis, non quidem ſecundum multiplicationem, ſed *Identitatem*. Perſonæ ſunt tres, *Relatæ* & *Incommunicabiles*.

Diſtinctionem alii ſtatuunt eſſe realem, alii formalem, alii *Virtualem* & *Eminentem*, Rationis Ratiocinatæ, quæ licet non ſit à parte rei, habeat tamen fundamentum in *Re*; alii Perſonalem, alij Modalem. Præſtat autem in generali notione ſubſiſtere, nempe quod diſtinguuntur, licet qualis & quanta ſit Diverſitas, à nobis capi nequeat. Præfertur autem Diſtinctio *Modalis*, quâ Perſona differt ab *Eſſentiâ*, non ut *Res* à *Re*, ſed ut *Modus* à *Re*. Unde nulla eſt *Compoſitio* in *Deo*, quia *Compoſitio* oritur ex rebus *diverſis*; *Modus* vero *diſtinguit* ſolummodò, non *componit*.

Perſonæ ſunt ἀλλήλοις *incommunicabiles*, ideóq; non ſolâ ratione differunt, nec tamen *Eſſentialitèr* & *Specificé*.

Modi iſti propriè nec ſunt *Subſtantiæ* nec *Accidentia*; quandoq; *Subſtantiales* vocantur; hoc autem fit reſpectu *Subjecti* (ſi fas ità loqui) non ratione *Formæ* vel *Quidditatis* ipſorum modorum.

Diſtinctio Perſonarum, obſervatur, vel

1. Quoad Perſonas, &

1. Ratione ordinis; *Pater* proponitur in Scripturis, ut *Prima*, quæ à nullo eſt.

Filius ſecunda, quæ eſt à Patre. *Spiri-*

Spiritûs S. ut tertia, quæ eſt à Patre & Filio; cujus reſpectu quædam ὑπεροχὴ à Theologis tribuitur *Patri*; non ratione *Eſſentiæ*, nam *Perſonæ*, quâ ὁμοούσιοι, & ratione *Eſſentiæ* ſunt *æquales*; ſed ratione *Modi*, tum in *Subſiſtendo* (unde *Pater* dicitur *Fons Deitatis*, non *abſolutè* quoad *Exiſtentiam*, ſed *Reſpectivè* quoad illius *Communicationem*) tum in *Operando*, quia *Ordo* operandi ſequitur *modum Subſiſtendi*; hinc *Pater* à *ſe*, *Filius* à *Patre* operari dicitur.

2. Ratione *Proprietatum Perſonalium.*

Patri tribuitur ἀγεννησία, dicitur αὐτογέννητος, non *affirmativè*; ità enim eſſet ſeipſo *prior* & *poſterior*: Sed *negativè*, quia eſt ἀγέννητος.
Filio γέννησις non ratione Eſſentiæ quâ *Deus*, ſed quâ *Filius.*
Spiritui S. ἐκπόρευσις.

2. Quoad Operationes; nam licet Opera ad *extrà* ſint *indiviſa*, & *communia* ſingulis Perſonis, *Ordine* tamen & *terminis* diſtinguuntur.

Ordine, qui cum ſequitur *Modum ſubſiſtendi Pater* à *ſeipſo* operatur; Filius à *Patre* operari dicitur, *Joh.* 5. 19. *Filius* non poteſt *à ſeipſo* operari, niſi quod viderit *Patrem operantem*. *Spiritûs* ab utroq;.
2. *Terminorum* reſpectu Operationes *Perſonarum* diſtinguuntur, ſic *Matth.* 3. Vox è cœlo terminatur ad Patrem, Incarnatio ad Filium; Apparitio ſub ſpecie Columbæ ad Spiritum S.

Sectio. III.

AN *Filius ſit verus & æternus Deus, Co-eſſentialis & Co-æternus Patri?* Quæſt.

Concedunt Adverſarii Filium eſſe Deum, & filium Naturalem; ſed negant ὁμουσίαν Filii cum Patre, Eſſe autem Co-eſſentialem cum Patre probatur

1. Ex *Nominibus* & *Titulis*;

Sermo erat Deus, Joh. 1. *Verus Deus & Vita æterna*, Joh. 5. 20. quæ verba non ad *Patrem* referenda eſſe, pronomen οὗτος evincit, quod Chriſtum reſpicit, ut Scopus illius textûs indicat.

Deus benedictus in ſæcula; quæ verba etiam non ad *Patrem* per Apoſtrophen referenda eſſe, ſeries *Verborum* indicat, nam ὁ ὢν ſententiam novam non inchoat, ſed inchoatam continuat. Et Limitatio κατὰ σάρκα opponitur *Deo Benedicto*.

Deus Magnus, Tit. 2. 13. Non utiq; *Pater*, ſed *Filius*, quia *Deus* & *Servator* uni Articulo ſubjiciuntur; & ἐπιφάνεια ſemper tribuitur Chriſto.

Magiſtratus quandoq; *Dii* vocantur, at nomen Dei nunquam propriè, abſolutè, & in *ſingulari*, niſi *vero Deo* tribuitur.

2. Ex *Attributis ſoli Deo propriis*; qualia

Æternitas; *Eſt, erat, & venturus eſt*, Apoc. 1. 8. *nec initium dierum nec finem Vitæ habens*, Heb. 7. 3. *Antequam Abrahamus exiſteret Ego ſum*, ait Joh. 8. 58. *Gloriam apud Patrem babuit antequam Mundus factus erat*, Joh. 17. 5. *Immenſitas & Omnipræſentia*, *in medio ſuorum ubicunq; congregati ſint*, Mat. 18. 20. *Filius Hominis qui eſt in Cælo*, Joh. 3. 13.

Omnipotentia, Apoc. 1. 8. & 11. 17. Omnia facere dicitur quæ Pater facit, *Job.* 5. 17. *Omnia portare*

portare Verbo ſuo, Heb. 1. 3. *Omnis poteſtas illi data*, Matth. 28. 18. quam non poteſt habere quâ Mediator, niſi eam haberet quâ Deus.

Omniſcientia. Domine, tu nôſti omnia, Job. 21. 17. *Novimus nunc quod omnia nôſti*, Joh. 16. 30. vocatur καρδιογνώστης, *Apoc.* 2. 23. *Luk.* 6. 8. *Job.* 2. 24, 25. Ignorare diem Judicii dicitur non, quâ Filius Dei, ſed Hominis, *Mar.* 13. 32. Nec, ſi *Solus Pater* dicitur hoc nôſſe, excludit cognitionem Filii & Spiritûs S. ſed illos quos oportuit hoc meditari, ut parati ſemper eſſent, nam *Spiritus profunda Dei ſcrutatur, & nemo cognoſcit Patrem niſi Filius*, Mat. 11. 27.

Immutabilitas; Heb. 1. 11, 12. *Cæli peribunt, tu autem permanes*, &c. 13. 8. *Idem heri, hodie, & in ſacula.*

Plenitudo Deitatis in ipſo habitare dicitur, i. e. *Eſſentia* cum *Attributis*, Col. 2. 9. *Vita Dei* illi tribuitur, *Joh.* 5. 26. quæ licet *dari* dicitur, non inde minuitur illius *dignitas*. Hoc enim *Ordinem* tantum notat, non *inferioritatem*.

Ex *Operibus*.

Creatio illi tribuitur, Joh. 1. 3. *Omnia per ipſum facta*, &c. Heb. 1. 3. 10. Col. 1. 16, 17. *Miraculorum patratio*, unde ad opera provocat. *Job.* 5. 36. Non tantum ſecunda Creatio intelligenda eſt, ut cavillatur *Socinus*, *ſine eo nihil factum eſt*: de Creatione Univerſali ergò agitur *Viſibilium* & *Inviſibilium*, & *Virtus* patrandi miracula non fuit illi *Adventitia*, aut *Miniſterialis*, qualis Apoſtolorum; dicitur enim ab ipſo manâſſe, *Luc.* 6. 19. & 8. 46. *Apoſtoli operati* ſunt nomine Chriſti, *Act.* 4. 7, 10. i.e. Ejus vi & autoritate. Preces nonnunquam adhibuit, non ex defectu potentiæ, ſed ob *voluntariam œconomiam* per quam Officio Mediatorio ſe Patri ſubmiſit.

Opera Redemptionis Chriſto tribuuntur, Electio, Redemptio, Vocatio, Sanctificatio, Miſſio Spiritûs ſancti, Defenſio adverſus Hoſtes, Donatio Vitæ æternæ, Vivificatio, Reſurrectio, Sui ipſius Reſuſcitatio, Judicium Univerſale. Neq; tribuuntur hæc Chriſto ut Cauſæ Inſtrumentali, pleraq; enim eorum neceſſe erat ab ipſo Deo fieri nullius Miniſterii interventu; & licet Chriſtus agat hîc ut Mediator, non deſinit operari ut Dominus.

Ex *Cultu Religioſo*; Illi debetur fides, *Joh.* 14. 1. *Credite etiam in me.* *Pſ.* 2. 12. *Beati qui ſperant in eum: At Maledicti qui in homine ſpem collocant*, Jer. 17. 5.

Obj. Fides poteſt in Creaturam terminari, & in Chriſtum tanquam Objectum ſecundarium. Iſraëlitæ dicuntur credidiſſe Deo & *Moſi*, Exod. 14. 31.

Sol. Non datur *Subordinatio* in Objecto Fidei; nec magis dividi poteſt *Fides* aut *Cultus Religioſus* inter Creatorem & Creaturam, quam ipſa Divinitas. Verba ergò illa *Exodi* non ad Perſonam referuntur, ſed ad doctrinam, & nuncium ab eo traditum. Et quamvis Chriſtus, quâ Mediator, eſſet adorandus, quatenus Mediator in conceptu ſuo dicit Perſonam divinam (quam non tollit minoritas œconomica) non tamen adorandus eſt, quâ homo, ſed qui Homo.

Ab *Æqualitate* cum Patre, *Joh.* 5. 17, 18. Chriſtus non negat illationem Judæorum quod fecerit ſe Patri parem, ſed confirmat ab æqualitate Vitæ ſive Eſſentiæ Viventis, *v.* 26. ab æqualitare operationis, *v.* 19. ab æqualitate honoris & cultûs ſoli Deo debiti, *v.* 23.

Non obſtat quod dicatur nihil facere à ſeipſo v. 19. hoc enim Ordinem operandi notat, qui ſequitur Ordinem ſubſiſtendi, non inæqualitatem Eſſentiæ vel Potentiæ.

Ab

Ab *Unitate* illius *cum Patre*, Joh. 10. 30. *Ego & Pater Unum ſumus*; malè hoc ab Adverſariis refertur ad Unitatem *Conſenſûs*; nam ab Unitate Potentiæ Chriſtus ibi ratiocinatur ad Unitatem Eſſentiæ, *v.* 28, 29. Nec Judæi lapidibus obruerent Chriſtum ob Unitatem Voluntatis ſed Eſſentiæ; Chriſtus dictum non revocat, ſed confirmat.

A Munere Chriſti Mediatorio, quo ut *Propheta* & externè & internè mentem illuminat, ut *Rex* Eccleſiam adverſus *Satanæ* & *Mundi* aſſultus tuetur, & ut *Sacerdos* infinitæ Juſtitiæ ſatisfacit, & *Redemptionem nobis acquirit*.

Chriſtus factus eſt Dominus poſt Reſurrectionem, *Act.* 2. 36. Non dominio Eſſentiali, ſed œconomico, quod illi competit quâ θεάνθρωπος, & quidem ratione plenariæ manifeſtationis & inaugurationis. *Fontes ſolutionum.*

Qui Hæres conſtituitur dono Gratiæ, non proprietate Naturæ, non eſt verus Deus, ſed Filius proprietate Naturæ.

Qui diſtinguitur à Deo ὀυσιωδῶς conſiderato non eſt Verus Deus, ſed Chr. tantum ὑποστατικῶς ſpectato.

Qui opponitur, ut homo merus, non poteſt eſſe Deus, qui ut homo verus poteſt.

Recipere aliquid in tempore, ex gratiâ quâ θεάνθρωπος & Mediator per impoſitionem Officii arguit inferioritatem & inæqualitatem, ſed recipere ab æterno ex Naturâ quâ λόγος, & per ejuſdem naturæ communicationem, tantum ordinem ſubſiſtendi.

Filius habet Principium Communicationis, non Inchoationis, quia Eſſentia communicata eſt ab æterno.

Chriſtus dicitur πρωτότοκος *Col.* 1. 15. primogenitus omnis Creaturæ ratione Dominii, non

πρωτότοκος ratione Creationis, quaſi primus inter Creaturas productus.

1 *Cor.* 8. 5, 6. Eſt *Unus Deus Pater*, non excludit Filium & Spiritum S. ſed *Idola* quibus ibi opponitur. *Unus Pater* & *Unus Dominus* ibi diſtinguuntur *perſonaliter* non *eſſentialiter.*

Chriſtus, *Matt.* 19. 17. Non negat ſe bonum eſſe oppoſitè ad Deum, nec abſolutè, ſed relatè ad mentem adoleſcentis qui eum ut merum hominem reſpiciebat.

Quamvis ſit à Patre ratione Perſonæ, eſt tamen αὐτόθεος Deus à ſeipſo ratione Eſſentiæ.

Quæſt. *An Filius Dei ſit ab Æterno genitus à Patre?*

Reſp. Non quæritur num Chriſtus non poſſit dici *Filius Dei* per gratioſam Sp. Sancti conceptionem & communicationem Exiſtentiæ, Poteſtatis, & Gloriæ Divinæ; ſed,an ab æterno genitus à Patre.

Appellatur *Generatio*, quâ dicit communicationem Eſſentiæ à parte *Gignentis genito*, per quam *genitus* fiat ſimilis *geniti*, & eandem cum ipſo naturam participet. Sed in multis à generatione *phyſicâ* differt; in *phyſicâ* pars tantum Eſſentiæ communicatur; in divinâ, eadem numero Eſſentia ſine deciſione aut alienatione. In *Phyſicâ gignens extra ſe* generat terminativè; in *divinâ*, *in ſe*, non *extrà.* Et Filius etſi diſtinctus, nunquam eſt ab eo diviſus, non ὁμοιούσιος, ſed & ὁμοούσιος.

Cum ſit ab æterno *Filius*, non eſt poſt *Patrem* licet à *Patre.* Generatio ἀνθρωποπαθῶς dicta θεοπρεπῶς intelligenda eſt, & omnis imperfectio removenda.

Perſona dicitur generare Perſonam, quia Actiones ſunt ſuppoſitorum; non Eſſentia Eſſentiam, quia non multiplicatur (nec datur *Tritheiſmus*) etſi communicetur.

Verè

Verè dicimus *Patrem* generare *Filium*, & genuiſſe; prius reſpectu Actûs æterni & indeſinentis, poſterius reſpectu noſtri, quibus imperfectum eſt quod eſt *in fieri*; perfectum, quod *in facto eſſe*, unde Scriptura etiam utitur verbo præterito potiùs quàm præſenti, *Pſ.* 2. 7. *Prov.* 8. 23.

Generatio ergo *terminata* dici poteſt *terminatione Perfectionis* non *Durationis*, & quum Filius ſemper gigni dicitur, non negatur perfectio *Termini*, ſed *Finis Communicationis*.

Pſ. 2. 7. *Hodiè te genui fiducia in eo collocanda eſt*, v. 11, 12. *Prob. t.*

Paulus refert illud Oraculum ad Reſurrectionem, *Act.* 13. 33. *Obj.*

Probat impletionem Promiſſionis de Chriſto *mittendo*, v. 33. ex *Iſa.* 4. 2. & Reſurrectionem *v.* 35. ex Pſ. 16. *Non derelinques animam meam*, &c. quæ non ſunt confundenda. Erat inſuper *Filius Dei* ante Reſurrect. *Job.* 1. 1. *Matth.* 3. 17. *Hic eſt Filius Dilectus*, &c. attamen declarari dicitur per Reſurrectionem, *Rom.* 1. 4. *Sol.*

Verba illa pars erant aut effectum Decreti tempore ſuo implendi; *narrabo*, inquit, *Decretum*, *Tu es Filius*; ergò non loquitur de *æternâ Generatione*. *Obj.*

Niſi ab æterno fuiſſet genitus, *Regnum* illud *Mediatorium* illi non decretum fuiſſet. *Sol.*

Sunt qui ad *Davidem* iſta pertinere volunt; ſed licet quædam ad *Davidem* tanquam *Typum* pertineant, alia tamen in hoc Pſalmo non niſi ad Chriſtum referri poſſunt.

Micha 5. 2. Egreſſus Meſſiæ dicuntur eſſe ex principio, à diebus Æternitatis.

Promiſſus eſt *Meſſiah* ab antiquâ Familia *Davidis* dominatoris oriundus. *Obj.*

Non agitur de antiquitate Familiæ Dominatoris, ſed Dominatoris ipſius; nec de Decreto Meſſiæ aliquandò exhibendi, ſed de Actuali ejus egreſſu; *Sol.*

aliàs omnium rerum *Egreſſus* dicendi eſſent æterni, quia Decreti.

Ex *Filiatione Chriſti*; non modò dicitur ὁ υἱὸς, κατ᾽ ἐξοχὴν, Heb. 1. 5. & Matth. 16. 10. *Filius Dei* vivi, ſed *Filius proprius*, Rom. 8. 32. *Job.* 5. 18. *Unigenitus*, Joh. 1. 14. *Summè dilectus*, Matth. 3. 17. Ergò non propter gratioſam Communicationem Exiſtentiæ & Gloriæ, Miraculoſam Conceptionem, Reſurrectionem, Exaltationem, vel Vocationem, quia Filiatio hujuſmodi dignitatum Reſpectu poterat aliis competere, ſi non eodem gradu, ſaltem eodem genere.

Plures habet Fratres, Rom. 8. 29. Eſt tamen *Unigenitus* geniturâ non myſticâ, ſed naturali; non per Qualitatum ſimilitudinem, ſed Eſſentiæ ipſius Communicationem: *Qui fuit in principio*, & *per quem omnia.*

Proprius dicitur (non quod non alienus, ſed verè Patris, ità enim quiſq, fidelium) ſed quod opponitur *Adoptivo*, & ſenſu maximè proprio; unde *Judæi* hoc audito lapidibus eum obruerent, quaſi blaſphemâſſet.

Effulgentia Gloriæ Patris, Heb. 1. 3. *Character Perſonæ ejus. Imago ei inviſibilis*, Coloſ. 1. 15.

Non accidentalis *Imago*, aut *Analogia*, uti Homo factus ad Imaginem Dei, & in Sanctificatione particeps divinæ Naturæ, ſed Eſſentialis & Naturalis, undè non ſimilis modò, ſed æqualis *Patri* dicitur.

Non ſequitur quod ſit Suiipſius *Imago*; non eadem eſt Perſona cum eo cujus eſt *Imago*, licet ejuſdem Eſſentiæ. Nec indè *Character dicitur*, quod Officio *Mediatorio* refert nobis *Patrem*, adeò ut *qui videt ipſum, videt & Patrem*, Joh. 14. 9. ſed, quâ *Deus carne manifeſtatus*, 1 Tim. 3. 16. Neq; ratione *Unctionis vel muneris*; non ideò *Filius*, quia *Meſſias*, ſed ideò *Meſſias* agnoſcendus, quia erat *Dei Filius*.

Primo-

Fontes Solutionum.

Primogenitus fuit *diverſimode*, ſcil.

Ratione {
- Temporalis Nativitatis, *primogenitus Matris.*
- Reſurrectionis, *Col.* 1. 18. Primogenitus *ex mortuis* Ordine cauſalitatis.
- Autoritatis & Dominii, *Primogenitus Omnis Creaturæ*, Col. 1. 15. Non quod inter Creaturas primò numerandus, quod ante omnes exiſtens, & *inter multos Fratres*, Rom. 8. 29. Quia prærogativæ illi propriiſſimè competunt.
- Dei, *Heb.* 1. 6. *Qui à Patre ab æterno.*

Pater Filium generat nec Exiſtentem nec non Exiſtentem (ſic enim non foret æternus) ſed Coexiſtentem ad modum Radii à Sole emanantis, nec fuit ante Generationem, nec accepit *Eſſe* per Generationem.

Genitus, non ut exiſtat, ſed ut ſubſiſtat, non ut conſtituatur *Deus* abſolutè, ſed *Filius* relaté.

Neceſſarium & *Voluntarium*, quoad noſtrum concipiendi modum diſtinguuntur, realitèr in Deo non opponuntur: Undè Pater Filium genuit neceſſariò, quia Naturâ, voluntariè quia non coactè. Voluntate non Antecedente quæ notat actum volendi liberum ad extrà; ſed concomitante, quæ notat naturalem volendi in Deo facultatem.

Filius à *Patre*, non à Seipſo genitus dicatur, licet ejuſdem ſit Eſſentiæ, Eſſentia enim non generat Eſſentiam, ſed *Perſona Perſonam*; eſt alius non aliud à Patre.

Perfectiſſimum aut *Infinitum* non generat aliud à *Se eſſentialitèr*, ſed alium *perſonalitèr*.

Filius non eſt Pater. Ambo tamen *Unus* Deus ſine contradictione, quia eadem eſt Eſſentia utriuſq;.

Fideles dicuntur gigni & naſci à Deo propter *Similitudinem Virtutum*, non per *Eſſentiæ communic.* Legimus *Luc.* 1.35. *Ideò* (διὸ) *quod naſcitur ex te vocabitur Filius Dei*; non quod conceptio potuit eſſe

eſſe argumentum à *poſteriori* quo naſceretur æterna *Filiatio*, aut cauſâ *Filiationis* illius, ſed ſignum cur ſic vocandus eſſet, nam antequam conciperetur fuiſſe dicitur, *Job.* 1. 1. *Phil.* 2 6.

Ex *Filiatione Divinâ* ineptè infertur *Mutatio* vel *Imperfectio*, *Alienatio* vel *Prioritas* Naturæ aut temporis quæ obveniunt in *Generatione Phyſicâ*. Conferantur enim *Generatio Hyperphyſica* & *Phyſica*, non confundantur.

Fruſtrà ſe fatigant Scholaſtici in modo iſtius Generationis explicando, cum ſit Ineffabilis, & ipſis Angelis ἀκατάληπτος.

Sectio IV.

Quæſt. AN *Spiritus S. ſit Perſona Divina à Patre & Filio diſtincta?* Affirm.

Reſ. Actiones perſonales ei tribuuntur. *Docere*, Joh.
Probatur 1. 14. 26. *Teſtari*, Joh. 15. 26. Rom. 8. 16. *Revelare futura*, 1 Tim. 4. 1. *Scrutare profunda Dei*, 1 Cor. 2. 10. *Separare certos*, & expreſſo mandato ad *Miniſterium mittere*, Iſa. 61. 1. Act. 13. 2. & 20. 28. *Creare*, Gen. 1. 3. *Fœcundare Virginem ſterilem*, Luc. 1. *Dona conferre*, 1 Cor. 12. 11.

Obj. Rebus ſæpè tribuuntur quæ Perſonarum ſunt: Peccatum decipit & occidit, *Rom.* 7. 11. *Legi* quod loquatur, *Rom.* 3. 19. *Charitati quod omnia credat, ſperet*, &c. *Sanguini Abelis quod clamet*, &c.

Sol. Nemo non videt hæc media tantum fuiſſe quibus per uſitatam *Metalepſin* actio principalis Agentis aſcribitur. Diabolus decipit per peccatum. Lex non loquitur propriè ſed legiſlator in lege *&c.* Quæ autem Spiritui ſancto tribuuntur, ad res inanimatas non transferuntur.

Nec *Proſopopœiam* referunt; nam *Proſopopœiæ* ſubjectum ordinariè ſolet eſſe res corporea vitâ

carens

carens, & licet quædam locutiones figuratæ ſint, non quicquid de Spiritu legitur, figuratè intelligendum eſt.

Proponitur non tantum ut diſtinctus à Patre & *Filio*, ſed ut *alius*, & *Miſſus* ab utroq; *Joh.* 14. 16. & 15. 26. & 16. 7. Et nomen *Paracleti* Officium Perſonale innuit, 1 *Joh.* 2. 1. 2.

Æquali autoritate & virtute in conferendis Bonis Eccleſiæ concurrit. 3.

Sub ſpecie viſibili apparuit, *Mat.* 3. 16. & die Pentecoſtes, *Act.* 2. 3. non ergò Attributum aut Accidens eſt; quamvis enim Accidentia in oculos incurrunt immediatè, ſupponunt tamen rem ſubſtratam, quam Spiritum ſanctum fuiſſe textus aſſerit, & à Perſonis Patris & Filii diſtinguit.

Peccatur in Sp. ſanctum ab *Iſraelitis*, *Iſa.* 63. 10. *Ananiah* & *Sapphira*, *Act.* 5. 3. Interdùm Res, quæ Perſonæ non ſunt, dicuntur Objecta Blaſphemiæ, ut *Doctrina*, 1 Tim. 6. 1. *Dei Sermo*, Tit. 2. 5. *Via Veritatis*, 2 *Pet.* 2. 2. hæc autem blaſphemari dicuntur relatè ad Deum in quem refunduntur, Spiritus autem S. eſt objectum peccati diſtinctum à Patre & Filio, *Matth.* 12. 31, 32.

Perperam dicitur Ananias mentitus Spiritui S. ceu Dei dono quo pollebat *Petrus*; nam mentiri nemo poteſt alicui niſi ut Perſonæ intelligenti & viventi, unde *Petrus* v. 4. inquit, *non mentitus es hominibus ſed Deo*, *nempe Sp. Sancto*, v. 9.

Multoties à Donis diſtinguitur tanquam eorum Autor, 1 *Cor.* 12. 4. 8. *Diſcrimina ſunt Donorum, ſed idem Spiritus. Receſſit è deſerto Chriſtus in virtute Spiritûs*, Luk. 4. 14.

Eſt inſuper *Perſona Divina*, ut conſtat,

Ex *Nominibus*; dicitur enim *Jehova Exercituum*, Iſa. 6. 9. applicatur, *Act.* 28. 25. & *Rupes Iſraelis*, 2 Sam. 23. 2. 3. *Ananias* mentitus eſt Deo eo quod Spiritui Sancto. *Act.* 5. 3, 4.

Ex

Ex *Attributis*,

Æternitate, erat Principio, *Gen.* 1. 2. *Omnipræſentiâ* & *Immenſitate*, Pſ. 139. 7, 8. *quo irem à Sp. tuo?* *Omniſcientia*; *Scrutatur profunda Dei*, 1 *Cor.* 2. 10. non effectivè, ac ſi faceret nos ſcrutari, hoc enim noſtrum non eſt, *nè opprimamur à Gloriâ.* Sed ſubjectivè & formaliter, & hæc non dubitationem ſupponit, ſed penetrationem, quomodo Deus ſcrutari corda dicitur.

Futura enunciat, *Job.* 16. 13. 2 *Pet.* 1. 21.

Omnipotentia, quia virtus altiſſimi. *Luc.* 1. 35.

Ex Operibus.
Naturæ, qualia ſunt Creatio, *Gen.* 1. 2. *Pſ.* 33. 6. Conſervatio, Gubernatio, *Pſ.* 104. 30. Patratio Miraculorum, *Matth.* 12. 18. Unctio & Miſſio.
Gratia, qualia ſunt Chriſti Conceptio, *Luc.* 1. 35. *Iſa.* 61. 1. Peccatorum Remiſſio, & Regeneratio, 1 *Cor.* 6. 11. *Job.* 3. 5. Collatio donorum, 1 *Cor.* 12. 7. Illuminatio, *Eph.* 1. 17. Sanctificatio, 2 *Theſſal.* 2. 13. 1 *Pet.* 1. 2. Mortuorum Reſuſcitatio, *Rom.* 8. 11.

Ex *Cultu Divino*; *Baptiſmo* in eum jubemur credere, in Symbolo ab eo Gratiam & pacem petimus, 2 *Cor.* 13. 13. *Apoc.* 1. 4. *Spiritus qui locutus eſt per Prophetas invocatur ab Eccleſiâ*, Act. 4. 24.

Fontes ſolutionum. *Donum Dei* οὐσιωδῶς conſiderati non poteſt eſſe *Deus*, ſed perſonaliter conſiderati poteſt. Sic Chriſtus dicitur *Donum Dei*, Joh. 3. 16.

Spiritui Sancto quandoq; tribuuntur, quæ minùs congruere videntur Perſonæ, ut quod eo ungamur, Baptizemur, quod effundatur à Deo, quæ de donis ideo intelligenda ſunt, ſuppoſitâ tamen Veritate, ità etiam Chriſtus dicitur indui, recipi, & manducari à nobis.

Diſtributiones Spiritus S. Heb. 2. 4. *agnoſcimus*, i. e. *donorum*, & Perſona eſt Indiviſibilis; ſed ſicut anima

anima eſt in qualibet parte. Sæpè Metonymicè ponitur pro donis, & ità augeri vel minui poteſt. Elizæus duplicem Spir. pro ſe petit, *&c.*

Verus Deus mitti non poteſt, per imperium, ſed per Conſenſum.

Spiritus S. nondum erat ante Chriſti Glorificationem, *Joh.* 7. 39. i.e. Effuſio illa ampliſſima quæ in diem Pentecoſtes reſervata eſt, nondum erat.

An Spiritus S. à Patre & Filio procedat? Affirm. Quæſt.

Proceſſio latè ſumpta dici etiam poteſt de Filio; *Reſp.* nempe prout notat *Originem ab aliquo habere.* Sic, dicitur *exiviſſe à Patre*, Joh. 16. 28. Michæ 5. 2.

Strictè ſumiter pro modo communicationis *Eſſentiæ Divinæ* à *Patre* & *Filio*, diſtincta à Generatione *Filii.*

Differunt *Generatio* & *Proceſſio*, ſed quodnam eſt diſcrimen tutiùs ignoratur, quam quæritur. Scholaſtici docent *Generationem Filii* fieri per modum Intellectûs, unde dicitur Dei Sapientia, Proceſſionem per modum *Voluntatis*, unde Spiritus dicitur Amor & Charitas. Saniùs Alii in tribus diſcrimen collocant.

in {
- *Principio*, quod *Filius* à *Patre ſolo* emanat, *Sp.* *à Patre & Filio*;
- *Modo*, quod *Filius* per *Generationem*, quæ terminatur, & ad Perſonalitatem, & ad Similitudinem, ob quam Filius *Imago Patris* dicitur, & ſecundum quam Filius accipit proprietatem communicandi Eſſentiam alteri Perſonæ.
- *Ordine*, quod Generatio, modo noſtro concipiendi, præcedit ſpirationem.

Græci accuſant Latinos, quòd addiderant Symbolo *Nicæno*, per *Conſtantinopolitanam* explicato; particulam *Filioq;*. Latini Græcos culpant, quod in Symbolo Athanaſ. vocem μόνου inſeruerunt Art. 7.

ἀπὸ

ἀπὸ τοῦ πατρὸς, in *Conc. Florent.* Temperamentum quæſitum eſt, ut ſtatueretur *Spiritus S. à Patre per Filium procedere*; Sed *Orientales* qui ſubſcripſerant ab illâ tranſactione reſilierunt.

De Deitatis unitate & Perſonarum Trinitate inter eos Conſenſus erat.

Nec Græci propter Sententiam ſuam meruerunt Hæreſeωs inſimulari, nec ſufficiens inde ſumenda eſt Occaſio *Schiſmatis*. Sententia verò Latinorum præferenda.

quia
- Spir. S. mittitur *ab utroq*; Joh. 16. 7.
- *Patris* & *Filii* Spiritus dicitur, *Gal.* 4. 6. *Joh.* 15. 26.
- Habet à *Filio* quicquid habet à *Patre*, Joh. 16. 13, 14, 15.
- A Filio communicatus erat Diſcipulis in tempore per inſufflationem, *Joh.* 20. 22. unde ſupponitur ipſum à Filio ſpiratum fuiſſe ab æterno.

Cum vis *Spirativa* ſit una numero in Patre & Filio, non benè diceretur, hoc reſpectu, *Spiritus à Patre procedere per Filium*, quaſi eſſet *principalitèr* à Patre & *ſecundariò* à Filio; ſed ſi ſpectetur *Modus ſubſiſtendi*, ſecundum quem Pater eſt *Fons Deitatis*, dici poteſt per Filium proceſſiſſe, *quoad ordinem.*

Pater & *Filius* ſpirant, non ut duo Principia diverſa, ſiquidem *Vis Spirativa* eſt eadem in utroq;, ſed ut duo ſuppoſita, quæ eâdem Virtute concurrunt ad iſtam Spirationem.

Si in *Symbolis* quibuſdam antiquioribus omiſſa fuit [*Filioq*;] factum id fuit, quia tunc temporis nulla de proceſſione Spiritûs S. lis mota fuerat, ſed addita fuit prudentèr poſtea ob inſurgentes *Errores.*

Caput V.

De Operibus Dei internis.

Sectio I.

O*Pera Dei interna*, præter iſta quæ ſunt cuiq; perſonæ propria, quales ſunt, *Æterna Filii Generatio*, *Spiratio* & *Proceſſio* Spiritûs S. quæ ad *intrà* dicuntur, & ad *Doctrinam* de S. *Trinitate* ſpectant; ſunt etiam quædam ad *Extrà*, quæ etiamſi *interna* ſint, connotant reſpectum ad terminum extra Deum, ut *Decreta*.

Decretum eſt (*a*) *Conſilium*, ſeu (*b*) *Propoſitum Dei*, quo rerum (*c*) *omnium*, etiàm *poſſibilium*, ab *Æterno* (c) præſcius, (*d*) ſimul & ſemel apud ſe ſtatuit, quænam eorum futura forent, & quomodo gubernarentur.

(*a*) Act. 4. 28. *Ut facerent quæcunq; manus tua, & conſilium tuum prædeſtinavit, ut facerent.*

(*b*) Rom. 8. 28. *Qui ex præſtituto ipſius ſunt vocati.*

(*c*) Act. 15. 18. *Nota Deo ab æterno ſunt omnia opera ejus.*

(*d*) Vide §. 2. Hujus Cap. Sentent. ſextam.

Decretum Dei eſt { *Generale*, / *Speciale*.

Generale, eſt de Rerum omnium Creatione & Gubernatione.

Alias

Alias *Providentia æterna*, & *Conſilium æternum* appellatur, *Eph.* 1. 11. Omnia agit Deus ex *Conſilio voluntatis ſuæ.* Prov. 16. 4. Iſa. 46. 10. & ſi voces iſtæ πρόθεσις, & πρόορισμὸς in Scripturis ſumantur pro propoſito Dei æterno de Salute noſtra in Chriſto, non tamen in dubio eſt, quin *Propoſitum & Decretum* de productione & ordinatione aliarum etiàm Creaturarum ab æterno exſtitit. Non enim prorſùs rejicienda ſunt *Axiomata* hæc,

Deum ab æterno decreviſſe, quæ futura erant. *Act.* 4. 27, 28. *Eph.* 1. 11. & 3. 11.
Illius Decreta (cùm in *Deo* ſunt) eſſe *ipſum Deum.*
Decreta eſſe *libera*, licet Deus ſit *Ens* maximè neceſſarium; & *Multa*, quamvis

Ipſe ſit *Ens* Unicum & *Simpliciſſimum*. Namq; tum Scripturis, tum Rationi maximè conſeutanea videntur, quamvis *Sociniani* & quidàm *Remonſtrantes* ea perſequantur, & argutiis ſuis oppugnant. ex. gr.

Obj. Tunc idem eſſet *Liberum* & *Neceſſarium*, Ens *Multiplex* ſimul & *Simpliciſſimum*, *Dependens* & *Independens.*

Eodem redit & altera Cavillatio; Quod dependet ab alio, non eſt Deus, ſed Decretum, ſi liberum, dependens eſt à Deo, qui potuit non decreviſſe.

Sol. 1. Reſpondent nonnulli quod *Decreta* non differunt ab ipſo Deo, ſi conſiderentur ut Actus interni, ſubjectivè, à parte Dei, ſive reſpectu Principii; ſed quatenùs conſiderantur Objectivè, extrinſecè, & relativè, terminativè, & à parte Creaturarum, ità tanquàm *Libera* & multiplicia conſiderantur.

2. Quod dependet ab alio tanquàm à Cauſâ propriè dictâ, non eſt Deus, ſed *Decreta* quatenùs ſubjectivè

ctivè in *Deo* concipiuntur, ab eo dependent tanquàm à Principio duntaxat, & poſteriora ſunt in ſigno Rationis tantùm, ſive à parte Conceptûs noſtri, non ratione *Rei* & *Temporis*; ità quidam *Scholaſtici* reſpondere, ſeu potiùs garrire ſolent.

Tutiùs autèm eſt quoad modum hujus aliorumq; in Deo myſteriorum ἐπέχειν, quàm haud intelligenda effutire: Non enim eſt Intellectûs finiti de Eſſentiâ Dei, nedùm de modo internarum illius Operationum quidquam extra Revelationem definire, niſi per modum Remotionis, aut Eminentiæ, ſive per Alluſionem ad Res *Sæculares*. Imo haud quenquam mortalium capacem eſſe reor, cui fiat Myſteriorum iſtiuſmodi *Revelatio* quemadmodum in Deo ſint. *Vide Præfat. C. de Deo.* Quod de iis ex Scripturis colligere fas ſit paucis abſolvemus. 3.

An Decreta ſint abſoluta, an Conditionata? Quæſt.

Decreta Dei ſunt certa, immutabilia, & abſoluta, non conditionata, aut ab incertâ Conditione ſuſpenſa. *Heb.* 6. 17. Apoſtolus *Immutabilitatem* Conſilii Divini laudat, *Jac.* 1. 17. *in Deo non eſt mutatio.* Mal. 3. 6. *Ego Jehova non mutor.* Neq; enim in Deo eſt defectus aut Sapientiæ in *decernendo*, aut Potentiæ in *exequendo*; nec quidquam eſt dictu abſurdius, quàm Deum decernere aliquid ſub conditione, quum eo momento quo decreverit ſcit nunquàm impletum iri. *Reſp.*

Conditio definitur Lex negotio appoſita quæ ſuſpenſum illud tenet.

Medium, quatenùs *Agentem* reſpicit, eſt Ratio, ſeu via, quâ ad finem propoſitum pervenitur.

Interdùm eadem res eſt & *Medium* & *Conditio* ſtrictiùs dicta, diverſo reſpectu; ſic centum *Philiſtæorum Præputia* reſpectu *Saulis* erant *Conditio*, reſpectu *Davidis Medium*. *Decreta* autem *Divina* non ſuſpenduntur ab ullis ſive *Mediis* ſive *Conditionibus*, quæ quoad *Eventum* ſunt incerta.

Obj. Quædam decernuntur per *Media*, & ſub *Conditione*, quod Media illa eventura ſint, ut decretum de Salute; annexas habet conditiones *Fidei* & *Pœnitentiæ*. Mors etiam decernitur, ſi venenum loco cibi Salutaris per Errorem ſumatur.

Sol. Etiamſi *Res Decreta* ſæpè conditionata ſit, ipſum tamen Decretum certum eſt & ſtabile; & illud ipſum quod reſpectu cauſæ ſecundæ rationem ſæpè habet incertæ *Conditionis*, reſpectu Primæ Cauſæ habet rationem *Medii*, & certò futurum eſt. Sic, qui per *Errorem lethale* quoddam pharmacum exhaurit, ab æterno certò prævisus fuit tempore ſuo, & illud ſumere, & inde perire. Salus etiam æterna annexas habet Fidem & Pœnitentiam, quæ tamen non ſunt aut *Cauſa* aut *Conditio* ipſius *Decreti*, aut *Volitionis*, in Intentione Divinâ; ſed *Media* quæ in Executione cum *Re Decretâ* connectuntur.

Obj. *Promiſſiones* & *Comminationes conditionales* cum Decretis abſolutis non conſiſtunt, *Jer*. 38. 17, 18. *Si exieris ad Principes Regis Babel, vives tu & Familia tua.* Sin Deus abſolutè decreviſſet ut oculi *Zedekiæ* eruerentur, & Liberi ejus occiderentur, ſicut iis obtigit, aut abrogaretur iſtud Decretum Abſolutum, (ſi *Jeremiæ* conſilio morem geſſiſſet *Zedekiah*) aut Promiſſa non implerentur.

Sol. *Promiſſiones* & *Comminationes conditionales*, inſtar ſtimuli adduntur mandatis ad homines excitandos, non autem prædicunt quid ſit futurum, ſed quid eveniet ex præſtitâ conditione. *Decreta* veritatem habent *Categoricam*, *Promiſſiones* & *Comminationes ſolummodò* nexum neceſſarium indicant *Conditionis* cum *Conditionato*, at *Veritas* illarum, & cum decretis

cretis abſolutis conſonantia, inde appareat, quòd in aliud Decretum abſolutum refunduntur, quo nexus inter Cauſas & Effectus proprios, & inter Medium & Finem aſtrictus tenetur. Sic qui *crediderit*, *Salvus erit*, nihil falſi complectitur; nititur enim *Decreto* quo Deus Fidem cum Salute indiſſolubili nexu ſociare voluit. Idem etiàm reſpondendum eſt de locis ſimilibus, 2 *Sam.*24.13. *Jerem.* 16. 3, 4. & 17. 24. *Gen.* 20. 7. Oſtendunt certitudem connexionis unius cum alio, Obedientiæ & Conſervationis, Rebellionis & Exitii, non Futuritionem eventuum.

Luc. 7. 30. Phariſæi dicuntur rejeciſſe conſilium Dei adverſus ſeipſos, ergò non erat abſolutum & immutabile. *Obj.*

Conſilium ibi non denotat *Decretum* de ſalvandis Phariſæis ſub conditione Fidei & Pœnitentiæ, ſed voluntatem Mandati; ſcil. *Teſtimonium* per *Joannem* de *Chriſto*, quo *Teſtimonio* Deus conſilium aperuit de modo quo vitam æternam aſſequerentur. *Sol.*

Num Decretum immutabile tollat libertatem voluntatis? Quæſt.

Non. Deus enim neque decernendo, neq; decreta exequendo Cauſarum ſecundarum Naturam aufert, aut immutat; ſed in Liberis Libertatem, ſicut in NeceſſariisNaturam cauſarum neceſſariarum conſervat, iiſq; ſuccurrit, & ex cauſâ Liberâ, præſcius quo ſe fuerit inclinatura, (ex Hypotheſi quod crearetur Libera, ſuſtentaretur & Libertati permitteretur) Effectum per actionem Liberam productum fore decrevit, quemadmodum ex cauſâ neceſſariâ Effectum neceſſarium. *Reſp.*

Neque hinc ſequitur, quod Deus in decernendo penderet à Liberâ Creaturæ determinatione; Ipſe enim hanc cauſarum ſeriem, operandiq; Ordinem liberè conſtituit, & quoties Ipſi viſum fuerit inhibere poteſt. *Vide* §. 2. *de prædeſtinat.*

Obj. Quæ decernuntur, neceſſariò eveniunt, unde *Actiones Voluntatis* juxta hanc Hypotheſin decernuntur, & neceſſariæ eſſent, non liberæ.

Sol. Res decretæ neceſſariò eveniunt, ſed non omnes ex Neceſſitate Voluntatis & Conſequentis, ſive quæ ipſi *Voluntati* imponitur. *Voluntas* enim agit liberè, etiamſi *actio* illius neceſſitate Conſequentiæ non potuit non fuiſſe. *Auguſt. de Civitat. Dei*, 5. *C.* 9. *adverſus Cicer.* (qui præſcientiam oppugnavit, ut Libertatem Voluntatis confirmaret)& Stoicos (qui omnia ex Neceſſitate evenire docuerunt) " Et Deum dicimus omnia ſcire antequam " fiant, & voluntate nos facere quicquid à no- " bis non niſi volentibus fieri ſentimus & novi- " mus —— —— Non eſt conſequens, ut ſi Deo " certus ſit omnium cauſarum Ordo, ideò nihil ſit " in noſtræ voluntatis arbitrio.

Quæſt. *Quodnam eſt Fundamentum Concordiæ inter Decretum & Voluntatem liberam?*

Reſp. 1. Concordia hæc non inde oritur, quòd Intellectus ab Objecto determinetur, & quod *voluntas* dictamen illius neceſſariò ſequatur (ut voluit *Amyraldus*, &c.) hinc enim ſequeretur, quod primo homini imponeretur peccandi Neceſſitas per Objecta, idq; Deo procurante.

2. Non quòd Decretum ſortitur Effectum ſuum per Determinationem ſive Efficaciam Phyſicam, quâ facultates Humanæ permoveantur, tum enim Actiones quibus Malitia neceſſariò annexa eſt in Individuo (qualis erat Eſus fructûs vetiti) Decreto Effectivo & Providentiæ Dei tribuendæ forent. Pœnas etiam daret is, cui impoſita fuit Neceſſitas peccandi. Licet enim Sententiæ Illius Oppugnatores dictas conſequentias non facilè admittant, & amovere conentur, intereà durè ſonant ipſorum Apologiæ, neque facilè Autorum ſuorum diſtinctionibus excuſantur; nempe aliud eſt *velle rem per ſe*,

ſe, aliud *velle rem quoad Eventum*; Alia eſt Neceſſitas *Coactionis*, alia *Infallibilitatis*; aliud rem evenire neceſſariò *ſenſu compoſito*, aliud *ſenſu diviſo*; aliud *velle Decreto Effectivo*, aliud *Decreto Permiſſivo*; maximè dum ipſum permiſſivum Decretum etiam docent eſſe efficax, immutabile, & irreſiſtibile.

Satis eſt (ut nonnulli arbitrantur) in re tam obſcurâ, paucas has Concluſiones ponere; iisq; acquieſcere;

Nihil Deo inſcio vel invito fieri;
Nihil mali contingere, niſi quod Deus certo Conſilio ſinit, & ad optimos fines dirigit;
Deum juſtarum Actionum Autorem eſſe, malas ad ipſas Creaturas referendas;
Homines liberè agere, ut laude aut vituperio digni habeantur.

Modum autem exponere quo Deus futura contingentia præſcivit, & de iis regendis ab æterno deliberavit & decrevit, imparem Humano intellectui provinciam eſſe judicant. Inveſtigabiles enim viæ ejus, nec incaute apud *Plebem* vulganda ſunt dogmata quæ ſcrupulos animis injiciant. Modeſta interim diſquiſitio *ſtudioſis* non eſt deneganda, ideoq; ulterius progredi haud decet, quàm ut arbitremur, Deum non Effectum quenquam Cauſæ Liberæ ab æterno præfiniviſſe, antequàm, præſcivit quò Cauſa illius eſſet Inclinatura, ex Hypotheſi quòd eam crearet, hoc vel illo rerum ſtatu & circumſtantiarum Ordine locare decerneret, & ad Electionem eliciendam aut denegandam aptis viribus inſtrueret; *ex gr.* Non videtur Naturæ divinæ conſonum, ut Lapſum Adami, vel quoad Materialitatem decerneret, vel ut illi concurſum ſuum miniſtraturus eſſet, niſi præſcius fuiſſet in quam partem *voluntas* Adami (ex Hypotheſi præ-

dictâ) eſſet inclinatura. Juxta hanc Hypotheſin *voluntas* liberè agit & pro arbitrio; *Decretum* etiam æternum per *Liberam* hominis *voluntatem* adimpletur.

Non eſt quod ulteriùs de fundamento hujus præſcientiæ ſerram reciprocemus, ſive unde præſciri poſſint quæ à *voluntate liberâ* & *indeterminatâ* pendent. Scientiæ autem divinæ infinitati hoc tutiſſimè tribuendum videtur, cui non magis repugnat Actiones voluntatis liberæ præſcire, quam *Potentiæ* divinæ *voluntatem* in Creatione *Libertate* ſuâ donare. Adde inſupèr, quod multa ſunt de quorum Exiſtentiâ certi ſumus, quorum tamen modum & rationem Operandi neceſſe eſt ut ignoremus. Objectionibus reſpondet *Rob. Baron.* Metaph. §. 12. diſp. 2.

Quid de Decreto Æterno nôſſe convenit; Quatenùs reſpicit Statum Angelorum, per Analogiam ad Statum Generis Humani eodem Decreto præfinitum.

Inter Objecta Decreti Generalis, quatenùs Humanum Genus reſpicit, ipſa vita hominis cenſenda eſt; Ejus nimirum

Ingreſſus, ſive Miranda illius *Formatio*, & in lucem Editio. *Job* 10. 8. *Pſ.* 22. 10, & 71. 6. *Act.* 17. 25.

Progreſſus, Matth. 10. 30. *Ne capillus*, &c. *Pſ.* 50. 21, & 56. 9, & 139. 1, *&c.*

Egreſſus, *Numerati ſunt dies ejus*, Job 14. 5. Pſ. 139. 16.

Num

Num Terminus, vitæ fixus & fatalis ſit, an mutabilis? Quæſt.

Non quæritur de *Termino vitæ* abſolutè, *ſtatutum enim eſt omnibus ſemel mori*, Heb. 9. 27. ſed de horâ, & genere mortis. Eſtq; Mobilis, ſi cauſas Secundas ſpectes, fixus verò & immobilis reſpectu Cauſæ Primæ, illiuſq; Scientiæ & Decreti. Conſtitutio nimirum Termini illius non eſt fatalis & abſoluta, ſcil. neceſſaria ſine ullo cauſarum ſecundarum reſpectu, ſed limitata reſpectu habito ad cauſas ſecundas tum *Naturales* tum *voluntarias*; ideoq; Terminus vitæ conſiderari poteſt, Reſp.

vel { Quâ *Phyſicus*, quatenùs pendet à Cauſis Naturalibus, ut à bono & malo Regimine, & *mobilis eſt*;
Quâ Hyperphyſicus, quatenus pendet à Cauſâ primâ prævidente, quem ad modum, & quâ circumſtantiarum ſerie, quiſq; ſe geſſurus eſt, & *fixus eſt*. }

Sic Deus illi, quem præſcit ebrietatem, cædes, & libidines ſectaturum, brevem vitam ut plurimum conſtituit: neq; tamen ſceleſtus abſolutò Decreto ad iſtum vitæ terminum impellitur; ſed ſi vitam emendaret, Deus hoc prævidens alium vitæ terminum ei conſtituiſſet. “ Hinc Aquin. 1. q. 116. art. 3. “ *Fatum ut in Cauſis ſecundis eſt mobile, ut autem* “ *à Divinâ præſcientiâ, eſt immobile, non neceſſi-* “ *tate abſolutâ, ſed conditionali.* Si Decretum à priori ſpectemus, non affert Homini neceſſitatem, ut hâc horâ, hoc mortis genere occumbat; ſin à poſteriori, tùm ex Præſcientiæ *Infallibilitate* neceſſitas illa infertur, ſed quodammodò conditionata & *Conſequentiæ* duntaxat, non *Conſequentis*.

Fixum eſſe vitæ Humanæ terminum (ſenſu prædicto) teſtantur Scripturæ, *Job* 14. 5. *Numerus menſium ejus penes te eſt, terminationes ejus feciſti quas*

 non

non tranſgredietur, & v. 14. *præfinitum eſt Tempus*, Pſ. 39. 4, 5. *Fac ut cognoſcam finem meum*, &c. *Matth.* 6. 27. *Nemo ſolicitudine ſuâ cubitum*, &c. & *Job.* 7. 30. *Nondum venerat Chriſti hora*, Jer. 28. 16, 17. *Eodemq; anno moriebatur Hananiah*, &c. *Deut.* 34. 5. Moſes *moriebatur ſuper os Domini*, i.e. *juxta verbum Domini.*

Mortis inſupèr genus maximè fortuitum Præviſioni & Ordinationi divinæ tribuitur, *Exod.* 21. 13.

Obj. *Iſa.* 38. 1, 5. *Moriturus non vives*, ait Propheta qui actus fuit à Spiritu S. 2 *Pet.* 1. 21. *Addidit autem Deus diebus illius* 15 *annos.*

Sol. Non pugnant iſta Effata. *Moriturus erat* Hezekias, ſi cauſas Naturales reſpicias, erat enim morbus ejus lethalis, *v.* 1. at ſecundum Decretum Dei & illius Providentiam non erat *Hezekias* tunc temporis moriturus; adduntur 15. anni ad computum *Hezekiæ*, nè momentum quidem ad computum divinum. Non oſtendit Deus Prophetæ, quid de vitæ termino decreviſſet, ſed intentionem ſuam ad tempus occultavit; non alitèr ac olim *Abrahæ* mandans immolationem *Filii*, propoſitum de *Iſaaco* conſervando celavit; dicit *Hezekiæ, moriturus es*, ſed tacitâ conditione, ſcil. niſi ſeriò precibus ad Deum confugias, *&c.*

Non abſimilis Interminatio conditionalis extat, *Gen.* 20. 3. *Abimelecho* dicit Deus, *Ecce tu illicò moriturus es propter hanc mulierem, nam marito juncta eſt*; quæ intelligenda erat ſub tacitâ conditione, *niſi eam reſtituas.* Ità etiam perditionem minatus eſt *Ninevitis*, Jonæ 3. 4.

Obj. Hinc inanis eſſet omnis ſolicitudo de precibus, medicinâ, aliiſq; ſalutis recuperandæ mediis, certò quippe & infallibilitèr eveniet quod ab æterno decernitur.

Sol. Qui terminum vitæ fixit Decreto ſuo, media quoq; ad Terminum ducentia ordinavit; quamvis autem

autem Illius eſt de Fine, noſtri eſt de Mediis proſpicere, ſine quibus finem non aſſequimur: *Hezekiam* oportuit maſſam ficuum applicare, atq; eâ mediante, decreta & promiſſa vitæ prolongatio illi collata eſt. *Act.* 27. 34. Deus *Paulo* revelavit, *neminem eorum qui unà ſecum Navi vehebantur, periturum*; nihilominùs cum Nautæ ſcaphâ Expeditâ ſibi erant proſpecturi, *Non poteſtis conſervari* (inquit *Paulus*) *niſi hi manſerint*. Pariter in negotio Religionis. Objiciunt nonnulli,

Fruſtrà virtuti & Pietati ſtudetur in ordine ad ſalutem, & in fumum abibunt pia conamina; certò enim & infallibilitèr eveniet quod decernitur. *Obj.*

Decretum de finali hominum ſtatu non eſt abſolutum à mediis ad eum ducentibus, *Eph.* 1. 4. *Elegit nos in Chriſto, ut eſſemus Sancti*. Non decrevit ſalutem *Petro* ſive reſipuerit, ſive non, ſed reſipiſcenti, neq; *Judæ* perniciem, niſi impœnitenti. *Sol.* 1.

Etiamſi pietatis Officia & bona Opera Electorum à Parte Dei, ſive quatenus ad ea Deus concurrit ſint certò & infallibilitèr eventura, ſunt tamen *Libera* ex parte Hominis qui ſtudio & conatu indies in pietate proficere non deſiſtit. Imò licet certitudine ſubjecti certiores facti ſimus de fine Optabili, media tamen nullatenùs eſſent negligenda. Vita *Hezekiæ* certò prolonganda erat, non autem illi fas erat vel maſſam ficuum, vel victum & amictum negligere, ſed eatenùs ſubſervire Dei conſilio. 2.

Prolongatio vitæ piis promittitur, *Exod.* 20. 12. *Prov.* 3. 16. Abbreviationem dierum Deus minatur impiis, *Pſ.* 55. 23. *Eccl.* 7. 17. morientur ante tempus ſuum & per reſipiſcentiam poſſent (ſicut *Ninevitæ*) vitam prolongare. *Obj.*

Promiſſiones & Comminationes non declarant abſolutè quid cuiq; continget in particulari, ſed *Sol.*

con-

conditionem ſæpiſſimè tacitam includunt; nec ſomniet aliquis omniſcientem Deum latuiſſe, num Homines conditionem iſtam, haud impoſſibilem, (quantum in ſe) acceptaturi an rejecturi forent.

Obj. Qui ſeſe interficiunt hinc excuſarentur quod Decretum Dei adimpleant.

Sol. 1. Non magis quàm Latrones viatorem atrocitèr jugulantes, qui ex Dei providentiâ in manus eorum inciderit.

2. Cædes & Latrocinia Deum noluiſſe nôrunt, iſtiuſmodi autem vitæ terminum, niſi ab ipſis facinora ſua patrare decernentibus, ignorant.

Obj. Hâc illuſione freti Turcæ Deum tentant, nihil ſibi metuentes à peſte alióve periculo, quia dies ſuos immutabilitèr numeratos eſſe credunt.

Sol. Fortes & imperterritos nos reddere poteſt Fides noſtra dum licita Vocationis noſtræ munera exequimur; temeritatem non comprobat, ſi pericula quævis ſine neceſſitate aggrederemur.

Obj. Pſ. 90. 10. *Dies vitæ noſtræ ſunt ſeptuaginta vel octoginta anni*; ſed quandoq; ultrà, multoties citra terminum iſtum Vita finitur.

Sol. *Moſes* ibi locutus eſt de termino vitæ humanæ in genere, quæ ut plurimum ultra 80 annos non extenditur, non de termino particulari cuiq, conſtituto.

Obj. Firmitas temperamenti, peritia Medicorum, prudentia in vitandis periculis, temperantia, &c. vitam producunt ultra periodum Infirmorum, remediis medicinalibus carentium, majora viribus audentium, gulæ & veneri inſervientium, &c.

Sol. Hæc & alia inter Cauſas ſecundas vim ſuam obtinent, & ſenſu diviſo, ſive ſepoſito Dei Decreto, juxta ſeriem cauſarum naturalium longævitati inſerviunt, non ſenſu compoſito, ſive ex ſuppoſitione validitatis aut invaliditatis earum prævíſæ & decretæ.

SECTIO

SECTIO II.

Speciale Decretum eſt de Creaturis Intellectualibus, (a) *Angelis & (b) Hominibus in Ordine ad Statum eorum æternum; & Prædeſtinatio dicitur.*

(a) 1 Tim. 5. 21. *Obteſtor in conſpectu Dei, & Electorum Angelorum,* Matth. 25. 41.

(b) Rom. 9. 23. *Vaſa miſericordiæ quæ paravit ad gloriam.*

Præcipuæ Theologorum Sententiæ de Prædeſtinatione Hominum, ad ſequentes haſce referri poſſunt.

I. Quòd Deus ab æterno ſtatuit omnes ſibi obedientes vitâ æternâ donare, non obedientes damnare; quinam autem obedientes aut non obedientes futuri erant, neq; deſtinavit neq; præſcivit, quaſi plane humani arbitrii eſſet Salutis ſemitam ingredi vel non ingredi; &, ſi ingreſſi fuerint, in eâ progredi, vel ab eâ regredi, & quaſi Deus ab æterno non ſtatuiſſet, quid de ſingulorum ſalute aut exitio futurum erat. Hæc dicitur eſſe Sententia *Samoſatenianorum* & *Socinianorum.*

II. Quòd Deus ab æterno reſpiciens, aut præſciens Genus humanum nondum lapſum aut conditum, certos eorum ad vitam æternam & media in eam ducentia elegit, cæteroſq præteriit perituros, ex mero Voluntatis ſuæ beneplacito, ad gloriam miſericordiæ in Electis ſalvandis, & ad gloriam juſtitiæ ſuæ in præteritis, (qui in peccatis perituri erant) damnandis, demonſtrandam.

Hæc *Supralapſariis* tribuitur, qui *Prædeſtinationis Objectum ſupra lapſum* ſtatuunt, & cum *Sublapſariis* (de quibus infrà) *Contra-remonſtrantes*, à tempore *Synodi Dordracenæ* appellabantur.

III. Quòd Deus reſpiciens Genus humanum in *Adamo* lapſum, adeoq; mortis & damnationis reum, ex mero Beneplacito ſtatuit quoſdam nominatim è ſtatu

è ſtatu iſto prædicto per Chriſtum redimere, mediiſq; efficacibus ad vitam æternam perducere, cæteroſq; præteriit dicto ſtatu perituros, ad ſuam in illis miſericordiam, in his Juſtitiam demonſtrandam. Hæc *Sublapſariis* tribuitur, qui Prædeſtinationis Objectum ponunt ſub ſive poſt Lapſum; atq; hi cum *Supralapſariis* appellantur etiam *Contra-remonſtrantes* à tempore *Synodi* prædictæ.

IV. Quòd Deus reſpiciens Genus humanum in *Adamo* lapſum, ſtatuit omnium miſereri, & Filium ſuum benedictum mittere, qui pro reatu omnium ſatisfaceret, omnibuſq; Gratiam ſufficientem offerret, per quam in illum crederent, & ſalutem æternam obtinerent. Sed cum præviderit nullos poſſe, aut pauciſſimos velle Gratiâ ſibi oblatâ benè uti, elegit quoſdam ſingularitèr quos efficaci & irreſiſtibili gratiâ donaret, ut per eam infallibilitèr crediturí, & æternæ ſalutis participes futuri eſſent, relictis aliis omnibus certò perituris, quamvis non ſine propriâ culpâ, ſcil. *voluntariâ infidelitate & impœnitentiâ.*

Hæc Sententia Patronis quibuſdam *irreſiſtibilis Gratiæ* tribuitur, iiq; quoad *Irreſiſtibilitatem* Gratiæ *Contra-remonſtrantibus* aſſentiunt.

V. Quòd Deus reſpiciens homines in *Adamo* lapſos, & ad parata in Chriſto Salutis media vocatos, generatim ſtatuit *Credituros* ſalvandos fore, *Infideles & Impœnitentes* reprobandos. Singularium vero perſonarum *Prædeſtinationem ſuſpendi à fide vel Infidelitate* cujuſq; prævisâ.

Hæc eſt Sententia *Remonſtrantium* ſive *Arminianorum.*

Ad primam Sententiam dicendum;

Ad prim. 1. Eſt in Deum Sacrilega, dum futurorum Contingentium præſcientiam illi degenat. *Pſ.* 139. 2. *Cognoſcis ſedere meum; intelligis cogitationem meam è longuinquo.* Iſa. 44. 28. *Edicturus Cyro*, &c. 1 Joh. 3. 20.

3. 20. Heb. 4. 13. Dein ratio ſuffragatur; qui enim contingentia certò & infallibilitèr ſæpiſſimè prædixit, ea certò præſcivit, *Iſa.* 41. 23, 26. *annunicate quæ futura ſunt, ut conſtet quod Dii eſtis*, &c. tot ergò ſunt Argumenta quot prædictiones, quarum veritas eventu comprobata eſt.

Quæ non ſunt certò futura (qualia ſunt omnia contingentia) ea non ſunt certò ſcibilia; ſed multa eveniunt, quæ in ſe fuerunt incerta, *i. e.* non certò futura, ergò non certò ſcibilia. Qualis enim eſt res, talem eſſe oportet illius ſcientiam; alias ſcientia Objecto ſuo non reſponderet. *Obj.*

Hoc vult illud *Axioma*, quod Scientia ità eſt accommodanda naturæ rerum, ut non alitèr eſſe cognoſcantur quam reverà ſe habent, ſic oportet ſcire res contingentes, quales ſunt, nempe contingentes eſſe, & ſcire neceſſarias eſſe neceſſarias; non ut res neceſſariæ cognoſcantur neceſſariò. Alia eſt certitudo vel incertitudo rerum cognoſcendarum, alia eſt certitudo ſive firmitas intellectûs cognoſcentis. *Sol.*

Contingentia nullum habent fundamentum quo certò prævideri poſſunt, pendent enim à Causâ indeterminatâ. *Obj.*

1. Non, quòd in *Æternitate* (quæ vocatur duratio tota ſimul, ſive in quâ nulla eſt ſucceſſio) omnia ſimul ſunt actu præſentia Deo; nam ut unum alteri co-exiſtat, neceſſe eſt ut illud ipſum exiſtat, non tantum in *eſſe cognito* ſive *Objectivo*, ſed in *eſſe reali*, nempe ut exiſtat utrumq; alias quod Immenſitati Dei alicubi co-exiſtet, ubiq; illi coexiſteret, & pariter immenſum eſſet. *Sol.*

2. Non ex Decreto petenda eſt certitudo præſcientiæ omnium contingentium (ut plurimi tum Reformatorum tum Romanenſium opinantur) repugnat enim Bonitati divinæ, ut Creaturas ſuas certò decerneret ad ea, quæ in ſe mala ſunt, qualia ſunt multa futura contingentia.

3. Non

3. Non ex cauſâ proximâ cum ſuis circumſtantiis diſpoſitâ, putà à voluntate ut applicata hic & nunc cum hoc objecto, hoc judicio, hâc inclinatione (ut *Bellarm.*) tum enim voluntas neceſſitaretur à Circumſtantiis ad peccandum, nempe ſi peccatum inde prævisum eſſet, & de prævisione ipſarum circumſtantiarum recurreret dubitatio.

Certitudo præſcientiæ de contingentibus fundatur potiùs in Infinitate Intellectûs Divini; contra quam ſi quid forte objiciatur, reſpondendum eſt, quod multa ſunt de quorum exiſtentiâ certi ſumus, quorum tamen *modum* & *rationem* Mens humana ſcrutari nequit.

2. Qui in hâc primâ ſunt Sententiâ, haud ſolidè arbitrantur Deum nihil ab æterno apud ſe ſtatuiſſe de futurâ ſingulorum ſalute aut exitio; quum 1. aliud ſonant Scripturæ, *Eph.* 1. 4. *Elegit nos in Chriſto ante jacta Mundi fundamenta*; Rom. 11. 7. *Electi aſſecuti ſunt, cæteri occaluerunt*, 2 Tim. 1. 9. *Servavit nos ex ſuo Propoſito & Gratia ——— ante Tempora ſæculorum.*

2. Quum ſumma *Sapientia* Mundum adminiſtrat, neceſſe eſt ut homines ſingulares, quâ partes mundi, ad ſuos fines ordinet & dirigat. Non enim Sapientis eſt ad nullum finem collimare in rebus adminiſtrandis.

3. Non quoddam genus hominum ſolummodò, ſed quorundam ſingularium nomina Libro vitæ ſcripta eſſe legimus, *Apoc.* 17. 8. *Phil.* 4. 3. Apoſt. aſſerit quorundam auditorum ſuorum nomina eſſe in Libro Vitæ.

Evaſ. Metaphorica locutio eſt ab iis derivata, qui illos nominatim Libro notant de quibus aliquid ſtatuunt, & quod ſtatuit Deus de quolibet hominum Genere certis qualitatibus inſtructo, illud etiam tribuendum eſt ſingulis, qui ſub iſto genere continentur.

Eſt

Eſt quidem locutio Metaphorica, ſed cui res ſubeſt; nulla autem res ſubeſſet, niſi quid de ſingulis nominatim futurum eſſet, intelligatur ibi ſtatutum fuiſſe. Dein *Moſes* & *Paulus* ad Perſonas ſingulares, idq; non vagas, ſed determinatas phraſin iſtam applicant, cum de ipſorum aliorumq; nominibus iſto Libro inſcriptis verba faciunt. *Reſp.*

Ad *ſecundam* & *tertiam Sententiam*, nempe *Contra-remonſtrantium*. *Ad Secun. & Tert.*

1. *Supralapſarii* aſſerunt Deum abſoluto ſuo Decreto ſtatuiſſe Juſtitiam ſuam in æternis quorundam pœnis patefacere, & per *modum Medii* ad hunc finem, eoſdem (aliis ad vitam Electis) præterire, unde (horrendum auditu) non minùs certò ſequuntur eorum impietas & perditio, quam impoſſibile eſt Conſilium immutabilis Dei reſcindi unquam aut fruſtrari poſſe.

2. Tum *ſupra*—tum *Sublapſarii* ſupponunt non modo fœdus naturæ pactum fuiſſe cum *Protoplaſtis* & toto Genere humano; ſed & fœdus illud particulare de abſtinendo à fructu vetito, omnes *Adami* naturales poſteros æq; ac ipſos *Protoplaſtos* devinxiſſe, adeoq; labem Originalem, non modo tanquam Naturæ morbum, & communem calamitatem ad omnes tranſiiſſe, verùm etiam ipſius primi Peccati, atq; inſuper pravitatis naturalis reatum poſteris eorum omnibus ad *Mortem æternam* imputari, haud firmis autem viribus innixam eſſe hanc Hypotheſin oſtendetur, *c.* 7. *de peccato Originali*, §. 4.

Quamvis utraq; pars (ſcil. tum *Supra*—tum *Sublapſarii*) neget abſurda quam plurima (quæ affingunt iis eorum Adverſarii) ex ſententiis ritè ſequi, & quæ propterea à ſe amoliri ſatagunt; hoc tamen ulterius in utrâq; ſententiâ diſplicet, quod dum Salutem humanam Decreto Dei æterno, & illius Gratiæ & beneplacito (uti decet) acceptam ferunt, Perditionis & Miſeriæ primordia

dia non ab ipſis peccatoribus, ſed à voluntate & Decreto Dei (juxta eorum placita) emanâſſe, videntur aſſerere; imò maximè congruum fuiſſe (aiunt eorum plurimi) Divinæ Sapientiæ, primum ſibi finem proponere, nimirum patefactionem Miſericordiæ & juſtitiæ ſuæ in certis aliquibus ſalvandis, aliiſq; reprobandis, dein media ad iſtum finem ordinare, Lapſum permittere, nec non (ut temerè loquuntur nonnulli) procurare. Docent quidem *Sublapſarii* Redemptorem parari, non autem in omnium Redemptionem, ſed aliquorum duntaxat, reliquos *præteriri* ex mero arbitrio, etiamſi pœnis æternis *propter peccata* adjudicentur.

Obj. Non docent Decretum abſolutum eſſe à *Mediis*, i. e. ullos aut *Eligi*, ſive credant & pœnitentiam agant, ſive non; aut *Reprobi*, ſive impiè vivant & moriantur, ſive non.

Sol. Attamen media ſupponunt, quæ non proſint, niſi *Vis irreſiſtibilis* ſuperveniat, quali in Creatione, aut Reſuſcitatione mortuorum Deus uſus eſt, unde fruſtrà de *Mediis* litigatur; illâ vi adveniente, non repugnabimus, nec repugnare poſſumus; &, non adveniente in fumum abirent, aut potiùs nulla eſſent mortalium conamina: Imò (ut quorundam fert ſententia) Conatus omnis & ſolicitudo, quamdiù vim iſtam irreſiſtibilem non exerit Deus, peccatum eſſet.

Damus Sententiam *Sublapſariorum* alterâ paulò moderatiorem eſſe, eo quod non ſupponit Deum ullos reprobaſſe quos non prævideret (uti ſentiunt) condemnationis reos; eatenùs verò conſentiunt, quod utraq; ſupponit Deum ex eâdem maſſâ *alios* ad vitam *elegiſſe*, *alios reprobâſſe*, ex *mero beneplacito*.

Prætendunt quidem *Sublapſarii* Reprobationem ſupponere peccatum in Objecto, eo quòd omnes in Adamo peccâſſent, non itaq; injuſtam pœnam *Reprobis* irrogatam, dum indebitam *Gratiam Electis* con-

conſert, haud ſatis autem conſtat peccatum fuiſſe in *Objecto*, ſive Lapſum *Adami* fuiſſe poſterorum peccatum propriè dictum, etiamſi pravitas Naturæ tanquam Morbus hæreditarius illis adhæreat, & in agonem iis propagetur, quippe quod non conſtat fœdus illud ſpeciale de fructu vetito cum poſteris *Adami* pactum fuiſſe, nec ullos pœnas daturos, qui non propriis perſonis peccârant, maximè ſi nec in *Adamo* peccare potuerint. *Vide* C. *de Peccato Originali.*

Quarta ſententia, quatenus Hypotheſi *Gratiæ irreſiſtibilis* ſuperſtruitur, corruet cum fundamento ſuo, nempe *Irreſiſtibilitatis* iſtius doctrinâ, de quâ vide *c.* 13. *de Vocatione internâ.* *Ad Quart.*

Quinta, quæ *Remonſtrantium* eſt, in hoc deficit, quod quemadmodum *Contra-remonſtrantes Miſeriæ* humanæ primordia (horrendum dictu) *Voluntati Divinæ* tribuere videntur, ità *Remonſtrantes Salutis* humanæ primordia *Voluntati Humanæ* tribuere videntur. Nam dum *prioritatis* & *poſterioritatis* Ordinem in Decretis ſupponunt, & Electionem eſſe ex fide prævisâ ſtatuunt, etiam ſi Fidem eſſe ex Gratiâ Dei fateantur, ipſam tamen Gratiam à *Voluntate* Hominis præveniri docent, Fidem enim dari aſſerunt ſecundum prævisionem Obedientiæ in ſedulâ Verbi Auditione, in Meditatione, impedimentorum Remotione, adeóq; eſſe volentis & currentis. *Ad Quint.*

Elegit autem nos Deus ut Sancti eſſemus, Eph. 1. 4. Ergò non quod tales futuros præviderat. *Sanctitas* nulla eſt ſine fide, ergò ſi ad *Sanctitatem* eligimur, tum ad fidem. Imò nihil boni in Homine lapſo prævidit, nedum fidem prævidit. Si dicatur, prævidit fidem, quam daturus erat ex Gratiâ, ut per eam ſalvarentur, tum prioritate Ordinis elegit ad ſalutem priuſquam fidem iis dare decrevit, primò enim voluit eos ſalvari, & quia

 Salus,

Salus, non niſi mediante fide erat obtinenda, ideò fidem tanquam *Medium* voluit iis impertire.

Præoccup. Fides (aiunt) *Decretum* ingreditur; Ità eſt, ſed tanquam *Medium Salutis*, non tanquam *Conditio Electionis*.

In quam plurimis præviderі potuit *Obſtinata renitentia* & *rejectio Gratiæ* tanquam *Objectiva ratio Præteritionis*, in nullis autem *Inclinatio*, vel ad *Fidem*, vel ad *Media* ulla in ordine ad Salutem antecedenter ad Gratiam, quæ *Media* illa tum paratura, tum applicatura erat.

Breviter, ſi per Infidelitatem præviſam intelligunt pertinacem ſufficientis Gratiæ rejectionem ſive Repugnantiam quæ non niſi à *Gratiâ* quadam *irreſiſtibili* ſuperanda eſſet, & illius præviſionem eſſe Rationem motivam in Objecto *Divinæ Præteritionis*, eatenus iis aſſentimur, modo cauſam nullam aut rationem *motivam Electionis* præter *Divinam Philanthropiam* aſſignari poſſe concederent.

Similitèr ſi *Contra-remonſtrantes* docerent, Deum neminem reprobâſſe, quem non præviderat ſufficientem Gratiam perſeverantèr oppugnaturum, forſan *Remonſtrantes Electionem* ex ſolâ *Dei Gratiâ*, & εὐδοκίᾳ fuiſſe non irent inficias.

VI. Reſtat altera (a) *Conjectura* (quam vero ſimiliorem, & tum S. Scripturis, tum rationi magis congruam judicabunt forſan qui Paci potiùs quam Partibus ſtudent,) quæ autem & qualis ſit, ex ſequentibus hiſce Hypotheſibus innoteſcat.

(a) *Conjecturam* voco & pro menſurâ humanorum conceptuum. Nam cum *Facultates intelligendi* & *volendi* ſint *Perfectiones Creaturarum*, & non illæ ipſæ quæ in Deo formalitèr & quodam eminentiori modo, non nos decet temerè vel abſque apertâ Revelatione, quidquam de modo, quom mente Divinâ in *Objecta* ſua ferantur; multo minùs de modo quo *Incomprehenſibilis* ille Opifex ſuos intra ſe format conceptus de Creaturis, & earum Operationibus ſimul ac de finali earum Statu pronunciat, definire.

1. Sup-

1. Supponimus primò, *Nota eſſe Deo ob æterno*, non tantum *opera ejus omnia futura*, Act. 15. 18. Verùm etiam *poſſibilia* licet nunquam futura, Scientiâ ſuâ ſimplicis *Intelligentiæ* (quam communitèr docent Scholaſtici fuiſſe in Deo, ordine naturæ, ſaltem quoad noſtrum concipiendi modum, antecedentèr ad Decretum) qui enim Potentiæ ſuæ infinitatem novit, novit etiam Objecta ad quæ infinita illa Potentia extendi potuit, *Pſ.* 147. 5. *Intelligentia ſua non eſt numerus.*

2. Novit itaq; quòd ſi mundum cum ſuis Incolis eo, quo jam exiſtunt, ordine crearet, atq; Hominibus (*Libero arbitrio* donandis) Præcepta imponeret, illi proprio conſilio permiſſi, *Libertate* ſuâ forent abuſuri, & ad *partem* deteriorem inclinaturi (niſi denegaret illis Concurſum ſuum generalem, ad actum quemlibet Cauſæ ſecundæ adeò neceſſarium, ut illo negato, nec *agere*, nec *velle* quicquam poſſint.) Hinc æquum videbatur ſtatuere, *Se Creaturis ſuis non defuturum*, aut Concurſum ſuum generalem & indifferentem ad *Volitiones* & *Actiones* Creaturarum neceſſarias denegaturum, maximè cum *Volitiones* & *Actiones* iſtas ad fines optimos regere & dirigere potuit. Hinc Lapſum *Adami* prævidit, permiſit, & multa inſuper quæ indè conſecutura erant.

3. Porrò cum Scientiâ iſtâ Hypotheticâ etiam probè noverit, quod ſi poſteà ex merâ ſuâ *Philanthropiâ* Generis humani miſertus, Chriſtum in Mediatorem mitteret, novumq; in eo fœdus cum Hominibus iniret, quo Gratiam inſuper ad conditionem illius præſtandam ſufficientem, & non præfractè obluctantibus Efficacem adhiberet, prævidit tamen quoſdam ad Gratiæ illius auxilia non tantum negligenda, ſed pro arbitrio impugnanda, & pertinacitèr rejicienda inclinaturos; alios autem, etiamſi ejuſdem Maſſæ, naturâ prorsùs ineptos & inhabiles ad co-operandum cum Gratiâ

ad ſalutem, non tamen Gratiam præfractè impugnaturos. Hæc, inquam, cum præviderat eventura (ex Hypotheſi ſcil.) quod ità crearet, Libertati permitteret, & concurſum ſuum indifferentem exhiberet, nec non propterea illos juſtè præteriri poſſe, hos verò ad ſalutem trahi, ſalvâ tum juſtitiâ Divinâ tum Humanâ Libertate, inde ſimul & ſemel, eodem momento æternitatis ſtatuiſſe videtur hæc omnia bona fieri, mala permitti.

Nec tamen reclamabimus, Deum quandoq; peccatorem ſufficienti Gratiâ abutentem, potentiâ ſuâ abſolutâ & prorſus irreſiſtibili ſuperare; attamen ſi fiat unquam, rarum eſt, eximium, & non expectandum miſericordiæ monumentum.

Obj. Hæc ſententia ſupponit Deum moveri & determinari poſſe à cauſâ extra ſe, & Cauſam primam pendere & quodammodò neceſſitari quoad modum & ſpeciem concurſûs ſeu influxûs à Cauſâ ſecundâ, cum vice verſâ, ſecunda pendet à Primâ & ab eâ determinatur. *Vid. etiam* C. 7. §. 1.

Sol. Etiamſi Deus non moveatur aut determinetur à Creaturâ effectivè, moveri tamen poteſt objectivè, adeò ut Objectiva ratio poſtulare videatur influxum aut concurſum ad Actionem talis ſpeciei potiùs quàm alterius; Igni ſe accommodat ad producendum calorem potius quam frigus; Deus & Homo cooperantur in productione Hominis Monſtroſi, at ſi non fuiſſet defectus in homine, Deus cum eo perfectum hominem produxiſſet. Sic concipi poteſt Deum Decreturum non denegare voluntati (rem illicitam appetituræ) concurſum ſuum indifferentem, quia videt eam, oblatâ tali occaſione, ad Objectum illud illicitum inclinaturam. Nec proinde dici poteſt pendere à Creaturâ, aut ab eâ quodammodò neceſſitari, quia Deus liberè condidit Creaturam, eamq; Libertate liberè donavit, liberè decrevit cum eâ concurrere; poteſt, quando vult, non concurrere, liberè noluit deeſſe

deeſſe ſuæ Creaturæ; ſed illi ſe eo uſq; accommodare, ut non aliquo deſtitueretur, quod actibus illius foret neceſſarium.

Si *Remonſtrantium* Sententia diſpliceat, quod Salutis humanæ primordia voluntati humanæ tribuere videtur; dùm *Electionem* eſſe ſtatuit ex *Fide* prævisâ; eâdem ratione poſtrema hæc Sententia rejicienda eſt, quia ſupponit *Deum eligere quoscunq; præviderit Gratiam ſibi exhibitam acceptaturos, eâq; ad præſtandam fœderis conditionem, benè uſuros.* *Obj.*

Neq; ullos fuiſſe *Electos* arbitramur ex prævisâ *Fide*, neq; ex prævisо Gratiæ ſufficienti Obſequio: ad hoc enim Obſequium omnes ex Lapſu impares futuri erant; veriſimillimum autem eſt (ex prædictâ Hypotheſi) Deum prævidiſſe, quod ſi vires omnibus largiretur tum ad *poſſe* ſufficienti Gratiæ obſequi, in ordine ad ſalutem, tum ad *velle* quod poterant pro arbitrio, quidam *non vellent* quod per Gratiam auxiliaturam *poterant*, ſed quod Gratia iſta Sufficiens Effectum ſuum in his obtineret, non, ſicut ab aliis, inanis & fruſtranea redderetur. Unde clariſſimè pateat quod Gratiæ ſolummodo tribuenda ſit *Horum Electio, Regeneratio, Juſtificatio, Sanctificatio,* & *Glorificatio*; & *Illorum Miſeria, perverſæ, Obſtinatæ,* & *non* (niſi abſolutâ potentiâ) *ſuperandæ*, ipſorum *Reſiſtentiæ*. *Sol.*

Hæc ſententia ſupponit quoſdam peccato mortuos ad Bonum magis quam ad malum propenſos eſſe. *Obj.*

Homo ſtatu lapſo dicitur quidem in peccato mortuus; eſt autem Metaphorica Locutio, & non ultra juſtos limites extendenda, *Sol.* 1.

Nec aſſerit hæc ſententia Deum ullos prævidere ad Bonum aliquod ſuâ naturâ propenſos, ſed tantùm in oppugnatione ſuâ adverſus Gratiam *ſufficientem*, ſive Salutis media (quibus Fœderis Conditio poſſibilis, imò haud difficilis redderetur) non obſtinatè 2.

ſtinatè perſtituros. Vide *C.* 8. §. 1. *de Fœdere Gratiæ partic.* 3.

Obj. Si ſupponatur aliqua iſtiuſmodi Ratio motiva in Objecto (qualis iſta ſive Acceptatio, ſive non obſtinata Rejectio Mediorum Salutis, ſi pararentur) tùm *Electio* non eſſet ex *merâ Dei Gratiâ* & *Beneplacito*.

Sol. Electio erat ex merâ Gratiâ, non obſtante Ratione illâ Objectivâ. Nam ex merâ Dei Gratiâ erat, quod de ullis Lapſis commiſerandis cogitavit, & de Mediis ad eorum Redemptionem & Salutem parandis deliberavit, & novum Fœdus ſub conditione non impoſſibili nobiſcum inire ie placuit; nempe ut Gratiam ad præſtanda præcepta Evangelii ſufficientem (quam concederet, & quæ nunquàm nobis defutura eſſet) vellemus acceptare, aut ſaltèm non pertinacitèr eam oppugnare. Ex Gratiâ erat, quod Deus non tantum Generalem ſuum concurſum, ſed & ſufficiens auxilium Lapſis hominibus erat ſuppeditaturus, ſi illud non rejicerent. Sine Gratiâ præveniente Nemo inclinaretur ad media Salutis acceptanda, multo minùs aliquod opus bonum perficeret ſine Gratiâ cooperante. Soli Gratiæ tribuenda ſunt Converſio, cæteriq; gradus ad Salutem, quibus decernendis & poſteà conferendis non prævisâ fuit obſtinata oppugnatio duntaxat à parte hominis, nec in tempore facta.

Luc. 10. 30. Nota eſt Parabola de viatore in Latrones incidente & ab iis relicto ſemimortuo, cujus vulnera *benignus* quidam *Samaritanus* commiſeratione motus, obligavit; vinum & oleum iis infudit, eumq; jumento ſuo impoſitum in hoſpitium ducens, ejus curam egit. Viatoris convaleſcentia proculdubio non ipſi tribuenda eſt, quod vinum & oleum infundi merè permiſit, aliiſq; medicas manus adhibentibus morem geſſit, aut ſalutare regimen obſervavit, nedum prævia aliqua notitiâ, quod ità

ſe

ſe gereret, motiva ratio cenſenda eſt, quâ ad hanc Opitulationem inductus erat *Samaritanus*, ſed ipſius *Samaritani* Commiſeratio & *Benignitas*: ſin certò præſciviſſet viatorem ſalutare illud regimen (cum facile poterat) non obſervaturum, protervè & obſtinatè pharmaca non admiſſurum, Emplaſtra, velint nolint miniſtrantes, avulſurum; adeò ut conatus illius (in ſe ſat ſuperq; ſufficientes) irriti & inanes redderentur, juſtè illum præteriiſſe poterat; & *Viatoris* proterviæ non *Samaritani* præteritioni aut beneplacito accepta ferenda eſſet Viatoris pernicies; à ſe ipſo fuiſſet illius perditio.

Hæc Sententia inſervit commento Jeſuitarum, aliorumq; de Scientiâ mediâ. *Obj.*

Nequaquàm, non enim ſupponit Deum incertè & conditionalitèr ſtatuiſſe hoc ſecuturum ſi Creatura Libera in dextram, illud verò ſi in ſiniſtram ſe verteret, (æquè enim ſcire potuit ab æterno in quam partem Creatura libera quovis tempore inclinaret, ac eam potuit creare ac libertate donare) neq; facilè credimus, Decreta perindè formari ab æterno quæ temporis curriculo ſtabilirentur aut refigerentur ad libitum ullius Creaturæ; ſed Deus ab æterno præſcius, quo libera quævis Creatura ſuo tempore propenderet firmiter & immotè decrevit concurſum motibus illius neceſſarium ab eâ non detrahere, illam autem eo ſuſtentare, & regere prout ſibimet viſum fuit (præcipuè quoad converſionem peccatoris) hæc noſtra Sententia ſupponit Gratiam non tantum ſufficientem à Deo fore oblatam, ſed & Efficacem exhibendam, quæ in non obſtinatè renitentibus Effectum ſalutarem certiſſimè obtineret. *Sol.*

Prædeſtinatio Hominum eſt, vel { *Electio*, *Reprobatio*. }

Electio eſt, quâ Deus Scientiâ, quam vocant *Simplicis Intelligentiæ*, ab æterno (*a*) præſcius, Genus humanum, ſi conderetur, ratione & libertate donaretur, & Libertati ſuæ permitteretur (nullâ naturæ neceſſitate, ſed merâ ſponte ſuâ) lapſurum, præſcius inſuper ſe pro ſummâ ſuâ (*b*) miſericordiâ (*c*) opem illi laturum, (*d*) media ſcilicet ad hominum Redemptionem congrua paraturum, Gratiamq; ad ſalutarem eorum uſum (*e*) ſufficientem, exhibiturum, omnes & ſingulos quos ex hâc Hypotheſi prævidit media iſta non fruſtraturos, dictamq; Gratiam inanem reddituros, per & propter (*f*) Chriſtum redimere, ſanctificare, æternúmq; glorificare, decrevit.

(*a*) 1 Pet. 1. 2. *Electis ex præcognitione*, ſeu ante-decreto. *Pſ.* 139. 2. *Intelligis è longinquo.*

(*b*) Eph. 1. 9. *Ut notum faceret myſterium voluntatis ſuæ ſecundum Beneplacitum.* Tit. 3. 9. *Non ex Operibus, ſed ſecundum ſuam Miſericordiam.*

(*c*) Eph. 1. 10. *In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto.*

(*d*) Joan. 3. 16. *Ita Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnes*, &c.

(*e*) Matth. 11. 21. *Væ tibi Corazin—— quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent Virtutes quæ in vobis*, &c.

(*f*) Rom. 3. 25. *Quem præſtituit Deus, ut eſſet placamentum per fidem in Sanguine ipſius.* Col. 1. 9, 10. Eph. 1. 3, 4, 5. *Elegit nos in Chriſto ante jactum mundi fundamentum*, Gal. 4. 4. &c.

Reprobatio eſt, quâ Deus ab æterno (*a*) pleroſq; eorum quos ex Hypotheſi prædictâ lapſuros prævideraт Salutis media (*b*) fruſtraturos, Gratiamq; ad uſum mediorum illorum ſaluberrimum ſuffici-

(*a*) Matth. 7. 13. *Lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad Exitium, multiq; ſunt qui introeunt.*

(*b*) Rom. 10. 21. *Tota die manus extendi meas ad populum perverſum.* Iſa. 5. 4. *Quid faciam vineæ?*

entem,

entem, &c, niſi oppugnaretur, (*c*) Efficacem, inanem reddituros, præterire, & tandem (*d*) propter effrænatam & perſeverantem contumaciam (*e*) æternum perire reliquit.

(*c*) Matth. 11. 21. *Si in Tyro facta eſſent quæ in te pœnitentiam egiſſent.*
(*d*) Rom. 6. 23. *Stipendium Peccati Mors.* Rom. 2. 5, 6. *Duritie tua & corde quod reſipiſcere neſcit, ipſe tibi theſaurizas iram,* &c. *Reddet unicuiq; ſecundum opera.*
(*e*) Matth. 25. 41. *Execrati abite à me in Ignem æternum, paratum,* &c.
(*f*) Rom. 1. 33. *Juſtitia eſt, ut qui talia faciunt digni ſint morte.*
Judæ 4. *Subrepſerunt quidam—— jam olim præſcripti ad hanc damnationem.*

Decretorum Arcana, per ea quæ tempore eveniunt, revelantur;

Ad importunas autem quorundam de Reprobationis Decreto altercantium ſedandas diſcordias, conducat forſan brevis ſequenti interrogationi annexa ſolutio, juxta tenorem eorum quæ copioſiùs nuperrime diſceptata fuerunt.

Unde nobis conſtare poſſit tum Electionis Gratia, tum Reprobationis Æquitas? Quæſt.

Reſp. Non niſi cum Horrore pariter & Deteſtatione audiendi ſunt qui docent Deum ab æterno, & ante præviſa (ex hypotheſi) Creaturarum delicta, decreviſſe per earum miſeriam ſibi gloriam acquirere. Saniori ratione conjectamus (nec ultra conjecturas nobis licet de Decretis ratiocinando progredi) quod,

1. Primò, tam Contingentia quam Futura Deus prævidit ab æterno, & inter alia Hominem (ſi libertate vel boni vel mali eligendi inſtructus eſſet) Libertate ſuâ abuſurum, & in partem deteriorem inclinaturum; cujus triſtem in primo *Protoplaſtorum* peccato habemus inſtantiam.

2. Secundò,

2. Secundò, Deus Lapſi generis humani miſertus denuò fœdus cum iis quamvis *fœdifragis* inire voluit, de mittendo Chriſto Mediatore, non ad paucorum ſolummodo Redemptionem, ſed (ut remedium par ſit vulneri) pro redemptione Omnium; ſicut Eccleſia Anglicana in Catechiſmo Filios ſuos juxta tenorem S. Literarum inſtituit [*& in Deum Filium* (credo) *qui redemit me & totum Genus humanum.*] Nulla ergo quærenda eſt aut Conditio aut Ratio Electionis præter ipſius Beneplacitum; imò nec Conditio Fœderis, niſi ad quam Sufficiens Gratia virtute Fœderis miniſtranda erat à Parte Dei, ut Conditio iſta neq; eſſet impoſſibilis, nec tanquàm Onus impar humeris, ità Gratia firmatis, inveniretur.

Hinc ſi requirent Scioli, quare, dum alii electi fuerunt, cæteri præteribantur, quamvis nihil unquàm niſi cum optimâ ratione voluit Sapientiſſimus ille Mundi Opifex. Reſponſum habeant; quòd licet nulla *Electionis* ratio aſſignari poteſt præter Dei miſericordis *εὐδοκίαν (neq; enim volentis nec currentis erat, ſed miſerentis Dei,* qui tum fœdus Gratiæ cum Lapſis iniit, tum Gratiæ auxilia ad Conditionem illius præſtandam ex mero beneplacito confert & miniſtrat) prævìſa tamen ſufficientis Gratiæ auxiliis obſtinata & perſeverans renitentia potuit juſta eſſe ratio, cur cæteri non eligerentur, à Seipſis eſt eorum perditio.

Collatio hujus Sententiæ cum Definitione Prædeſtinationis in Articulo 17° Confeſſionis Eccleſiæ Anglicanæ tradita.

In Articulo 17° *Confeſſionis Eccleſiæ Anglicanæ* docemur, Prædeſtinationem ad vitam eſſe æternum Dei propoſitum, quo ſuo conſilio, nobis quidem

occulto, conſtanter decrevit, eos quos in Chriſto elegit, à maledicto & exitio liberare, & per Chriſtum ad Salutem perducere: unde in tempore opportuno per Spiritum S. in iis operantem vocationi per Gratiam parent, juſtificantur gratis, ſanctè ambulant, & demum miſericordiâ Dei fœlicitatem æternam conſequuntur.

1. In hoc Articulo non totidem verbis effertur *Præſcientia illa Hypothetica*, quam ſubintelligi oportere, in Doctrina de *Prædeſtinatione* ſupra diximus; Sed neceſſariò ſupponendam eſſe hinc conſtat, quod Artic. aſſerit Deum ab æterno conſtanter decreviſſe illos quos in Chriſto elegit liberare, & per certa media ad ſalutem perducere: nam neceſſe eſt ut eoſdem prævideat *conditos*, *libero arbitrio donatos*, *libertate ſuâ abuſuros*, imo *lapſos*, ſaltem *hypothetice*, idq; *prius*, juxta captum noſtrum, quam de *Liberatione* eorum quidquam ſtatueret. Ergò quod Articulus contractiùs ſuggerit, illud explicatiùs paulò dedimus, nihil autem ei contrarium, aut ab eo longè alienum hâc in re attulimus.

2. Oſtendimus Deum voluiſſe congrua Redemptionis media parare, Chriſtum Redemptorem mittere, & propter Chriſtum eoſdem liberare; Idemq; docet Articulus [*Eoſdem quos in Chriſto elegit*, &c.]

3. Diximus inſuper Deum Gratiam ſufficientem ad Converſionem & Sanctimoniam ſuppeditaturum: nec in hoc eſt diſſentio ulla; ità enim Articulus, [*Decrevit —— Spiritu illius in iis operante vocationi Divinæ per Gratiam parent, ſanctè ambulant*, &c.

4. Quamvis ſunt, qui verba Articuli ſeorſum ab aliis Eccleſiæ *Anglicanæ* Sententiis & Dogmatibus conſiderantes, inde Gratiam Prædeſtinationis ad certos aliquos reſtringendam eſſe arbitrati ſunt, quoniam ait [*Deus decrevit eos quos in Chriſto elegit ab Exitio liberare, & per Chriſtum ad Salutem perducere*]

ducere] quaſi non alios etiam voluit ſalvos fieri; notum tamen eſt dictam Eccleſiam conſtantèr docuiſſe, Deum ſufficiens Remedium paraſſe, deſignâſſe, & exhibuiſſe ad redemptionem non quorundam modo, ſed & omnium. Et in Adminiſtratione S. Cœnæ ſingulis hâc formulâ jubet adminiſtrari Symbola [*Corpus Domini pro te traditum* ——*Sanguis pro te fuſus conſervet animam tuam*, &c. & Art. 31. *Oblatio Chriſti ſemel facta perfecta eſt Redemptio & Satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam Originalibus quam Actualibus.* Vide etiam Artic. 2.

5. Quando Articulus docet, *Prædeſtinationem ad vitam eſſe Æternum Dei propoſitum ex ſuo conſilio nobis quidem occulto*; loqui videtur de *Ratione motivâ prædeſtinationis*, quæ certè nobis *occulta eſt*, & præter infinitam Dei miſericordiam nulla innoteſcit; ſive conſideremus miſerationem illius in totum Genus humanum, ſive in aliquos qui præ aliis *Electi* ſupponuntur: In Lapſis enim nihil Boni prævidendum erat, nedum Fides, quippe quæ Gratiæ Effectus cum ſit, nequaquam potuit *Deum* ad Gratiam impertiendam permoviſſe. *Reprobationem* verò quod attinet, quamvis Fides prævideri non potuit, nec quidquam aliud quod *Ratio motiva* Electionis eſſet; præviſa tamen obſtinata & perſeverans *Oppugnatio* ſufficienti Gratiæ potuit eſſe ratio, cur aliquos præteriret.

Pag. 88. Intereà verò quod nullius Electio ſuæ non——*repugnantiæ* tribuenda ſit, ex Parabolâ *Samaritani* Vulnerato ſuccurentis liquidò pateſcat, quemadmodum uberiùs res ſupra illuſtratur.

Anno-

Annotationes in Commata quædam Cap. 9. ad Rom. quæ, dum multi ad Prædeſtionis Doctrinam minùs congruè applicant, durè ſonant, & conceptus haud Deo dignos mentibus noſtris ingenerare apta ſunt.

Apoſtolus nono ad *Rom.* agit directè de Rejectione Judæorum à Privilegio Populi Dei, & Receptione Gentilium; quod conſtat ex initio Capitis & Epilogo. Objicere parati erant Judæi, *ſi rejiciendi ſumus, tum incaſſum abiret Promiſſio facta poſteris* Abrahami *&* Iſraelis. Reſpondet autem, non omnes ex *Iſraele* ſecundum carnem prognati, habendi ſunt pro ſemine cui facta eſt promiſſio, *v.* 6. *&c.* Cùm enim dixit Deus in *Iſaaco vocabitur tibi ſemen*, rejecto *Iſmaele*, ſignificavit jus ſibi reſerváſſe, à privilegiis poſterorum *Abrahami* excludendi quos vellet, eoſq; pro ſemine habere, qui veſtigia Fidei *Abrahami* ſolerti curâ premerent; Promiſſio ſcil. [*Saræ erit Filius*] facta erat poſt natum *Iſmaelem*, ideóque non omnibus *Abrahæ* poſteris ſecundum carnem; & ſemini ex gratiâ ſpeciali, non juxta Naturæ curſum ſcil. ex *Sarah* jam *anu* & *ſterili*.

V. 11. Quum nondum nati erant pueri, *nec quicquam feciſſent boni aut mali*, haud æquè dictum videtur *quod major natu ſerviret minori*, & ſcriptum eſt *Eſaum odio habui*. *Obj.*

Non dicit, quum *Deus nondum præviderat* quid boni vel mali facturi erant poſtquam conditi, & hâc vel illâ circumſtantiarum ſerie poſiti, atq; libero ſuo arbitrio permiſſi fuerint. *Sol.* 1.

Prophetia non Perſonas *Jacobi* & *Eſaui*, ſed eorum Poſteros reſpiciebat; *Eſaus* enim ipſe nunquam *Jacobo* inſerviit; ſed contrà *Jacobus* eum tanquam

tanquam Dominum ſuum agnovit. Poſteri autem *Eſaui Edomitæ* tum Populo *Iſraelitico*, tum Dei odio Obnoxii fuerunt, *Obad.* 10. &c. Porro verba illa [*Eſaum odio habui*] non legimus ante tempora *Malach.* cap. 1. 2. Poſtquam *Edomitæ* multa egregiè mala tum contra Deum tum contra *Iſraelem* fecerant; unde propheta *Obad.* non mediocres in eos minas denunciabat.

3. Alii etiam obſervant Locutionem illam non ſemper abſolutè ſumendam eſſe, ſed interdum comparatè. Sic legimus Deum vidiſſe *Leam* exoſam fuiſſe *Jacobo*; *Patrem & Matrem*, Luk. 14. 26. & *ipſam vitam*, Joan. 12. 25. odio habendam; quod quidem verum eſt, ſed verba *Mal.* 1. 2, 3. notant *Edomitas* punitos fuiſſe, ideoq; abſolutè exoſos. *Rom.* 9. 14. *Nunquid ergo iniquitas apud Deum?* Nempe quod Poſteros *Abrahæ* ſectantes juſtitiam ex Lege (quam ipſe dederat) rejiciens, Gentiles, qui non Legem ſed Evangelium obſervabant, in populum ſuum recipiat; abſit inquit; *Moſi* enim dicit, *Miſerebor cujus miſertus fuero*, i. e. quamvis *Abrahæ* poſteros in populum ſuum adoptâſſet, liberum illi fuit ad alios gratiam eam extendere, dummodò debitum illi obſequium exhiberent: Nec priores rejiceret modo Evangelium ejus juſſu illis annunciatum amplecti non recuſarent.

V. 16. [*Igitur non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*]

Non inde colligat aliquis noſtrum *Velle* & *Currere* inane prorſùs & incaſſùm eſſe: *Qui vult accipiet*, Apoc. 22. 17. & *ità currite ut præmium obtineatis*, 1 Cor. 9. 24. Gal. 5. 7. Deus non omnibus impertit beneficia ſua, ſi extra viam præſcriptam currant, ut Judæi qui Evangelio auſcultare detrectabant.

V. 17. *In hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te potentiam meam,* ait Deus *Pharaoni*. Abſit, ut intelligamus Deum creâſſe & indurâſſe *Pharaonem*

eo

eo conſilio, ut occaſionem inde graviùs illum puniendi haberet; *Apoſtolus* utitur voce [ἐξεγείρειν, excitare,] quæ ab aliis redditur *ſtare te feci*, *ut ſubſiſteres feci*, *conſervatus es*, &c. i. e. *peperci tibi*, & *vitam prolongavi*, ut conſtaret omnibus Exitii tui & Juſtitiæ meæ æquitas; atq; in Exemplum ſis per univerſam terram. Vide C. 3. §. 5. *de Induratione Pharaonis*.

V. 18. *Miſeretur ergò cujus vult, & quem vult indurat.*

Per *Miſericordiam* Dei non hic intelligatur Creatio Fidei in Electis, & Operatio Spiritûs S. quâ Peccatores *irreſiſtibiliter* convertuntur, ſed quæ Mortalium bono tum ſæculari tum Spirituali inſervire apta ſunt confert quibus Perſonis & ſub quibus conditionibus ipſi viſum eſt, nec tamen alicui in neceſſariis ad ſalutem unquam deeſt.

V. 18. *quem vult indurat*] ſed ut *Auguſt. l. octoginta trium quaſt.* q. 68. Indurat, non Malitiam cordibus hominum impertiendo, ſed deſerendo & Satanæ tradendo.

Objicere parati erant Judæi *v.* 19. Si non ex æquo omnium miſeretur, ſed quoſdam indurat, quid de ipſorum obſtinatione ampliùs conqueritur; Voluntati ejus quis reſiſtat ſi vellet nos indurare? *Obj.*

Apoſt. Objectionem illam cum indignatione rejicit, attamen omni colore non careret Objectio adverſus *Reprobationem abſolutam*. Neq; per alluſionem ſequentem illi ſatisfaceretur, ſi *figulus non poteſt accuſari quod ex materiâ non repugnante facit vas ignominiæ*, quanto minus Deus injuſtitiæ arguatur, ſi hominibus contumacitèr ſibi reluctantibus Gratiam ſuam ſubtrahat. Non ità comparatio applicanda eſt, [*ſicut figulus*, &c. ità Deus quoſdam abſoluto Decreto prædeſtinatos creat ad ſalutem, quoſdam abſoluto Decreto rejectos creat ad damnationem,] repugnat enim contextui; nam non dicitur, quod *Deus aptet vaſa iræ*, ſed quod *vaſa illa ad interitum* *Reſp.*

aptata

aptata cum multa patientiâ tolerat, &c. *Vaſa iræ non facit ſed invenit*, Auguſt. ſic *Rom.* 2. 4.

V. 22. *Quid ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum*, &c. Apoſt. innuit Deum qui tantâ patientiâ *Judæos* incredulos toleraverat jus habere graviter eos puniendi cum per obſtinatam rejectionem Evangelii, iræ vaſa ſe fecerint, digna quæ in æternam perditionem abjiciantur, & conſtat *Abſolutum Reprobationis Decretum* non hîc adſtrui, ſed tantum quale perſeverantiam in peccato, & longanimitatis divinæ contemptum præſupponit; nullâ enim uſus fuiſſet patientiâ in eos quos ad damnationem creaſſet, nec in eos quos ſolum propter Originis peccatum reprobâſſet. Nec per *vaſa miſericordiæ* intelligi poſſunt *Electi ad vitam* abſolutè; dicit enim, ipſum eos *præpâraſſe ad gloriam*. Intereà obſervatu digna eſt phraſeos diverſitas. Apoſt. dicit *vaſa iræ aptata eſſe ad interitum*, ab ipſis eſt perditio ſua; Deum autem *Vaſa miſericordiæ præparâſſe ad gloriam*; ab eo ſcilicet illorum Salus eſt Oriunda.

CAPUT

Caput VI.

De Operibus Dei Externis.

Sectio I.

De Creatione.

Opera Dei Externa ſunt Creatio & Providentia Actualis, ſcilicet Operationes, quæ non in Deo ſed à Deo, ſunt, à Deo Effectivè, in Creaturis Subjectivè. Creatio eſt Rerum omnium, ſive primùm ex nihilo, ſive poſteà ex materià inhabili productio.

Eſq; vel { Mundi *Inviſibilis.* / Mundi *Viſibilis.* }

Mundi *Inviſibilis*, ſeu Cœli *Supremi*, unà cum Angelis in eo habitantibus.

Cœlum hoc *Supremum* à S. *Paulo Tertium* appellatur, 2 *Cor.* 12. 2. Primum eſt *aereum*, ubi aves & Meteora, *Æthereum* ubi Aſtra eſt ſecundum, & tertium eſt illud *Supremum*, quod & Paradiſus nominatur, *Luc.* 23. 43. *Apoc.* 2. 7. & *Domus Patris*, Joh. 14. 2.

Æterno Deo locus *Æternus* aſſignandus eſt; quod enim nullibi eſt, non eſt omnino, ergo non in tempore creatus, & *Heb.* 9. 11. dicitur *Tabernaculum non manu factum.* *Obj.*

Sol. Ad Eſſentiam infinitam non applicandum eſt iſtud axioma; quandò enim præter Deum nihil erat, ipſe ſibi locus erat. Dicitur *Tabernaculum non manu factum* ad differentiam illius Moſaici in *Deſerto*; aliàs enim dicitur *Civitas cujus Opifex, & Architectus eſt Deus*, Heb. 11. 10.

Angeli (illius mundi Incolæ) ſunt Spiritus creati, à corpore liberi, intellectu & voluntate, inſigniq; agendi poteſtate præditi.

Quando creati haud ſatis conſtat: Quod extiterunt cum jacta erant Terræ fundamenta, colligitur ex *Job* 38. 7. Filii Dei *jubilâſſe* dicuntur cum Deus Terram fundavit. *Primo* etiam *Viſibilium* Creatorum *Hexaemero* antiquiores videntur, non ex eo tantum quod Diabolus erat Homicida ab initio, & in Serpente quum recens conditam Evam ſeducendam aggrediebatur, ſed (uti quidam opinantur) quod legimus, *Tit.* 1. 2. Deum nobis *promiſiſſe vitam Æternam* ante Tempora ſæcularia. Juxta hoc Oraculum ſi, uti verba ſonant, intelligatur, Angeli fuerunt ante Sæcula, non enim ulli erant alii, quibus iſta divinæ voluntatis revelatio tum facta eſſet. Imò aſſerunt nonnulli, quod cum inde conſcii erant Angeli, ſe Chriſto Homini aliquando fore ſubjiciendos, permulti eorum præ ſuperbiâ Defectionem eapropter meditabantur, potius quam divinâ illâ œconomiâ acquieſcerent. Nec obſtat, quod *Moſes* ait [*In principio*] Deus creavit cœlum & Terram; dato enim quod per cœlum, *Supremum illud viſibile* intelligendum eſſet, nihilominùs [*in principio*] non idem neceſſariò innueret, quod [prima ſex *dierum*] ſed in initio Creationis, ſeu quam primùm creare cœpit, creavit cœlum & Terram, quæ inanis & vacua tunc erat, & qualis initio *Hexaemeri* apparuit. Adde quod clauſula iſta [*Terra autem erat inanis & vacua*] eam prius factam eſſe innuens, præbet curioſis conjiciendi materiam, annon pau-

paulisper, (quamdiu non conſtat) talis jacuiſſet.

2. Mundi *Viſibilis* Creatio eſt, quâ ſex dierum ſpatio Res omnes *viſibiles*, cum formis illarum, ex nihilo vel ex *Materiâ* naturalitèr *inhabili*, *chao* (ſcil. *rudi iſtâ indigeſtâq;* *mole*) produxit.

Unicuiq; Dierum opus ſuum hoc ordine tribuitur, *Gen.* 1.

1 Lux, 2 Cœlum, 3 Mare Terraq; plantis, 4 Sydera Cœli, 5 Piſces & Volucres, tum 6 Reptile, Beſtia, Adamus.

SECTIO II.

EX Creaturis *Viſibilibus*, Homo (uti ultimum, ſic præſtantiſſimum Creatoris in naturâ hâc inferiori opificium) à Theologis præcipuè conſiderandus eſt, utpote qui *ad Imaginem Dei factus?*

HOMO eſt Animal *corpore*, (a) è *Terrâ* primitùs *formato*, & (*b*) Animâ rationali, divinitùs inditâ, conſtans, ad Imaginem Dei conditum, Sexuq; duplici.

(*a*) E Terrâ, ſcil. præcipuè, aliis autem Elementis non prorſus excluſis. *Finxit Deus hominem de pulvere Terræ.*

(b) *Gen.* 1. 26, 27. *Faciamus hominem ad Imaginem noſtram*, &c. *Gen.* 2. 7. —— *& ſufflavit in nares ipſius halitum Vitæ, ſic factus Anima Vivens.*

Hinc ſequitur *Hominis* animam eſſe Originis divinæ, non ab Eſſentia Dei partem avulſam, ſed ſecus quam Brutorum, peculiari & ineffabili quodam modo effictam.

Homo è terrâ quoad corpus primitùs oriundus, ut memor ortûs ſui Humilitati ſtuderet, *Rom.* 9. 21.

Annon figulus poteſtatem habet luti, Iſa. 45. 9. *An dicet lutum fictori quid feceris?* Gen. 18. 27. *Ecce auſus Deum alloqui tametſi ſum pulvis & cinis.*

E Coſtâ Viri orta eſt Fœmina, tum ut ipſa nôſſet ſe ſubeſſe Viro tanquam *Capiti*, 1 Cor. 11. 3. tum ut Vir uxorem ceu carnem de carne & os ex oſſibus ſuis confectam foveret, *Gen.* 2. 23.

Si Coſta illa in *Adamo* redundaverit, formatio illius non erat indè monſtroſa, aut pars iſta ſuperflua, propter uſum ad quem deſtinata erat, quemadmodum nec ſemen in Animalibus, quod licet non ſit neceſſarium ad integritatem individui, requiritur tamen ad conſervationem Speciei. Neq; mutilum fuit corpus *Adami* poſt coſtam ademptam. Deus enim *carnem repleviſſe* dicitur, adeò ut Corpus non minùs quam anteà perfectum manſerit.

Quod ad Corporis Organa, etſi particularis eorum conſideratio ad Theologiam non propriè ſpectet, hoc tamen haud alienum eſt de iis monuiſſe, quod dum obſervamus quàm congruè ſingula ad uſum, cui inſerviant, ſunt diſpoſita, tum egregiam *Epicuræorum* delirationem reſciſcamus qui formationem eorum totiuſq; mundi Fabricam ad fortuitum Atomorum concurſum referunt; tum peramplam indè materiam ad Dei Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem celebrandam capiamus.

Quod ad Eſſentiam *Animæ*, vix aut nè vix notitiam ejus aſſequi poſſumus; non enim ſenſuum Organis percipitur. Illuſtriores autem ejus Perfectiones ſunt, *Spiritualitas* & *Immortalitas.* Eſt enim

1. *Spiritualis* & *Incorporea*, Gen. 2. 7. *Afflavit in nares ejus halitum vitæ, & ſic factus eſt Anima vivens*, Eccl. 12. 7. *Spiritus autem revertetur ad Deum qui dedit eum.* Intereà verò appetitum ad Reunionem cum corpore retinet dum ab eo ſeparatur,

tur, *Apoc.* 6. 10. *Uſq; quo, Domine, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum?* Acſi memor eſſet ſe quondam partem fuiſſe ejuſdem Compoſiti.

2. *Immortalis* etiam eſt, *Matth.* 10. 28. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam non poſſunt occidere.*

Quæ ab Animæ ſpirituali naturâ ducuntur Argumenta *Immortalitatem* & *Incorruptibilitatem illius* abundè ſatis indicare poſſunt. Sin, eorum vis, cuipiam, ſpeculationibus Philoſophicis minùs aſſueto, haud ſatis indè pateat, hæc in ſuperpondium adjiciantur.

1. Aliter Anima rationalis eſt in corpore humano quam Accidens in Subjecto, aut Anima ſenſitiva in Brutis, nam Corpore intereunte Anima humana eſt ſuperſtes, undè Apoſt. *Phil.* 1. 23. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

2. *Juſtitia Dei* exigit ut Pœnæ & Præmia retribuantur, quæ peccatores in corpore non acceperunt, futuro igitur ſtatu percipientur.

3. Aperta ſatis ſunt Scripturæ Teſtimonia, *Eccl.* 12. 7. *Matth.* 10. 8. ut ſuprà, *Matth.* 22. 32. *Deus* Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, *non eſt Deus mortuorum ſed viventium.*

SECTIO III.

PRæter has Animæ rationalis *Proprietates*, quædam etiam illius Facultates ſeu Potentiæ naturales cum Habitibus ſuis ex Operationibus pateſcunt.

I. Facultates Animæ Rationalis præcipuæ ſunt, *Intellectus* & *Voluntas*, & quæ ad eas referuntur, *Conſcientia*, & *Liberum Arbitrium.*

Intellect. *Intellectus* eſt *Facultas apprehenſiva*, quâ Homo notiones rerum ſibi per ſenſus delatarum percipit, & ex iis occaſionem ſumit de aliis, quæ in ſenſus non cadunt cogitandi, & utrum veræ ſint an falſæ, bonæ an malæ, per modum Affirmationis aut Negationis, dijudicat, & ratiocinatur: Eſtq;

vel { *Speculativus*, qui verſatur circa Veritatem & Falſitatem rerum.
Practicus, qui id, quod apprehendit, ordinat ad Praxin. }

Non quod ſint diverſæ Potentiæ, actus enim utriuſq, eſt *Contemplatio.*

Practicus verò appellatur, quatenùs *Contemplatio* iſta ordinatur ad operationem.

II. *Habitus* (quorum ope Facultates Animæ ſua munera faciliùs exercent) in Intellectu Speculativo ſunt,

Intelligentia, ſeu Ratio quâ Intellectus facilè agnoſcit *Principia prima.*

Speculativa, propoſitiones ſcilicet quibus (terminis earum auditis & cognitis) ſtatim præbetur aſſenſus, ut quodlibet eſt vel non eſt, ſive Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera. Totum eſt majus ſuâ parte, *&c.* Hic *Habitus innatus* eſt, cæteri *acquiſiti*, ut

Scientia, quæ verſatur circa Concluſiones.

Sapientia, tum circa Principia tum Concluſiones.

Prudentia, *Ars*, *&c.* quæ non ſunt hujus Loci.

In Intellectu Practico Habitus, quo primariò dirigimur circa agibilia, eſt

Syntereſis, quæ Hominem inclinat ad aſſentiendum Principiis practicis, quorum abſolutè prima numerantur, *Bonum eſt amandum & obtinendum, Malum fugiendum.* Hæc ſequuntur alia, ut *quæ vultis*

ut

ut faciant vobis Homines, facite illis; & *quæ non vultis ut faciant, nè facite. Ex his omnis Lex pendet & Prophetæ*, Matth. 7. 12. Etiam quæ ad primam Tabulam ſpectant, per Analogiam. Nam ſi Dominus eſſes, velles tibi credi, velles te amari, honorari, *&c.* Hinc *Syntereſis* à nonnullis dicitur Repoſitorium quo præcepta Legis Naturæ reſervantur, & Regula generalis honeſta jubens, & turpia vetans.

Syntereſin ſequitur *Conſcientia*; Hæc autem propriè neque Facultas eſt nec Habitus; ſed, uti vox ipſa denotat, Judicium quo applicatur Scientia ſeu Cognitio, quæ per *Syntereſin* aut Legem Dei haberi poteſt, ad aliquid particulare agendum, vel non, & an benè vel malè factum. Quamvis igitur *Hieronymus* quandoq; *Syntereſin* latiori ſenſu *Conſcientiam* vocat, ità tamen eaſdem diſtingui facilè patet, ut ex utriuſq; Occurſu formetur Syllogiſmus practicus, cui *Syntereſis* miniſtrat materiam majoris propoſitionis, ſive regulam turpis & honeſti; *Conſcientia* ſuppeditat minorem ſive rei judicandæ naturam & conditionem, undè fidelis concludit, *quid ſit agendum, vel non agendum*, & *an quid benè an malè fecerit.* *Conſcient.*

Officia Conſcientiæ cum *Synthereſi* præcipua ſunt tria, ſcilicet, ut ſit *Officia.*

Inſtar
- *Præconis* ſive *Monitoris*, ex Lege divinâ præſcribere ſeu monſtrare, *quid faciendum & evitandum ſit.*
- *Teſtis*, Teſtimonium de Actionibus noſtris perhibere, an juxta dictamen Legis, an contra facta fuerint.
- *Judicis*, Sententiam pro qualitate cujuſq; facti pronunciare, *abſolutoriam* aut *damnatoriam.* Et virtute triplicis hujus Officii componitur.

Syllogiſmus ſupra nominatus *practicus*, in quo *Major eſt Lex*, *Minor*, ope memoriæ, eſt *Teſtimonium*, & *Concluſio* eſt *Judicium*, ex. gr. *Qui vitam ad Evangelii præſcriptum inſtituit, Salvabitur, Ego ad Evangelii præſcriptum vitam inſtituo, ergo ſalvabor.*

Diviſio. Communis *Diviſio Conſcientiæ* in *Rectam*, *Erroneam*, *Dubiam*, & *Scrupuloſam*, eſt potiùs *Nominis* quam *Rei*. *Erronea* non eſt Conſcientia niſi analogicè; eſt enim *Falſa*, non ergò Ratio dictans ex veris Principiis, quid ritè *agendum* vel *omittendum* eſt? Neq; etiam *Dubia* aut *Scrupuloſa* dictant determinatè, ſed illa hæſitat, hæc angit, & Judicium impedire aut revocare ſatagit, de vocum autem Proprietate non luctabimur.

Recta. *Conſcientia recta* eſt, quæ juxta Normam ſuam, nempè Lumen Naturæ & Chriſti legem judicat.

Per *Bonam Conſcientiam* non ſemper intelligitur *Recta*, ſed interdum Bona dicitur cum omnia fiunt juxta illius dictamina. Sic *Act.* 23. 1. S. *Paulus* dicit, *omni bonâ Conſcientiâ ſe converſatum fuiſſe*; & *Conſcientia pura*, 2 Tim. 1. 3. Agnoſcit tamen ſe fuiſſe *blaſphemum*, *perſecutorem*, & *peccatorum maximum*. Hoc ſenſu *Conſcientia* poteſt eſſe *Bona* ſecundum quid, licet *Erronea*, non autem ſimpliciter niſi fuerit etiam *Recta*.

Erron. *Erronea* eſt, cujus Dictamina normæ ſuæ, *Lumini*, ſcil. *Naturali*, *Verboq*; *Dei* non quadrant, ſed ad normam mendoſam formantur, quales ſæpè ſunt hominum Conſtitutiones legi divinæ contrariæ, aut Lex Dei malè intellecta. Si quis agit quicquam contra Conſcientiam ſuam, quamvis Erroneam, peccat, quoniam illius dictamina tanquam Dei præcepta apprehenduntur, aut Legis divinæ Autoritate munita, quin etiam à normâ ſuâ naturali & quæ ab ipſo Deo indita eſt, diſcedit, *Rom.* 14. 23. *Si ambigit*, &c. & ſi peccat qui non ex animi firmâ perſuaſione agit, (ſicut ibi aſſerit Apoſt.)

poſt.) multò magis qui planè adverſus animi Judicium facit. Attamen ſufficit ad pacem Conſcientiæ, ſi neq; Rationi neq; Scripturæ repugnet quod factum eſt.

Hinc in Rebus *indifferentibus*, i. e. neq; *præceptis* neq; *prohibitis*, utraq, pars naturâ ſuâ licita eſt, ſi tamen Conſcientia per errorem judicet alteram eſſe illicitam, peccat qui contra judicium illud quidquam fecerit, ut ex loco nuperrimè citato planè conſtat. Peccat etiam qui in indifferentibus *libertate ſuâ cum proximi ſcandalo utitur*, 1 Cor. 8. 9, *&c.* Caveat interea; nè pro indifferentibus habeat ea quæ præcipiuntur ab iis, quibus *obtemperare* jubemur, *Heb.* 13. 17. niſi Legi divinæ *contrarientur*, Act. 4. 19.

In rebus etiam diſertè præceptis vel prohibitis diſtinguendum eſt. Error enim Conſcientiæ eſt vel invincibilis, qui licet prudenti adhibitâ diligentiâ ſuperari non potuit eatenùs inculpabilis eſt, & excuſat. Ethnici, quibus veritas Evangelii non illuxit, utcunq; ob peccata contra Legem Naturæ judicandi ſint, non tamen eoſdem comminationibus in S. Scripturis contra Incredulos denunciatis obnoxios haberi arbitramur, *Rom.* 2. 12. De Fatuis ſive mente captis idem dicendum eſt.

Vel *Error* eſt *Vincibilis*, qui adhibitâ quam decuit diligentiâ, ſuperari potuit.

Pontificii hodierni, qui pro Deo adorant, quod ore comedunt, quod mus rodat, aut putredo corrumpat; qui Simulachra, & alia cultu religioſo colunt, idq; locis quibus ſaniorem doctrinam imbibere potuerint, proculdubiò non æq; ac Ethnici excuſabiles habendi ſunt.

Diſtinguendum etiàm eſt de *Errore* ſeu *Ignorantiâ Juris* (quæ tamen vix locum habebit inter Chri-

ſtianos

ſtianos lumine Evangelii colluſtratos ſi Conſilia obſerventur quæ mox dabuntur dubitantibus (& de *Ignorantiâ Facti*, & aliis, quæ viro prudenti accidere poſſunt, & eatenùs excuſant.

Obj. Abſimile prorſùs videtur non licere contra Conſcientiam Erroneam facere quod S. Scripturæ jus faſq; eſſe pronunciant. Eſto quod Conſcientia actionum humanarum norma conſtituitur, Normæ tamen iſtius norma, ſcil. Lex Dei, nunquam errat, ſed ſemper ſequenda eſt.

Sol. Qui novit verbi Divini Sententiam, illius Conſcientia non errat, ſi non novit non poteſt eam ſequi.

Inſt. Non hujus nec illius normæ dictamen, illis circumſtantiis ſequendum eſt, ſed Actio ſuſpendenda donec error amoveatur.

Sol. Aufertur Subjectum Quæſtionis; nam de Conſcientiâ, non dubitante & ſuſpenſâ, ſed de errante & jubente, inſtituitur Quæſtio.

Dubia & Scrupuloſa. *Dubia*, ut & *Scrupuloſa*, impropriè titulo Conſcientiæ inſigniuntur; Conſcientia enim judicat, ſive (ut docent plurimi) eſt judicium de refaciendâ vel omittendâ, aut an benè an malè facta; *Dubia* verò nihil determinatè ſtatuit; & *Scrupuloſa* judicium obnubilat & diſturbat, adeò ut potius dici poſſit Turpis & illiciti Suſpicio, quam determinatio liciti & honeſti.

Satis perſpicuè ſtatuit Apoſt. *Rom.* 14. 23. nihil aggrediendum ſine firmâ perſuaſione animi juſtum illud & legitimum eſſe. Qui *Conſcientiâ* (quod aiunt) *dubitante* quicquam operatur, reverà operatur præter Conſcientiam, & non ad regulam, ſed abſq; regulâ formatur actio. Et porro notare expedit, quod qui verè Deum timet, cavebit nè quid fiat quod vel ſuſpicatur ejus Voluntati adverſum eſſe.

Interdum dubitatur ſolummodo, an altera Contradictionis pars ſit licita, necne; ut an liceat cibis

Lege

Lege Moſaicâ prohibitis jàm veſci? non dubitatur quin abſtinere liceat, quo caſu tutò ſtatuitur in eam partem concedendum eſſe, quæ dubitatione caret.

Fieri etiam poteſt ut quis *ſpeculativè* dubitet, *practicè* vero certus eſſe poſſit; ut an Bellum quoddam ſit licitum; cum tamen in praxi certus ſit licere ſibi Bello eodem militare, quia dum non conſtat de Injuſtitiâ Belli, conſtat quemlibet obedire debere ſuo Principi. *Dubitare* etiam poteſt aliquis, an licitæ ſint hæ vel illæ ceremoniæ in Cultu divino, ſed procul omni dubio eum agnoſcere oportet, ſubditos gravitèr peccare qui nolint *iis obedire qui præſunt in Domino*, Heb. 13.17. ſed ab eorum & Eccleſiæ communione recedentes, cœtus ſegregatos erigunt, niſi conſtet mandata eorum eſſe illicita, *Rom.* 16.17. 1 *Cor.* 1.10. *Heb.* 10.25. *Judæ* 19, &c. in Rebus ejuſmodi in eam partem concedendum eſt, quæ dubitatione caret.

Si utrâq; parte *practicè* dubitetur, ut an diſcrimen dierum obſervandum, an negligendum ſit? ſive, an facto aliquo Deus offendatur an non, hoc caſu, ut fidelis nec erret periculosè, nec perplexus indeſinentèr hæſitet, quidam prudentèr hoc dant Conſilii;

1. Conſulantur divina Oracula, unde ſolutio dubiorum de turpi & honeſto præcipuè petenda eſt; ſed

- Ex locis obſcurioribus nè extrahatur ſenſus, qui clarioribus repugnet, aut abſurditatem inferat.
- Nè Locutiones propriæ per figuratas explicentur.
- Ne Laciniæ quædam ex iis excerptæ ſint ſine attentione ad annexa.
- Non in iſta Oracula inferatur Sententia, ſed ex iis petatur.

2. In

2. In rebus dubiis Sapientum Sententia eſt exquirenda.

3. Deponantur præjudicia, & exulent omnes iniqui & partibus dediti Affectus, nè in tranſverſum agant Rationis Judicium.

4. Partis utriuſq; argumenta æquâ Lance ponderentur, & detur aſſenſus digniori. Si forſan Scrupulus exoriatur contra quam Ratio validioribus Argumentis adducta judicat & ſuadet, tunc abiit Conſcientia *Dubia* in *Scrupuloſam*, & agendum eſt quamadmodum mox de Conſcientiâ *ſcrupuloſâ* indicabitur.

5. Si Partis utriuſq; argumenta poſtquam diligentèr examinata fuerint, ejuſdem omninò ponderis eſſe, nec alterutrius aliqua Carni potiùs quam Spiritui favere videantur, Fidelis Deum adeat eumq; precibus ex pectore purgato & ſincero effuſis ſollicitet, qui ſapientiam verè colentibus largiturus eſt, *Jac.* 1. 5. Nec permiſſurus ut timentes ipſum in Erroribus vel dubiis ſalutem ſuam periclitantibus diu hæreant.

6. Sufficit ad pacem Conſcientiæ ſi nulli dictamini Naturæ vel Scripturæ contrariemur.

7. Etiamſi πληροφορία petenda ſit & ſectanda, moralis tamen certitudo admittenda.

Scrupuloſa. *Scrupuloſa* ſupponit Fidelem ſtatuiſſe rem quandam eſſe licitam, ſed ità ut ſubſit Scrupulus qui fidelem anxium reddit, nè fortè Res iſta eſſet illicita.

Si Scrupulus ſit rationabilis, quidni præponderet adeò ut Conſcientia non ampliùs ſit in æquilibrio? ſin irrationabilis, ſcil. ex levibus conjecturis, melancholiâ, ignorantiâ invincibili, *&c.* nulla illius habenda eſt ratio; ſed quo firmiùs Fidelis ei contranititur eò citiùs ab eo liberabitur.

Num

Num in iis aliqua ſit Conſcientia, qui in Reprobum Senſum traditi ſunt? Quæſt.

In multis tum Ethnicis tum Chriſtianis depravatum adeo eſt mentis judicium, ut ſubinde pro turpi honeſtum habeant & contrà, quamvis etiam honeſtum eligendum, turpe fugiendum eſſe cenſent; unde ſeipſos poſteà reprehendunt, & accuſant: adeoq; Conſcientiam eos tunc habuiſſe conſtat, etiamſi pravam & malè informatam. *Reſp.*

In *Caligulis*, *Neronibus* & ejuſmodi hominum monſtris, quibus nullo planè diſcrimine multoties habebantur turpe & honeſtum; extinctum penitùs fuiſſe viſum eſt Rationis judicium; tandem nihilominùs cum receſſerunt inſani, quibus abrepti erant, affectus (præcipuè ſi horribilis & portentoſus aliquis Eventus eos excitaret) perculſi atrocitate ſcelerum ſeipſos reprehenderunt & accuſârunt; ideóq; non planè defuit in iis Conſcientia, ſed torpuit; & propter Ordinariam ſuam ſtupiditatem, & crebrò revertentem, diúq; ſæpe commorantem inſenſibilitatem, meritò ad tempus ſaltèm *Senſûs reprobi* titulo inſigniri poteſt eorum *Malignitas*. In nullis tamen arbitramur penitùs extinctum iri diſcrimen turpis & honeſti, aut prorſùs nullam ſupereſſe conſcientiam quamdiù manſerit in iis illa *Rationis Vis*, aut *Intellectus* non ſit perinde ut in fatuis aut infantibus, omni mentis conſilio deſtitutis.

Sectio IV.

Facultates *Intellectûs* & *Voluntatis* comitatur *Liberum Arbitrium*; Cujus notitia, quum haud parum confert ad alia Theologiæ capita dilucidanda, non hîc pede ſicco prætereunda eſt.

Vox

Vox *Liberi Arbitrii*, αὐτεξουσία (quâ Græci Patres utuntur) non occurrit in S. Literis, niſi ex 1 *Cor*. 7. 37. inferatur, ubi S. *Paulus* hominem poſſe ἐξουσίαν περὶ ἰδίου θελήματος habere innuit, & nomen nimis ſuperbum juſtè reputaretur, præterquàm quod non de abſolutè Libero loquimur, ſed de abſoluto in genere Cauſarum ſecundarum & de Re potiùs quam de Voce inſtituitur diſquiſitio.

Etſi *Liberum Arbitrium*, quoad Vocem, actum notet; hoc tamen loco neq; actum neq; habitum ſignificat (nam uterq; illorum ab homine ſeparari poteſt.) Eſt ergò potius facultas tum habituum tum actuum productiva, & definitur,

Quid. *Facultas Creaturis rationalibus indita, ex iis quæ ad finem conducunt unum præ alio eligendi, aut unum idemq; acceptandi aut repudiandi pro arbitrio.*

Eſt perfectio à Creaturâ rationali inſeparabilis. non prorſùs per peccatum ab homine aufertur; ſicut enim homo naturalis ſibi relictus *liberè* peccato indulget, ità quando gratiâ potentèr excitatus meliori vitæ ſtudet, *Libertati* voluntatis non præjudicat Gratiæ efficacitas.

Abſq; *Libero arbitrio* nec Virtus eſſet nec Vitium, Præmia ſine ratione Obedientibus darentur; nec pœnas mereretur qui alitèr agere non poterat.

Obj. *Liberum Arbitrium* eſt Facultas *vivendi ad Libitum*: Homo autem *Legibus* divinis tenetur.

Sol. Tenetur quoad pœnam vel præmium expectandum, non Phyſicè neceſſitatur.

Obj. Deus præſcit actiones humanas certò futuras, ergo liberæ & contingentes non ſunt.

Sol. Non ſequitur; Præſcientia enim in Deo immanens nihil foràs operatur, eo quòd Præſcientia eſt inſtar viſùs, qui accommodatur rebus viſis, non illas alterat.

Con-

Contingentia tam poſſunt non eſſe quam eſſe, quare ſi Deus præſciret ea futura, quæ non evenirent (uti accidere poſſit, quoniam contingentia ſunt) *Præſcientia* Dei falli poſſet; nam præſciret certò futura quæ potuiſſent non eſſe. *Obj.*

Ut *Scientia* non fallatur, ſufficit ut res eveniant quemadmodum eventura prævidit, non ut alitèr, evenire non poſſint. Cujus Certitudinis ratio eſt *Intellectûs Divini Infinitas.* *Sol.*

Voluntas neceſſariò ſequitur judicium rationis ultimum; ergò non eſt libera. *Obj.*

Falſitas iſtius Propoſitionis mox clariùs patebit. *Sol.*

Voluntas antequam eligit, nihil eligit; & quando eligit, neceſſariò eligit: nam quicquid eſt, quando eſt neceſſe eſt eſſe. *Obj.*

Ineptum eſt Sophiſma; nam antequàm eligit habet liberam poteſtatem eligendi; & quando eligit, liberè eligit, quia illud agit quod in poteſtate ipſius erat non agere, & poteſt ab agendo deſiſtere, vel contrarium agere. *Sol.*

Liberum Arbitrium eſt de iis quæ ad finem, &c.] non proprie liberum eſt circa finem ipſum; aliud *Voluntarium* eſt, aliud *Liberum Arbitrium.* Cum quis finem ſibi proponit, conſultat de *Mediis*, ità ut Libertas & Conſultatio æq; latè pateant. *Voluntas* autem reſpicit Bonum, ſive Finis ſit, ſive Medium. Hinc communiter aiunt *Beatitudo* eſt *Objectum Voluntatis*, ſed non *Liberi Arbitrii.* *Officia.*

Voluntas fertur in finem liberrimè. *Obj.*

Nonnulli aiunt non liberè ſed naturalitèr. *Sol.*

Alii dicunt Libertate latè ſumptâ, ſcil. Complacentiâ, & præeunte Judicio Intell. ſed non Libertate aut Contrarietatis aut Contradictionis.

Hîc non abs re videatur litem illam brevitèr diſcutere; *In quo conſiſtat Formalis ratio Libertatis?* *Formal. Ratio. Libertat. Quæſt.*

Alii

Reſp. Alii in Spontaneitate illam ponendam eſſe ſtatuunt non *brutâ* ſed *rationali*, quæ prævium habet Mentis Judicium; ſive in Immunitate à Neceſſitate Coactionis. Multiplicem verò neceſſitatem alius generis cum *Libertate* conſiſtere fatentur; agnoſcunt enim voluntatem neceſſitari,

1. à Cauſâ ſuperiori, à Decreto, Præſcientiâ, & concurſu Divino.
2. à Naturâ vel Diſpoſitione Subjecti. Hinc Beati Angeli, Animæq; Juſtorum in Cœlis, nec non ipſe Deus agens Liberrimum, non poſſunt velle malum; ſed ad Bonum, ab immutabili Sanctitatis ſuæ natura quaſi neceſſitari dicuntur.

Dum viatores ſumus nihil ſub ratione mali eligere poſſumus ſed Boni, Voluntas etiam vitioſis habitibus depravata, ut in deploratè improbis, ob ſimilitudinem naturæ neceſſitatur, inquiunt, ad malum, licet ſub ſpecie vel utilis vel jucundi.

3. Agnoſcunt etiam Voluntatem poſſe neceſſitari quandoq; ab Individuitate Objecti, cum non plura ſint ex quibus fiat Electio, eâdemq; ratione fertur in ſummum Bonum neceſſariò.

Alii verò in Indifferentiâ formalem rationem Libertatis ponendam eſſe ſtatuunt, quâ voluntas poſſit agere vel non agere, hoc vel illud agere; eſt enim, inquiunt, *Libertas* vel

1. *Contrarietatis* ſive *Specificationis* quâ voluntas indifferens eſt ad ſpecies

Objectorum, poteſt hoc vel illud agere, habetq; locum ubi optio datur ad plura, *ex. gr.* præferre honores opibus, vel contra, vel indifferens,

ferens, ad ſpecies *Actuum*, acceptare vel rejicere.

2. *Contradictionis* ſive *Exercitii* quâ Voluntas indifferens eſt ad agendum vel non agendum, & locum habet, ubi de unâ re agendâ agitur; ut cum offertur dignitas aliqua, Voluntas poteſt eam amplecti, vel non.

Si Nomenclaturam ſolummodò hujus Diviſionis ſpectemus, veriſimilius videtur Libertatem voluntatis potiùs indifferentem eſſe quam multiplici adeò neceſſitate cohibitam & conſtrictam. Damus neceſſitatem notare *Rem non poſſe* non eſſe, & Libertatem indifferentem notare *Rem poſſe* non eſſe. Nodus autem facilè ſolvitur; Voluntas enim manet indifferens quamvis Actus & Eventus neceſſariò ſit futurus. Deus præſcivit Judæos Chriſtum crucifixuros; neceſſariò igitur ſecutura erat iſta crucifixio, liberè autem ſcelus iſtud perpetrârunt Judæi; & Deus præſcivit Judæos liberè hoc facturos, ità ut potentiam habuerint eum non crucifixiſſe. Nec Contradictoriæ ſunt hæ Propoſitiones; *Judæi potuerunt Chriſtum non crucifixiſſe*, & *certum erat Chriſtum à Judæis crucifigendum*. Illa enim *potentiam*, hæc *actum* denotat. Sic Chriſtus prædixit *Petrum* ipſum abnegaturum, neceſſariò ergò ſecutura erat iſta denegatio: Nihilominùs libera erat, & de libera denegatione Chriſtus in prædictione iſtâ locutus fuit.

Dicat aliquis, ſi vera fieri potuit hæc Propoſitio, *Petrus non denegabit Chriſtum*, tum falſa eſſet altera, *Petrus denegabit Chriſtum*. Et indè ſequitur præſcientiam falli potuiſſe. *Obj.*

Sed negatur id ſequi, nam prior agit de ſolâ potentiâ, & vera eſſe potuit, poſitâ præſcientiâ iſtâ Chriſti, à quâ non ſequitur poſitio actûs; & hæ Solutiones pariter ad alias inſtantias accommodari poſſunt. *Sol.*

His adde quod voluntas naturâ ſuâ eſt indifferens & indeterminata ſenſu diviſo, atq; in actu primo, licet non ſenſu compoſito, aut actu ſecundo; eſtq, in eâ Simultas Potentiæ (ut loquuntur Scholaſtici) licet non potentia Simultatis.

Obj. Indifferentia non deprehenditur in Deo, qui Agens eſt liberrimum, nec in Angelis bonis aut malis, nec animabus cœleſtibus. Chriſtus etiam liberrimè Deo obedivit, attamen ex neceſſitate, quia non potuit Deo non obedire.

Sol. 1. Quod ad voluntatem divinam non mirum habeatur, quod non ſit indifferens ad malum æq; ac bonum, quum quod bonum non eſt nullo modo Naturæ illius congruit, nè quidem voluntas Creata vel indifferentèr vel lubentèr, ſive ſponte ferri poteſt in malum, qua tale.

2. Inter Bona Honeſta, ad extrà, Deus indifferentèr hæc vel illa potuit præcipere, & turpia prohibere; & in indifferentibus egit cum Libertate tum Contrarietatis tum Contradictionis.

3. Quæſtio inſtituitur circa media *eligenda*, & media ab Intellectu *oblata* voluntati, qualia ſupponamus ab intellectu Beatorum in Bono confirmatorum exhiberi poſſe, turpia verò ità exhiberi fingere nequimus.

4. Dein Chriſtum (cum factus fuit nobis per omnia ſimilis) facultatem indifferentem habuiſſe non dubitamus; quamvis, quoad Actum, nec peccâſſe, nec peccare voluiſſe ſi potuiſſet, meritò arbitramur, quod adeò non habenda eſt (juxta tetricorum quorundam opinionem) in Chriſtum Blaſphemia, ut contra, haud vulgare videatur ſingularis Sanctitatis illius documentum.

Quæſt. *Num Voluntatis Electio neceſſariò pendeat ab ultimo judicio Intellectûs.*

Reſp. Aſſerit *Aquinas*; negat *Scotus.*

Verum

Verum eſt, quòd niſi præcedat Rationis Judicium nulla erit voluntatis Electio; voluntatis enim objectum eſt Bonum apprehenſum; ergò operaretur ſine Objecto, niſi Mens illud voluntati monſtraret. Si quis etiam interrogaretur, cur hoc vel illud agat; reſpondebit, quia judicavit ita eſſe agendum; aut ſi dicat, ſtat pro ratione voluntas, judicavit bonum ſibi eſſe, contra rationem prius ſignificatam agere, aut abſq; aliâ ratione quam ſui ipſius gratificatione agere, & libertatem ſuam oſtendere.

Intereà verò hæc pro *Scoti* Sententiâ afferuntur.

1. Judicium Intellectûs eſt inter requiſita ad Electionem, ſed poſitis omnibus ad agendum requiſitis, *voluntas libera eſt ad agendum vel non agendum.*

2. Quum Intellectus de mediis deliberat, & concludit hoc faciendum eſſe, voluntas poteſt iſti Judicio reſiſtere, & præbere occaſionem intellectui pergendi in conſultatione ad aliud judicium eliciendum, imo ſi judicaverit Medium iſtud neceſſarium eſſe ad Finem aſſequendum, voluntas quandoq; deſiſtet ab iſto fine & alium perſequetur.

Cum voluntas uni judicio reſiſtit, Intellectus aliud exhibet, cui voluntas ſe conformet, atq; illud ultimum eſt, cui voluntas annuit, nam abſq; omni judicio non ageret omninó. *Obj.*

Verum eſt *Voluntatem* non poſſe quicquam velle ſine præcedente judicio rationis; nihilominùs *voluntas* non inde neceſſitatur. Nam qui malitioſè peccat, agit contrà determinatum judicium Rationis, & *Voluntas* movet *Intellectum* pergere ad aliud judicandum. Neceſſe eſt ut judicium aliquod præcedat, non neceſſe eſt ut *voluntas* hoc vel illud particulare judicium ſequatur. *Sol.*

Obj. Intellectus dicitur facultas *neceſſaria*, quia non poteſt non aſſentire *vero*; pari ratione *voluntas* non eſſet *libera*, quia non poteſt niſi *Bonum eligere*, aut appetere *Malum*, qua malum.

Sol. Magna eſt in his imparitas. Nam *Voluntas* naturâ determinata eſt ad bonum in communi; ſed bona particularia poteſt vel appetere vel rejicere, excepto ſummo Bono ob illius Individuitatem, ſive quia non plura ſunt ex quibus fiat *Electio*: Intellectus autem determinatus eſt ad omne particulare verum, ut ei præbeat aſſenſum, quoties perſpicuè apparet.

Subjectum Libr. Arbit. *Libertatem hanc* ſive *Indifferentiam* eſſe in *Intellectu* potius quam *Voluntate* ſtatuunt *Durandus*, *Gaſſendus*, &c.

Alii, in homine, quatenus liberè, operatur: Ut & *Intellectum* & *Voluntatem* eſſe ipſam animam quatenus immediatè circa *Verum* & *Bonum* ſe exercet. Docendi verò causâ & ad aptiorem loquendi formam, hæ ſicut aliæ dici poſſunt facultates reſpectu tum *Habituum* tum *Actuum* inde prodeuntium.

Alii *Libertatem* fundamentalitèr ſive radicalitèr in *Intellectu* eſſe docent; quia varia Objecta inter ſe comparare, & varias rationes *Boni* & *Mali* per facultatem ſuam æſtimativam percipere poteſt, & eaſdem monſtrare *Voluntati*; Unde *Liberæ Electionis* copia ab *intellectu* derivatur, adeò æq; liber aut potius liberior eſſet *Voluntate*, quia propter quod aliquid tale eſt, illud ipſum eſt magis tale.

Sed hinc tantum ſequitur, in *Intellectu* eſſe *Potentiam* ad percipiendas varias rationes *Boni* & *Mali* in Objectis, non ad exercendas contrarias actiones circa iſta Objecta cum Dominio.

Dicendum itaq; quamvis *Liberum Arbitrium*, vi nominis duorum actuum conjunctionem denotet, videlicet Judicii quod ad *Intellectum* refertur, & *Electionis*, quæ propius ad *Voluntatem* pertinet;

tinet; unde videatur eſſe *Electio* cum *Judicio*; *Arbitrium* tamen, quatenus ad *Voluntatem* refertur, plus *Libertatis* includit quam *Judicium*, quum arbitri liberiores ſunt quam Judices, qui ad Legem alligantur, ideoq; ad intellectum ſolummodò pertinet quoad Judicium *quid bonum ſit aut malum*; præcipuè autem ad voluntatem, cujus eſt liberè illi judicio vel *aſſentire* vel *diſſentire*.

Dein quoniam *Voluntas*, quà talis eſt, nec veritatem nec falſitatem Judicii percipit (eſt enim eatenus cœca potentia) *Intellectus* judicat, *Voluntas* aut amplectitur, aut ſuſpendit ſuam *Electionem*, aut imperat *Intellectui* renovare deliberationem, & aliud Judicium (forſan poſtquam pravis cupiditatibus occœcatus eſt) proponere.

Tum *Voluntas* neceſſitatur ad Objectum in quo majorem bonitatis rationem eſſe judicat aut *Intellectus* aut ipſa *Voluntas*: Nam minùs bonum cum majore collatum rationem *Boni* amittit. *Obj.*

Voluntas non eſt inſtar *Potentiæ paſſivæ*, quæ ob majus pondus lanci impoſitum in eam partem inclinat; eſt enim Principium *Activum* quod in iſtiuſmodi circumſtantiis, conſilio Intellectûs aut obtemperare aut obluctari poteſt pro libitu. *Sol.*

Num poteſt eſſe prava Volitio, abſq; Errore aut Ignorantiâ in Intellectu. Quæſt.

Videatur forſan hoc ſequi ex præmiſſis, inde nimirum quod *Voluntas* poſſit contra ſanum *Judicium* facere vitioſam *Electionem*. Attamen memoriâ tenendum eſt, quod licet *Voluntas* reſtiterit uni *Judicio* non pergit ad *Electionem* niſi in *Intellectu* aliud *Judicium* oriatur cui ſe conformet, adeò ut nihil appetat, niſi quod *Intellectus* judicaverit appetendum. *Reſp.*

Nullus *Error Judicii* potuit præcedere primum peccatum. Si erràſſent *Angeli* aut *Protoplaſti* an- *Obj.*

 tequam

tequam peccâſſent, *Erronei* fuiſſent, ideoq; miſeri antequam mali.

Sol. Ipſe Error fuit prima pars Peccati; fuit enim *Defectus Voluntarius*, inchoatè in *Intellectu*, conſummativè in *Voluntate*.

Obj. Si omnis peccans ſequitur præcedens judicium, tum nemo peccat contra Conſcientiam, eſt enim illud judicium vel idem cum Conſcientia vel quoad ſententiam ab ea non diſcrepans.

Sol. Etiamſi *prava Volitio* non ſit abſq; *Errore* aut *falſo Judicio*; non inde ſequitur, *pravam Volitionem* ſemper eſſe ex *Errore*, Luc. 12. *Servus qui novit Voluntatem Domini non ſemper fecit.*

Quidam forſan eo quo peccant tempore non cogitant illud illicitum eſſe quod faciunt; non tamen ex *Errore* aut *Ignorantiâ*, ſed contra *Conſcientiam* peccare dicantur, quia habitualitèr nôrunt facti illius iniquitatem; & multi quoad actuale mentis Judicium nôrunt id quod faciunt Illicitum eſſe; attamen vel ex Repentinâ *Paſſione* abrepti, aliâve Infirmitate, vel ex *malitiâ* ſæpè aliud oritur *Judicium*, quo faciunt quod in mente condemnant.

Intereà licet *Ignorantia formalis*, & proprie dicta, non præcedat *pravam Volitionem*, *Ignorantia* tamen quædam *interpretativa*, ſcil. Inadvertentia, ſive Defectus Efficacis Conſiderationis [*majus eſſe malum quod incurrat, quam bonum, vel utile, vel jucundum, quod per illud factum percipiatur*] factum præcedit, & ſi cognitio ſeu conſideratio non ſit efficax, *Voluntas* perinde ſe gerit ac ſi ignoraret, aut non conſideret.

SECTIO. V.

De HOMINE *ad Imaginem* DEI *creato.*

NON modo cum dictis facultatibus, verum etiam ad *Imaginem Dei Hominem* creatum fuiſſe legimus, *Gen.* 1. 26.

Imago Dei eſt vel *Co-eſſentialis* ſuo Archetypo ſcil. *Dei Filius*, qui Heb. 1. 3. vocatur *ipſius Character* i. e. *Expreſſa Imago*, *Subſtantia Patris*; vel *Notabilis quadam Similitudo* quæ eſt inter Deum & Hominem.

Hæc *Similitudo* non ſpectanda eſt in membris corporis, ut ſomniarunt *Anthropomorphitæ*, licet enim nonnunquam Deo tribuantur, illud fit ἀνθρωποπαθῶς & per *Metaphoram*, per *Dextram* Dei, *Potentia* ſignificatur; per *oculos*, *Scientia*; per *Alas*, *Protectio*, &c.

Neq; cum ratione docuerunt quidam Veteres Filium Dei ante Hominem conditum Carnem aſſumpſiſſe, & ad *Illius Similitudinem* formatum fuiſſe Adamum: Nam *Faciamus hominem ad Imaginem noſtram* non erat locutio ſolius Filii, ſed totius Trinitatis. Neq; Filius Dei aſſumpſit carnem humanam, antequam homo peccavit. Dein non nos illi, ſed ille nobis ſimilis factus dicitur, *Heb.* 2. 14.

Hæc *Imago* ſive *Similitudo* generatim ſumpta, conſiſtit in Donis & Privilegiis quibus homo cætera animalia ſuperat (unde *David*, *Pſ.* 8. *Benignitatem* Dei erga Hominem propterea deprædicat) nimirum partim in Animâ, quodammodo in Corpore, nec non inſuper in totâ Perſonâ.

1. Partim in *Animæ Spiritualitate* & *Immortalitate*, *Facultatibus* etiam *Intellectûs*, *Voluntatis*, & *Liberi Arbitrii*; earundem etiam *Perfectionibus Sapientia*, *Juſtitia*, &c. Eph. 4. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum conditus in* Juſtitiâ & Sanctimoniâ. Nova ſcilicet Creatura Dei *ſimilitudinem* refert, quæ in veteri amiſſa fuit. Huc ſpectat quod Hominem cum *Juſtitiâ Originali* & *facultatum rectitudine creatum fuiſſe* legimus, Eccl. 7. 29. *Deus creavit Hominem rectum, ſed ipſi ſibi adinvenerunt inventiones plurimas*. Nihil defuit quod ad Deum colendum aut ad fœlicitatem conſequendam requireretur. Habuit Adamus non modo potentiam in Creatione conceſſam, quâ potuerit in Bono perſtitiſſe, ſed Liberum quoq; Arbitrium, ideoq; quâ labi potuit, ſi vellet.

Obj. Si quis objicit, tum in lubrico eum poſitum fuiſſe. Ita eſt.

Sol. Sed ut inde ne quidquam excuſationis obtenderet peccans, ſatis erat iſte perfectionis gradus, neq; ad integritatem illius requirebatur, ut aut non poſſet *Velle* peccare, aut ut non *poſſet* omninò peccare.

Imo ſi tanta fuiſſet in Animâ primorum Parentum Scientiæ perfectio, taliſq; appetituum ad parendum Divinis mandatis promptitudo, quanta qualiſq; vulgò iis tribuitur, haud mente aſſequi poſſumus, quomodo, aut *Eva* mutum fuiſſe Serpentem ignorâſſet, aut faciles aures Tentatori præbuiſſet, qui Deum ſuum benigniſſimum ejuſmodi contumeliis laceſſivit, quæ pio cordi horrorem incuterent, potius quam ad aſſentiendum allicerent.

2. *Imago Dei* ſive *Similitudo* generatim ſumpta conſiſtit quodam modo in Corpore quatenus Animæ ſubminiſtrat Organa ad Operationes exercendas quibus aliqualis conformitas ad Deum exprimitur.

primitur. Hinc Perfectiones Divinæ, quales ſunt Sapientia, Potentia, *&c.* per oculos, brachia, *&c.* in S. Literis indigitantur.

3. Partim *totius Perſonæ Dominio* in Creaturas & *Immortalitate.*

1. *Dominio* in Creaturas, & hæc ſine dubio præcipuè eſt Imago illa Dei, ad quam homo factus eſſe dicitur. *Sapientia* enim, *Juſtitia*, aliæq; Virtutes inclytæ quamvis ipſius Dei ſimilitudinem pro menſurâ exhibent (ut locis nupèr citatis non obſcurè innuit Apoſt.) non tamen Imaginem, de quâ *Moſes*, in iis conſtitiſſe arbitramur; eo quod *Moſes* Imaginem Dei non tantum per hoc Dominium deſcribit, *Gen.* 1. 26. *Faciamus hominem ad Imaginem noſtram, & dominetur in piſces maris, & volucres cœli, in pecudes*, &c. Sed poſtquam Homo Virtutes prædictas amiſerat per Lapſum, nihilominùs ad Imaginem Dei conditum fuiſſe & deinceps condendum fore legimus. *Gen.* 9. 6. *quicunq; effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius, ad imaginem enim Dei factus eſt*, & *Jac.* 3. 9. *Maledicimus hominibus, qui ad Similitudinem Dei facti ſunt.*

2. *Immortalitate* quâdam, ſive *facultate non-moriendi* conſiſtit *Imago Dei.* Non fuit moriturus, ſi non peccâſſet. Neceſſitas enim moriendi introducta fuit per peccatum, *Gen.* 2. 17. *quo die comederis de iſto, morte morieris.* Rom. 5. 12. *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum Mors.*

Non autem adeò abſoluta cenſenda eſt hæc Conformitas, ut omnem difformitatem & imperfectionem excludat. Deus enim eſt ità Immortalis, quemadmodum & Juſtus, ut non poſſit mori, ſicut nec peccare. Homo autem ita erat immortalis, ut potuerit mori, ità juſtus ut potuit peccare. Homo

Obj. Homo Naturâ mortalis erat & corruptibilis, quia alimento ſuſtentandus & reparandus.

Sol. Non inde ſequitur hominem fuiſſe ex Creatione Mortalem quod cibis veſceretur, quibus in vitâ Immortalium futurâ non erit locus, 1 *Cor.* 6. 13. alia enim eſt Immortalium conditio in Cœlis, alia futura erat terreſtri paradiſo degentibus; hanc enim vim habuiſſe videtur Arbor Vitæ, ut morbos repelleret, Calidum innatum humidumq; radicale reſtauraret, ab externis caſibus improviſis Deus Providentiâ ſuâ hominem conſervaret, unde à morte immunis eſſet, in Cœlum forſan tandem transferendus.

Obj. In Statu Immortalitatis non eſt Liberorum propagatio, *Luc.* 20. 35, 36. *Neque nubunt neq; ducunt uxores, neq; ultra mori poſſunt, ſed erunt ſicut Angeli.*

Sol. Eadem ſufficiat reſponſio, alia enim fuiſſe conditio Conjugatorum ante peccatum, quam poſt mutatum & inverſum Naturæ Ordinem, eam fuiſſe invenimus.

CAPUT

Caput VII.

De Providentia Dei Actuali.

Sectio I.

PRovidentia Dei *Actualis*, eſt quâ Deus Creaturas omnes & Singulas *curat*, *conſervat*, & *gubernat*.

1. *Curat* Pſ. 104. & 94. 9. *Plantator auris annon audiat*, *& formator oculi annon intueatur?*

Curat
Minima Matth. 10. 29. *Ne Paſſerculus*, &c.
Animalia inferiora.
Obj. 1 Cor. 9. 9. *Num Boves Deo ſunt curæ?* inquit Apoſt.
Sol. Imo, *dat jumentis eſcam*, *Pſ.* 147. 9. quamvis negat S. *Paulus* Legem illam [*Non obligabis os bovi trituranti*] præcipuè propter Boves datam eſſe.
Cauſarum naturalium Effecta, pluviam, ventos, tonitrua, *Jer.* 10. 13. *Pſ.* 104. & 147. 8.
Fortuita & Contingentia Pro. 16. 33. *tota ſortis ratio eſt à Deo*, Exod. 21. 13.

2. *Conſervat*, Neh. 9. 6. Heb. 1. 3. *omnia verbo ſuo potenti ſuſtinet*, idq; interdum immediatè, ut plurimum mediatè, *Hoſ.* 2. 20. *Exaudiam Cœlos*, *&*

& ipſi exaudient terram, & terra frumentum, muſtum & oleum, & iſta exaudient Jezrebelem.

3. *Gubernat*, eſt autem *Gubernatio* hæc, vel { *Communis.* *Specialis.*

1. *Communis*, qua Univerſa & ſingula, ſive *Inanimata* ſint, ſive *Senſitiva*, ſive *Intelligentia*, Concurſu (cauſis omnibus ſecundis neceſſaria) regit, Concurſ. & ad *fines ſuos perducit.*——Qui quidem *Concurſus* paucis hiſce theſibus explicabitur.

1. Notum eſt in Metaphyſicis Axioma, *Cauſam primam concurrere ad omnem Actionem Cauſæ ſecundæ*, & S. Literis maximè conſonum eſt; *Job* 10. 8. *Manus tuæ fecerunt me*, &c. Joan. 1. 3. *omnia per ipſum facta ſunt*, Joan. 5. 17. *Pater meus operatur uſq; modo, & ego operor*, in iſtâ ſanatione claudi influxum ſuum præbuit, & alibi dicitur *rigare montes, educere nubes & ventos*, & cuiq; *dare proprium corpus.*

Hinc communiter hodie improbatur Sententia *Durandi & Ludovici à Dola*, qui docuerunt Deum non aliter cum Cauſis ſecundis co-operari, quam Vires earum quas dederat, conſervando, non autem Effectus earum immediatè attingere.

Obj. Objiciat forſan aliquis, quod fruſtrà aſſignantur plures cauſæ ejuſdem Effectûs, niſi ſint Partiales, aut niſi una ſit Effectui impar, quorum neutrum de Deo dici poteſt, qui eſt abſolutè perfectus, nec de aliquâ Cauſarum Secundarum, quibus vires dedit Effectibus ſuis proportionatas.

Sol. Dantur cuiq; Creaturæ vires ſuo ordini ſufficientes, non autem ut agant independenter, & tanquam Cauſæ generaliſſimæ, neq; dici poſſunt Partiales, utraq; enim totalis eſt in ſuo Genere, altera ſcil. alteri ſubordinata, neq; Cauſæ ſecundæ dicendæ ſunt Inſtrumenta; niſi cum adhibentur

tur à Primâ ad opera quæ ſuâ Naturâ peragere non ſolent.

2. Sicut in Agentibus quibuſdam eſt propenſitas ad motum directum, ſurſum ſcil. vel deorſum, in aliis ad motum circularem, quoties externâ vi non impediuntur alióve abripiuntur, ità etiam Creaturis Rationalibus indita eſt *Eligendi Libertas*, quâ poſitis ad agendum requiſitis poſſunt pro *arbitrio* agere, repudiare, vel ſuſpendere, prout ex deliberatione viſum fuerit, haud impari promptitudine ac Creaturæ inferiores nativis propenſionibus ad motus ſuos proprios feruntur.

3. Quemadmodum Præmotio phyſica non neceſſaria videtur ad operationes Agentium Naturalium, ità nec ad Operationes Voluntatis in Agentibus Intellectualibus. Nec poſſunt Patroni Præmotionis Sententiam ſuam tueri, niſi quædam tum Rationi diſſona, tum piis auribus deteſtanda ſimul admittant.

Ad clariorem inſuper *Concurſûs Divini* notitiam (præcipuè quatenus actiones Morales ſuperintendit & moderatur) non parum conducat ex Metaphyſicis duas Theſes præmiſſis adjungere.

4. Concurſus ſive Influxus Generalis Cauſæ primæ accommodatur conditioni & propenſioni Cauſæ Secundæ, quæ cauſa ſecunda ſi defectiva fuerit, opus inde productum erit imperfectum, & Concurſus iſte generalis primæ Cauſæ quaſi determinatur ad Effectum propenſioni cauſæ ſecundæ congruentem. Hinc Voluntas peccatoris appetit rem illicitam, non quia Deus co-operatur aut Concurſum præbet, ſed quia Creatura propriâ ſponte rem iſtam erat appetitura, neq; enim oportet Deum contrà Communem Providentiæ ſuæ legem, concurſum generalem (ſine quo Voluntas actum

Rob. Bar. Metaph. gen.

actum omnino nullum elicere poſſet, ſcil. nec velle nec nolle quicquam) Creaturæ ſuæ denegare, etiamſi prævideat voluntatem, oblatâ eligendi occaſione (quantum in ſe) in partem deteriorem inflexuram; maximè quod probè novit ſe poſſe rem iſtam illicitam in finem optimum dirigere, ac inde bonum educere.

Obj. Hinc ſequeretur, Deum quodammodo dependere à Creaturâ, & Concurſum illius ad actionem hujus aut illius ſpeciei neceſſitari.

Sol. Nequaquam; Liberè enim condidit res hujus aut illius naturæ, liberè decrevit cum iis concurrere; poteſt, quando vult, non concurrere, ideoq; non pendet à Creaturâ; ſed ab æterno voluit ſe accommodare Creaturis, quoties res poſtularet, ne in iis deeſſent, quæ ad naturam & operationes Creaturarum ſuarum erant Neceſſaria.

Obj. Si *Voluntas* Dei determinetur ab alio, videatur quod non ſeipſam ſola determinet, ſed quod Creaturæ ſubeſſet.

Sol. Seipſam ſola determinat *Effectivè*, à Creaturâ determinari poteſt *Objectivè*; ea enim eſt Conditio Creaturæ, ut objectiva quædam in eâ ratio poſtulet concurſum hujus, potiùs quam illius ſpeciei. Sic Defectus in cauſâ ſecundâ determinat Concurſum, in ſe indifferentem, ad productionem monſtri potiùs quam effectûs perfecti & completi.

Obj. Cauſa ſecunda non agit niſi mota à Primâ: ergo ſi Primam determinet, Cauſa ſecunda prior eſſet in agendo quam ipſa Prima.

Sol. Determinatio hæc non eſt Actio aliqua *voluntatis*, ſicut neq; actio eſt quâ Ignis determinat Cauſam Primam ad calefactionem potius quam frigefactionem; ſed Objectiva ratio quâ præbetur occaſio Primæ Cauſæ concurrendi ad unam ſpeciem actionis potiùs quam ad aliam. Notandum enim eſt, quod quamvis Cauſa ſecunda non agat abſq;

Con-

Concurſu ſive Influxu primæ, non tamen requiritur Determinatio Phyſica (ut opinantur *Thomiſtæ*) nempe, ut Cauſa Prima in omni actione ſecundam præmoveat, & ad Opus applicet. Non quidem neceſſaria eſt hujuſmodi præmotio ad Actiones Cauſarum Naturalium ordinariè, nedum ad Actiones Agentium Liberorum; Nam licet ſufficienti auxilio adjuvetur *Voluntas*, negamus *Voluntatem* in omnibus & ſingulis motionibus à Deo excitari & præmoveri phyſicè, & tanquàm à Cauſâ neceſſitante. Ab eo enim aufertur *Libertas Arbitrii*, aut Saltem illius uſus, qui ab alio phyſicè flectitur & determinatur; quia tum omnia ex Neceſſitate evenirent. Gratia præveniens dat poteſtatem ad Actus Spirituales; Præmotio Phyſica agendi neceſſitatem daret, & *Libertatem* auferret.

Omnia neceſſariò eveniunt; quia Deus, qui præſcivit ea Ventura, falli non poteſt. *Obj.*

Eſto quod præviſus ſit Eventus; Præſcientia tamen Divina nullam cauſalem Neceſſitatem imponit *Voluntati*, ſed Actualis determinatio voluntatis, aut Decretum determinandi *Voluntatem* ad hoc vel illud per motionem phyſicam cauſalem ei neceſſitatem imponeret. *Sol.*

Etſi à Deo determinetur *Voluntas*, eſſet tamen Naturâ ſuâ *Libera*. *1. Evaſ.*

Tum autem Deus adimeret voluntati omne Exercitium *Libertatis* quam dederat; Quæſtio enim eſt de *phyſica* Determinatione. *Sol.*

Voluntas eſt *Libera*, eo quod ſuppoſitâ Dei determinatione poteſt ſeipſam determinare. *2. Evaſ.*

Quod *phyſicè* determinatur, non eſt indeterminatum, & fruſtrà denuò determinaretur. Dein Potentia *Libera* poteſt agere vel non agere, ergò ſi *Voluntas* non poſſit agere antequàm præmoveatur ſive determinetur, nunquàm erit *Libera*; nam poſtquam determinata eſt non poteſt non agere. Addè quod ſi Deus præviâ iſtâ motione voluntatem *Sol.*

tem ſemper excitet, haud aſſequi poſſumus quâ Deus (quod abſit) inter cauſas peccati non ſit cenſendus; qui enim procurat efficacitèr ut aliquis peccet, haud innocens æſtimandus eſt.

Evaſ. Tritum eſt, Deus determinat *Voluntatem* ad Materiale Actionis, non ad Formale, ſive ad Malitiam.

Sol. 1. Malitia neceſſariò comitatur actiones quæ verſantur circa Objecta quædam particularia & quibuſdam circumſtantiis induta. *Ex. gr.* Deus mandavit *Adamo* ut abſtineret à Fructu Arboris Scientiæ boni & mali; ergò ſi ipſe excitâſſet ſive effeciſſet ut *Adamus* Legem ſuam violaret, ipſa entitas illius Actionis erat *Lege* vetita; Entitas, inquam, quatenus erat Actio talis ſpeciei.

Evaſ. Tum ipſa entitas Actionis poſſit eſſe mala.

Sol. 1. Entitas iſtius Actionis particularis & circumſtantiis iſtis veſtita habuit privationem debitæ Rectitudinis inſeparabiliter annexam.

2. Hæc opinio argueret Deum Crudelitatis, ſcil. minatam fuiſſe mortem ſi pomum appeteret, motione tamen irreſiſtibili inclinâſſe *voluntatem* illius ad pomum appetendum; dum non magis potuit *Adamus* ab appetendo abſtinere, quam potuit determinationi divinæ obluctari.

1. *Evaſ.* Actio vitioſa trahit turpitudinem ſuam à corruptione humanæ Naturæ, non à Deo.

Sol. Peccatum primum Hominis (ut & *Angelorum*) non duxit ortum ab aliquâ præexiſtente corruptione.

2. *Evaſ.* Deus immunis eſt à turpitudine ob integritatem finis illius qui eſt Gloriæ ſuæ illuſtratio.

Sol. 1. Deus ad juſtum finem juſtè procedit; ſed haud juſtum eſſet *Legem* homini præſcribere, quem impelleret ad eandem violandam.

2. Si *Adamus* peccaverit eo quod malam habuit intentionem, ex Adverſariorum Sententiâ, Deus fuiſſet illius Intentionis autor, quia eam excitavit.

Zuin-

Zuinglio tribuitur, quod aſſeruit Deum ideò non fuiſſe autorem peccati, quod ipſi Deo *Lex* nulla poſita eſt. 3. *Evaſ*

Etiamſi *Lex* illi non erat à *Superiori* impoſita, fuit tamen quaſi à ſuâ ipſius naturâ poſita; & *ſibi ipſi lex erat.* *Sol.*

Ad loca Scripturæ quæ Concurſum efficacem ad malum innuere videntur, Reſpondetur;

Deus interdum dicitur *excitare*, *imperare*, *facere*, latè & improprie loquendo, cùm ſolummodò *permittit*, & pravis cupiditatibus habenas laxat. Sic *commoviſſe* Davidem dicitur ad numerandum Populum; *præcepiſſe Shimei* ut *Davidi* malediceret; Dixiſſe Spiritui *Achabum* decepturo, *Vade & fac ità*; eodem tamen loquendi more quo immittere Canem in Leporem dicitur, qui funem laxaverit quo canis priùs cohiberetur. Afflictio *Jobi* Deo tribuitur, quamvis duntaxat Satanæ petenti facultatem *Jobum* vexandi aliquouſq; conceſſit, non in *Jobi* perniciem ſed probationem & exercitium.

Dicitur quoſdam excæcare & obdurare, non infundendo novam malitiam, aut priorem augendo, ſed permittendo ut in graviora peccata laberentur; nec tamen deſerit, niſi deſerentes. Non quenquam indurat ingerendo duritiem, ſed non impertiendo miſericordiam.

Filii *Eli* non audierunt, quia *voluit* Deus eos perdere: Exponi poteſt, *ideo voluit eos perdere.* Sic *Hoſ.* 9. 15. Omne malum iſtorum in Gilgal eſt, *nam ibi odi iſtos*, exponendum eſt, *idcircò odi iſtos.*

SECTIO II.

De Gubernatione Communi ſuperiore Sectione.

SPecialis eſt, quâ Creaturas Intelligentes, Angelos ſcil. & Homines, gubernat.

I. Angelos gubernavit, Legem Naturæ iis imprimendo, *Eligendi* & *Agendi libertatem* concedendo, permultos eorum Statum primævum deſerentes pœnis æternis adjudicando, cæteroſq; confirmando.

II. Hominum Gubernatio præcipuè à nobis conſideranda eſt, idq; tum ante, tum poſt Lapſum. Hæc Gubernatio ſe exeruit

Ante Lapſum, Naturæ Legem (quæ & fœdus Operum appellari ſolet) *Protoplaſtorum* animis imprimendo, *Eligendi* & *Agendi libertatem* iis indulgendo, in amœniſſimo *Edenis* Horto eos locando, mandata inſuper nonnulla particularia addendo de Sanctificatione Sabbati, de culturâ Paradiſi, de Conjugio, præcipuè verò de fructu Arboris Scientiæ *Boni* & *Mali* non comedendo. Quæ quidem mandatum de Fructu iſto ſubſecuta ſunt.

Tranſgreſſio illius mandati quæ vulgo Lapſus Adami, & primum Peccatum vocatur.
Triſtes Effectus illius Tranſgreſſionis, ſive Eventus inde obtingentes, nempe

Pec-

Peccatum tum *Originale*, tum *Actuale*,
Peccati Pœna.

Nunc ergò quædam diſtinctiùs paulo dicenda ſùnt, de

1. Fœdere Naturæ ſive Operùm, & Lege Naturæ.

2. Lapſu Adami.

3. Peccato Originali & Actuali.

4. Peccati Pœnâ.

De Fœdere Naturæ *ſive* Operum, *&* Lege Naturæ.

Placuit Benigniſſimo DEO non abſolutum exigere ab Hominibus Obſequium, ſed cum Promiſſionibus Legi ſuæ annexis, adeóq; vel explicitè vel implicitè pangendo fœdera, ut ex Electione agerent, & rationalem Cultum (cùm Ratione præditi ſint) illi præſtarent; In unoquoq; enim fœdere Conditionem ſive Reſtipulationem, certâ aliquâ Lege præſcripſit, ut quid ab iis requiſivit ad conſequenda Promiſſa clarius pateret. Pauca igitur de Fœdere & Lege hùc referenda ſunt.

Fœdus in genere denotat *obligationem Partium* certis utrinq; conditionibus contrahentium.

Non enim ſolùm inter æquales initur Fœdus; namq; Fœderis quoddam Genus eſt apud Juriſconſultos quod inæquale dicitur, nempe inter diſ-

pares autoritate; & hujuſmodi fœdera Deus cum Creaturis ſuis interdùm pangere dignatur; & quoniam in omni fœdere cum Creaturis Deus ſeſe obligat ad promiſſa ſua preſtanda ſub conditione obſequii ab iis reſtipulati, neceſſe eſt ut *Lex* aliqua obſequium illud indicans & præcipiens, aut explicitè aut ſaltem implicitè in omni fœdere Dei contineretur. Unde Fœdus operum, etiam Legem Operum ſive Legem Naturæ complectebatur, quâ Conditio ab hominibus Fœdere iſto reſtipulata, nimirum Obedientia *Voluntati* divinæ præceptive quando vel quomodocunq; revelandæ, præſcripta erat.

Promiſſum illud abſolutum de Animalibus non iterum diluvio perdendis, Iride obſignatum, non niſi latiori ſenſu fœdus vocatur, *Gen.* 9. Eò quod abſq; ſtipulatione pollicitum.

Species Fœderum.

Fœdera inter *Deum* & *Hominem* celebriora ſunt, Fœdus { *Operum*, *Gratiæ*.

Fœdus Operum (quod & Fœdus Naturæ, Fœdus ſive Lex Creationis, & Fœdus Legale appellatur) eſt quo Deus *vitam beatam* pollicebatur ſub Conditione *perfectæ Obedientiæ*, (quam Homo dum integer manſit præſtare poterat) divinæ *Voluntati* quomodocunq; *revelandæ*, *inobedientibus* verò *mortem* & *maledictionem* denunciabat.

Non quidem Fœdus hoc formalitèr pactum fuiſſe diſertè legimus in Scripturis, inde tamen illud haud dubiè colligimus; nam

1. Lex *moralis* per *Moſen* data, quoad præcepta moralia, remotis promiſſionibus, & abſolutè ſine reſpectu ad Chriſtum conſiderata, eſt quaſi *Legis Naturæ* Apographum, & ſub eâ notione opponitur *Promiſſioni*, ſive *Fœderi Gratiæ*, Gal. 3. 18. Si ex Lege *Hæreditas* tum non ex *promiſſione*, Rom. 4. 14, 15, &c.

15. &c. opponitur ſub notione Fœderationis diverſæ ſpeciei, quare neceſſe eſt ut tum *Lex* tum *Promiſſio* rationem *Fœderis* ſuſtineat. Dein quoniam hinc [*Omnimodam Obedientiam eſſe Creatori debitam*] non modo ex inſtitutione didicimus aut legimus, ſed ex ipſa Naturâ hauſimus & expreſſimus, illinc quoniam maximè *Bonitati divinæ* congruum & Deo dignum eſt [*Ipſum Beneficum eſſe ſibi obtemperantibus*] neceſſariò ſequitur *Fœdus hoc* non primum fuiſſe *poſitivè* pactum, ſed ipſius Naturæ vi & impetu agnitum, atq; non tantum primis Creaturarum notionibus, ſed quodammodo æternis *Boni* & *Mali* rationibus coævum eſſe.

Partium Conditiones in hoc *Fœdere* fuerunt à parte *Dei* perennis Fœlicitatis donatio, & à parte *Hominis* Obedientiæ Divinæ Voluntati Exhibitio. *Conditio.*

Ex parte *Dei*, *perennis fœlicitas* virtute hujus Fœderis homini obtigiſſet, ſi conditionem illius præſtitiſſet, *Gal.* 3. 21. *Lex ergo adverſus promiſſa? abſit.* Si data fuiſſet Lex quæ poſſet vivificare, verè ex Lege fuiſſet *Juſtitia.* Nullius Fœlicitati deeſſe voluit Deus, qui Fœderis conditionem (quam tum poterat) præſtaret. Non quidem potuit vivificare (ut ibi loquitur Apoſt.) non autem quod in ſe impar fuit huic Effectui, ſed per Fœderatorum culpam & defectum, nempe quia fœdifragi fuerunt, nec perfidiam expiare poterant, *Rom.* 8. 3. *Lex infirma erat per Carnem.* Homini integro vitam dare potuit, nec opus fuiſſet fœdere novo, ſi veteris conditio præſtita fuiſſet. Vetus autem cum per lapſum violatum erat, jus nullum ſupererat ad fœlicitatem promiſſam vi Fœderis expectandam. *Ex parte DEI.*

Legi ſive Fœderi non defuit Promiſſio, nec Promiſſioni Firmitas & Infallibilitas; ſed Fœderatis defuit Fidelitas ad conditionem illius implendam, quæ *Infirmitas Carnis* ab Apoſt. vocatur.

Ex parte Hominis. Ex parte *Hominis* Conditio hoc Fœdere reſtipulata, ipſa *Lege Naturæ* præſcripta erat, nempe Obedientia *Voluntati* divinæ exhibenda.

Lex Naturæ quæ Creaturis *irrationalibus* eſt concreata, *i. e.* inclinatio quâ ad fines præſtitutos, quos ignorant, feruntur, non propriè ſed metaphoricè *Lex* dicitur; quia non agunt ex *Conſilio* & *Electione*, ſed aguntur Inſtinctu quodam innato, & abſq; intentione propriâ quaſi abripiuntur. *Lex* autem *Naturæ* in *Hominibus* eſt Dictamen rationis illos communibus notionibus ad *Boni Maliq;* diſcretionem, informans, adeóq; ad facienda & fugienda obligans. De illâ *Divus Paulus*, Rom. 2. 14. *Gentes quæ non habent Legem* (vivâ voce vel ſcripto traditam) *Naturâ faciunt quæ Legis ſunt.*

Hæc cordibus Hominum in Creatione quaſi inſcripta erat, quamvis enim Anima Humana in recens natis ſit quaſi raſa tabula in quâ nihil *veri* aut *falſi*, *turpis* aut *honeſti* inſcriptum ſit, facultatem tamen habet in eâ ſitam qua Intellectus (quamprimum ratione uti poſſit) ab Objecto excitatus; prima principia, (ut prius hoc opere indicavimus) abſq; Præceptoris ope, ex ſe eliciat, habitualiter conſervet, aliaſq; notiones immediatè & neceſſariò inde ſequentes deducat, quæ non præſcripta, ſed in *nata Lex* dicatur, & ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus.

Hujus Fœderis Sigilla Duo Sacramenta *fuiſſe cenſentur*, *Arbor Vitæ*, *quæ Symbolum memoriale Immortalitatis erat*; *&* *Scientiæ Boni & Mali*, *quæ Symbolum erat* Probatorium *&* Monitorium *de cavendâ experimentali Scientiâ* Mali ac Boni.

SECTIO

Sectio III.

De Locatione Adami in Paradiſo, & Lapſu illius.

PRotoplaſtorum locationem in Paradiſo, & Infœlicem eorum Lapſum deſcripſit *Moſes*, Gen. 3. unde petenda eſt divinitùs revelata Hiſtoria.

Autorem Lapſûs illius externum fuiſſe *Diabolum* in Serpente, patet ex *Joan.* 8. 44. *Gen.* 3. 4, 5. 2 *Cor.* 11. 3. 1 *Tim.* 2. 14.

Efficiens interna erat ipſa Voluntas hominis Libera *Eccluſ.* 7. 29. *Hoc ſcio, Deum hominem creâſſe rectum, ſed ipſi adinvenerunt inventiones plurimas*, & Rom. 5. 12. *per unum hominem intravit peccatum*, &c.

In dubium vocatur quomodo Protoplaſti, ſancti & juſti cum fuerint, potuerint deficere. ***Dub.***

Non quòd Deus auxilio ad perſtandum neceſſariò eos deſtituerit, inde enim in peccando fuiſſent excuſabiles. Domus enim non poteſt non ruere cui columina ſubtrahuntur; & Deus non deſerit niſi ſe deſerentes. *Rom.* 1.24. *propterea tradidit illos in deſideria cordis ſui*, 2 Theſſ. 2. 11. Sed cum non immutabiliter ſancta & juſta fuerit eorum *Voluntas*, potuerunt, ſi vellent, Arbitrio ſuo abuti. ***Sol.***

Peccatum Protoplaſtorum (ità ſignantèr dictum) *ſuit voluntaria Tranſgreſſio Legis Divinæ de Fructu Arboris Scientiæ Boni & Mali non comedendo*, quâ ſeipſos & omnes poſteros in *Mortalitatem* præcipitârunt, *Rom.* 5. 12. *Gen.* 3.

Quum in illâ Tranſgreſſione plura peccata complicarentur, in Quæſtione poſitum eſt inter Sciolos, Quodnam eorum primum fuit.

Quidam *gulam* fuiſſe contendunt; Pontificii cum Scholaſticis *Superbiam* & *Divinitatis Affectationem*. Reformatorum pleriq; *Dubitationem* de Veritate Comminationis, unde orta eſt *Infidelitas*, & inſuper diſputant plurimi de Originatione illius *primi* Peccati, num ab Intellectu an Voluntate Originem habuerit.

Quidam ſtatuunt initium peccati illius fuiſſe in Errore Judicii, nec Voluntatem potuiſſe peccare, niſi præiviſſet Error in Intellectu, cui falſam Boni imaginem objecit Satan. Experientia verè docet, Intollectum ſæpè ad Erroneam Sententiam ferendam, allectum eſſe à Voluntate aut Affectibus; ideóq, alii initium peccati fuiſſe in Voluntate aſſerunt, quæ non imperabat Intellectui ut diligentiori curâ attenderet ad Præceptum Dei, & Comminationem adjunctam, unde fluctuatio orta eſt, quod maximè videtur rationi conſentaneum.

Fructus vetiti comeſtio fuit quidem Inſtantia, quâ primi parentes noſtri Naturæ fœdus violârunt; quo reſtipulatum erat Obſequium Voluntati Divinæ quandocunq; & quomodocunq; revelandæ. Erat autem peccatum (juxta Sententiam quorundam proximâ Sectione explicandam) *Perſonarum* delinquentium, non eorum quibuſcum fœdus iſtud ſpeciale de fructu vetito pactum non fuit. Atq; licet Effecta quædam illius Peccati omnes Adami poſteros dirè afficiunt, haud tamen aliter cum iis agit Deus, quam cum juxta ſecundum Decalogi præceptum Patrum peccata in Liberis ulciſcitur, *Exod.* 20. 5. ita nimirum ut quod Patribus pœna eſt, Poſteris, impiorum Patrum ſuorum *Veſtigia* non prementibus, communis eſt Calamitas.

Sectio

Sectio IV.

De Peccato Originali.

Quòd ſit Originalis Labes, affirmat S. Scriptura, *Gen.* 6. 5. *Pſ.* 51. 5. *Job* 14. 4. Teſtatur etiam Experientia. Ipſi Ethnici, *Cicero*, *Plato l.* 2. *de Rep.* aliiq; queſti ſunt de Obliquitate Naturæ humanæ; eandemq; quilibet mortalium in ſe deprehendit. *Quod ſit.*

Quid autem ſit, non levis eſt controverſia. *Quid ſit,*

Sententia *Flacii Illyrici*, Peccatum Originale eſſe ipſam Hominis Subſtantiam, jamdudum exploſa eſt. Deus enim Hominis Subſtantiæ Autor, non eſt Autor peccati. Et Subſtantia, quoniam toto genere differt ab Accidente; de peccato, quod Accidens eſt, prædicari nequit. *Sententiæ Variæ.*

Quid autem ſit Originale Peccatum clarius patebit ſi Partium diſſidentium Sententias & earum cujuſq; Rationes æquâ lance trutinemus.

Quæritur imprimis Utrum Peccatum Protoplaſtorum in Fructu vetito comedendo fuerit ſolummodo perſonale, an Reatus illius etiam Poſteris illorum imputetur ad mortem æternam. *Quæſt. de prim. pec. an Perſonale ſolumm.*

In contrarias Sententias diſtrahuntur, etiam qui à Pelagianiſmo longe abeunt. *Reſp.*

Quidam ſtatuunt Peccatum illud non fuiſſe ſolummodo Perſonale Protoplaſtorum, ſed totius Generis humani, omneſq; Poſteros Adami in eo tanquam Capite naturali & Seminali pœnas daturos, nec non vi fœderis in Capite ſuo Civili & Repræſentativo, peccâſſe, & Mortis Æternæ reos eſſe. *Sententia Prima.*

Quam

Quam ſententiam his Argumentis firmare conantur.

Arg. Rom. 5. 12. &c. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per Peccatum Mors, καὶ οὕτως in omnes Mors pertranſiit, ἐφ᾽ ᾧ omnes peccarunt.*

Reſp. 1. Mirè ſe torquent Interpretes, ut genuinum hujus periodi ſenſum eruant, qui remotis ſtrophis, ac fucis huc redit; *Sicut per unum hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum Mors, οὕτως καὶ ita etiam in omnes Mors tranſiit.* In hâc Verſione ſenſus invenitur apertus & perfectus; nec deſideratur redditio, aliudve ſupplementum, quod excogitare coguntur Adverſarii, licet haud congruè ſcio ab iis factum. Etenim ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, non verti debet *in quo*, acſi eſſet ἐν ᾧ, ſed *quoniam*, *eo quod*, *quatenùs*, aut aliquid ſimile; atque καὶ οὕτως verti poteſt *itâ etiam*, acſi legeretur οὕτως καὶ, quemadmodum *Luc.* 24. 24. 1 *Theſſ.* 4. 14. *Jac.* 2. 26. unde tota periodus erit quæ ſuprà. Eodem etiam redit, ſi cum *Lud. de Dieu* dicamus voculam καὶ eo loco abundare, more Hebræis uſitato.

2. Quidam reſpondent, in *Adamo* omnes peccârunt, ſive conſtituti erant Peccatores, quemadmodum *Juda* phraſin iſtam intellexit, *Gen.* 43. 9. *Si non reduxero, in te peccavero omnibus diebus*; & *Bathſheba* 1 Reg. 1. 21, *perinde tractabimur acſi ſcelus aliquod admiſerimus*, ita Poſteri Adami ob peccatum illius morti temporali & calamitatibus quibuſdam Externis, quaſi peccati pœnis facti erant obnoxii.

3. Etiamſi peccatores inde facti fuerint, non ſequitur quod iſtius primi peccati fuiſſent rei, ſed quod pravitate Naturæ corrupti, ad bonum inhabiles, & ad malum proclives evaſiſſent.

Inſt. *Et per peccatum Mors*] *unius delicto multi mortui ſunt*, v. 15. & Infantes moriuntur qui actualiter non peccârunt; ergo propter illud primum peccatum

tum mortales ſunt, juxta Comminationem *Morte morieris.*

Quidam reſpondent Delictum illud primum *mortem temporariam* introduxiſſe, non autem ſub ratione pœnæ ad Adami poſteros, ſed calamitatis, quam abſq; injuriâ potuit Deus pro arbitrio immittere. *Reſp.* 1.

Eſto quod Mors dicatur *ſtipendium peccati*, Rom. 6. ult. ea ſcil. quæ *vitæ æternæ* opponitur (ut Verba ſequentia innuunt, *Gratia autem Dei eſt vita æterna*) non tamen neceſſe eſt ut per mortem in Comminatione contra *Adamum* denunciatam intelligamus quicquid mortis appellatione hic & ubiq; in Scripturis ſignificatur. Nam *Morte morieris* ſæpe non aliud eſt quam *certo morieris*; ſic *Gen.* 26. 11. qui *tetigerit hunc hominem* aut *uxorem* ejus morte morietur; & 1 *Sam.* 14. 39. *etſi à filio* Jonath. *factum, morte morietur.* 2.

Mors quidem *Æterna* propter illud delictum debebatur *Adamo*, licet enim daretur Deum mortem ſolummodo corpoream minatum fuiſſe *Adamo*, mandato iſto ſpeciali, tranſgreſſio tamen illius mandati erat inſuper in *Protoplaſtis* tranſgreſſio Legis Naturæ, quæ obedientiam Voluntati divinæ quomodocunq; patefactæ ſub pœnâ perenni exigebat.

Si poſteris fuit pœna, Reatum ſupponit. *Inſt.*

Pœna erat *Adamo* propriè dicta; Poſteris autem Effectum Providentiæ Divinæ, quæ vitam quam dedit, quando & quâ ratione ſibi placuerit, repoſcit. Sic cum *Exod.* 20. 5. Patrum peccata in Liberis ulciſcitur, quod Patribus pœna eſt, Liberis non eſt niſi communis Calamitas. Adamus Mortales genuit, qui tales erant, non propter peccati imputationem, ſed Naturæ mortalis propagationem. *Sol.*

Rom. 5. 16. *Reatus eſt ex uno ad Condemnationem, Donum autem eſt ex multis delictis ad Juſtificationem.* *Inſt.*

Non

Reſp. Non dicit, *ad condemnationem Æternam*, ſed ad pœnam ſive Fructum Lapſûs, aut triſtem illius ſequelam. Comparatio enim inſtituitur inter Tranſitionem, hinc Effectûs peccati ab *Adamo* in Poſteros, illinc Juſtitiæ à Chriſto in Fideles, non inter naturam aut qualitatem Effectûs utriuſq;. Quarè licet tranſit quodammodo Influentia quædam ex uno delicto ad Univerſam *Adami* Sobolem, ſicut & Donum Chriſti ad multos Fideles, non tamen ſequitur, *Sequelam illius Tranſitionis eſſe Condemnationem ad Mortem Æternam*, eo quod hujus *Tranſitionis* ſequela ſit *Juſtificatio ad vitam Æternam.*

Inſt. *Mors regnavit ab Adamo ad Moſen, etiam in eos, qui non ad Similitudinem Adami peccàrunt*, v. 14. ſcil. actualitèr, ergo in Infantes, qui idcircò primi peccati fuerunt rei. Pœna enim locum non habet, ubi culpa non eſt.

Reſp. 1. Mors infantum non eſt pœna propriè dicta, ſed Naturæ Calamitas.

2. Infantes illâ clauſulâ non intelliguntur, aliàs Apoſt. dixiſſet *Mortem regnâſſe uſq; adhuc.* Mors enim & in Infantes & in Adultos adhùc regnat, dicit autem *Mortem regnâſſe ab Adamo ad Moſen* potius quam *ad Finem Mundi*, ut innueret Mortem perrexiſſe non tantum propter peccata graviſſima contra Legem *Manifeſtam*, perpetrata, qualia fuerunt tum illud *Adami* contrà *Expreſſum Mandatum*, & dum *Libertate* adhuc Integrâ fruebatur, tum illa poſt Legem per *Moſen datam*, quæ *apertam & explicatam* æqui & iniqui *Normam* exhibuit, ſed propter peccatum, quâ tale, quamvis contra cæcutientis Naturæ Lumen duntaxat admiſſum; ità enim peccâſſe videntur, qui ab *Adamo* ad *Moſen* extiterunt.

Sententia ſecunda. *Alii ſtatuunt Peccatum illud Protoplaſtorum Perſonale tantum fuiſſe, atq; Poſteris eorum non imputari ad mortem Æternam*, hujuſmodi freti Argumentis.

Pec-

Peccatum illud Deus Protoplaſtis remiſit. Patre autem reo in Gratiam acceptato; abſit, ut Deum clementiſſimum arbitremur, Liberos innocentes, aut in Patris rebellionem non conſentientes, ſuppliciis, iiſq; graviſſimis, afficere. *Arg.* 1.

In *Adamo* peccante repræſentati fuerunt illius poſteri; quemadmodum *Levi* in *Abrahamo* decimatus erat, *Heb.* 7. 9. ita Poſteri *Adami* in eo peccârunt. *Obj.*

Eodem modo erant in *Adamo reſipiſcente*, & *Promiſſum* Redemptoris acceptante, quo *Levi* in *Abrahamo*. Nulla autem ratio eſt, quare in odioſis potius quam in gratioſis locum haberet imputatio. *Sol.*

Liberi non tenentur ad debita Parentum ſolvenda, ſi Hæreditati renunciaverint; ergo nec ad Fœdus parentum obſervandum. Non Poſteris datum videtur Præceptum illud de Fructu vetito. Mortem quidem Deus minatus eſt protoplaſtis, ſi fructum iſtum attingerent, ſed non dicit, *Imputabo peccatum veſtrum poſteris ad damnationem ſive mortem æternam.* 2.

Quando Apoſt. dicit *Levi* decimatum fuiſſe in *Abrahamo*, agnoſcit locutionem impropriam eſſe [ut ita loquar,] ergo hoc tantum inde ſequitur; Nos per tropum dici poſſumus peccare: tropicum autem peccatum, & ab aliâ perſonâ commiſſum, non mereri videtur pœnam propriè dictam. 3.

Diſertè aſſerit quod *Anima quæ peccat, morietur*, & *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezek. 18. 20. & laudatur Rex *Amazia*, 2 Chron. 25. 4. *Arg.* 2.

quod

quod nollet liberos parentum crimen luere, idq; juxta præceptum Legis Divinæ, *Deut.* 24. 16.

Excep. Peccata mere perſonalia non in poſteris plectenda ſunt, hoc autem fuit Naturæ commune, ergo tum Patris tum Liberorum proprium.

Reſp. Quamvis ipſa Natura parentum, & adjuncta quædam propria cum Naturâ parentum Liberis communicentur, unde morbi quidam hæreditarii, (& quouſq; Labes *Originalis* mox patebit) *Actiones* tamen, earumq; reatus aut innocentia ſunt Suppoſitorum & Perſonarum ſolummodo; ideoq; *Adami* Tranſgreſſio non magis poſteritati quam illius Reſipiſcentia communicabilis erat. Poſteros teneri ne Pater prævaricaretur, palàm refragatur & reclamat ratio, nec ullibi aſſerit Scriptura. Præcepto ſecundo legimus Deum peccata parentum in Liberis vindicaturum, ſed non niſi impiorum Parentum veſtigia premerent, & ad tertiam aut quartam Generationem, non ab Exordio Mundi in Sæcula Sæculorum. Non obfuit *Hezekiæ* impietas *Achazi*, aut *Joſiæ Ammonis.*

Si quando filii adhuc teneri iiſdem cum Parentibus involvuntur calamitatibus, id non factum eſt ad vindictam de Infantibus ſumendam, ſed ipſi Patres in tenerrimâ ſui parte percutiuntur.

Arg. 3. Si *Abrahamus* credidiſſet Deum ob *Adami* peccatum maximam humani Generis partem æternis ſuppliciis adjudicâſſe, non dixiſſet, *Abſit à te ut occidas juſtum cum impiis, numquid Judex univerſi quod juſtum eſt non faciet?* Nec *Moſes* & *Aaron* reclamâſſent, *Unuſne homo peccaverit, & adeò graviter in univerſum cœtum irraſceris?*

Obj. Si Protoplaſti non peccâſſent, promiſſa Fœlicitatis perennitas ad Poſteros eorum tranſiiſſet;

iſſet; ergo æquum erat, ut iis peccantibus ſupplicium denunciatum etiam poſteros afficeret.

Non conſtat fœdus illud Speciale de Fructu vetito tum poſteris *Adami* pactum fuiſſe, aut ſaltem illos pœnas daturos, qui non propriis perſonis peccaverint. *Sol.*

Fœlicitatis perennitatem retributurus erat beniſſimus Deus homini integro virtute fœderis *Naturæ*, cujus tenore certiores facti ſumus Deum nihil mali Creaturis innocentibus illaturum fuiſſe; ſed contra, eximiâ fœlicitate illos remuneraturum.

Quùm igitur Peccatum Originale non ſit primi peccati Imputatio, reſtat ut ſit Carentia Juſtitiæ Originalis, ſive Hæreditaria depravatio ab Adami peccato orta, quâ Poſteri illius à Bono averſi & ad malum propenſi naſcuntur, Gen. 6. 5. Pſ. 51. 5. Joan. 3. 6.

Per Juſtitiam Originalem intelligenda eſt Innocentia, & ſtatûs Integritas, non omnigena (ut à multis creditur) ſcil. Virtutum Intellectualium moraliumq; perfectio, ultra quam nihil addi paterentur Limites humanæ Naturæ; tum enim *Evah* non ignoràſſet Serpentem loquendi & ratiocinandi facultate caruiſſe, nec cum Cherubino (cujus venuſtam ſpeciem ante lapſum Serpentem retuliſſe ferunt nonnulli) ſe collocutam eſſe, auditis illius horrendis in Deum ſuum Benigniſſimum Opprobriis, exiſtimâſſet. Nec facilè adeò *Adamus* Uxori ſuæ potius quam Deo auſcultâſſet, ſi eximiis iſtis tum Sapientiæ tum Juſtitiæ dotibus ornati fuiſſent. Nihil intereà iis defuit quod ad Integritatem imò ad Perfectionem ſtatûs ſui requirebatur. Omnia nimirum habuerunt quæ ipſis ad Deum colendum,

lendum, & ſeſe in gratia illius conſervandos erant neceſſaria. Atq; hæc Juſtitia rectè dici poteſt Debita ineſſe, quia Lege, Omni Creaturæ rationali inditâ, præſcripta eſt. Num autem Omnes Damnationi æternæ ſint obnoxii, quod eâ jam careant, mox inquirendum eſt.

Quæſt. Quæritur, *Num Pravitas humanæ Naturæ per Imitationem ſolummodò derivetur, ut docuerunt* Pelagiani *&* Sociniani; *an ab* Adamo *propagetur?*

Reſp. Parvuli non tantum Exemplo peccant, ſed peccatores naſcuntur (quo ſenſu poſthâc dicetur) *Job* 14. 4. *Pſ.* 51. 5.

Infantibus peccati quaſi ſemina ineſſe videntur, quòd quandoq; mordent, unguibus lancinant, aliaq; produnt malitiæ indicia.

Excep. A propioribus parentibus derivari malitiam iſtam probabilius videtur, quam ab *Adamo.*

Reſp. Ab *Adamo* habent quod in vitium proclives, à propioribus forſan quod in hoc vel illud vitii genus procliviores.

Obj. Non derivatur per animam, hæc enim creatur pura; non per corpus, hoc enim non eſt Subjectum peccati capax; & haud juſtum videtur Animam innocentem corpori à bono averſo & ad malum proclivi adjudicare.

Sol. 1. Quidam reſpondent, quod non oportet Deum opus à ſe inſtitutum omittere aut aliter efformare, quòd Homo dictum opus Dei vitio ſuo infecit.

Seminibus vim incrementi non negat, etiamſi furto acquiſitis, nec vice verſâ morbi contagioſi tranſitum in Poſteros contra communem Naturæ Ordinem præcludere tenebatur, quem culpa parentum fecerat hæreditarium.

2. Corporis temperamentum non neceſſitat ad peccatum, Si vero iſtiuſmodi ſit, ut ſtatus Animæ ab eo evertatur (quemadmodum in mente captis) quæ

inde

inde ſequuntur, etiam quæ ante omnem uſum Rationis fiunt (ut ab Infantibus) quamvis peccati materiam habeant; imputari tamen ad condemnationem aliorum ſit Judicium.

Utrum Pravitas originalis ſit Peccatum propriè dictum, & morte æterna plectendum, niſi propter Chriſtum remittatur; an ſolummodò morbus Naturæ & communis Generis Humani calamitas? Quæſt.

Quidam aſſerunt pravitatem iſtam eſſe peccatum proprè dictum. *Sent.* 1.

1. Pſ. 15. 5. *In iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea.*

2. Gen. 6. 5. *Omnis cogitatio cordis hominum propenſa eſt ad malum omni tempore.*

3. Eph. 2. 3. *Omnes ſunt naturâ filii iræ.*

4. Job 14. 4. *Quis dabit mundum ex immundo? ne unus.*

5. Joh. 3. 6. *Ex carne caro eſt, & ut regeneretur oportet.*

6. Rom. 7. 17. 21. *Paulus* agnoſcit *hoc peccatum in ſe inhabitans.*

7. 1 John 3. 4. Eſt *ἀνομία,* & *Legi divinæ repugnat.*

8. Circumciſio Infantum ad actualia peccata nondum aptorum inſtituta erat, ut ſimul ſignum & remedium eſſet Corruptionis Originalis.

9. Infantes moriuntur, at Mors eſt ſtipendium peccati; imò Mors quæ vitæ æternæ opponitur, *Rom.* 6. *ult.* Eſt ergo hæc pravitas Naturæ peccatum morte æternâ plectendum, niſi per & propter Chriſtum remittatur.

Sent. 2. Alii *Pravitatem Naturæ ab Adamo jàm corrupto ad Poſteros deſcendiſſe fatentur, non cum reatu culpæ ac ſi eſſet peccatum propriè dictum, ſed ad eundem modum, quo Lepra, aliiq; morbi hæreditarii à Parentibus ad Liberos derivantur. Hinc illud* Gregorii, *In* Adamo *tanquam in radice totum Genus humanum computruît.* Quod quidem Lemma facilius defendi poteſt quam illud alterius cujuſdam, *Omnes in* Adamo *peccàrunt, quia omnes unus ille fuerunt.* Quamvis enim non conſtat *Adamum* fuiſſe Caput repræſentativum Generis humani, ſive totam illius poſteritatem ſimul obſtringi fœdere de abſtinendo ab Arbore Scientiæ *Boni* & *Mali*, unde omnes cum eo ſtarent caderentve, erat nihilominus *Radix* & *Seminale Principium* Generis Humani; ideoq; *Naturæ illius conditio toti poſteritati* erat communicabilis, etiamſi reatus *Actionum* ejus *voluntariarum* illi ſolummodo exitialis, aliis vero, quoad pœnas æternas, nocere non potuit. Hinc *Adamus* Mortalis mortales genuit, imò pravus pravos. Delictorum autem Perſonalium reatus non tranſmittebatur, uti aſſerunt hujus Sententiæ Patroni, quam his præcipuè rationibus propugnant.

Arg. 1. Deus nuſquam *pravitatem* iſtam Originalem prohibuit, nec potuit illa prohiberi. Cui enim proponeretur iſtiuſmodi Lex? num Embryoni? potuitne hominibus notificari antequàm naſcerentur, ut ſibi caverent?

Omne

Omne peccatum propriè ſic dictum eſt voluntarium, voluntas enim eſt inter Principia Moralium Actionum. 2.

Peccatum non æſtimandum eſt ex hominum Voluntate, ſed ex Lege Dei, cui quicquid repugnat eſt peccatum, quia ἀνομία. *Excep.* 1.

Nulla Lege prohibebatur, neq; prohiberi potuit, ut ſupra dictum eſt. *Sol.*

Peccata incogitantiæ non ſunt voluntaria; peccata tamen. *Excep.* 2.

Sunt *Voluntaria* ſi Ignorantia, aut incogitatio vitari potuit, aliàs non ſunt peccata. *Sol.*

Rom. 7. 19. *Non facio bonum quod volo, ſed malum quod nolo hoc ago*; ergò voluntarium non eſt de ratione Peccati. *Excep.* 3.

1. Etiam hinc apparet Cognitionem, ideoq; Volitionem, eſſe de Eſſentiâ peccati, quod enim aliquis vult, aut actu non vult, ſive à quo abhorret neceſſe eſt ut id cognoſcat; Ignoti enim nulla cupido, nulla fuga. *Sol.*

2. Apoſtolus non dicit ſe agere contra Voluntatem, quam tunc habuit, cum ſe ad agendum accingeret, ſed deflet Voluntatis ſuæ inconſtantiam; quod cum ſtatuiſſet Bonum facere, poſteà mutatâ Sententiâ contrarium agat, illicebris peccati ineſcatus.

Labes iſta Originalis eſt *Voluntaria.* *Excep.* 4.

respectu
1. *Stirpis*, i. e. *Adæ*, Perſonam Poſterorum ſuſtentantis, qui voluntariè tum pro ſeipſo, tum pro illis peccavit.
Sol. Non magis perſonam poſterorum ſuſtinuit peccans quam reſipiſcens, ut priùs indicavimus; abſurdè porrò dicitur eum pro poſteris voluntariè peccâſſe. Voluntas enim ejus non potuit eſſe Voluntas eorum, qui conſentire non poterant.
2. *Subjecti proprii*, i. e. *voluntatis*, quæ ad peccandum proclivis eſt, etiam in Infantibus.

Sol. Proclivitas iſta in Infantibus oritur à temperamento Corporis, quod tanquam Naturæ morbus derivari non negatur; ſic *Bilioſi* ad iram propenſi, *Sanguinei* ad Libidinem, *&c.* Nec Deum actualitèr offendit iſta propenſio quamdiù ad eam conſenſus non accedit; virtutem interim illuſtriorem reddit, ſi ei generoſè reſiſtatur, à primis motibus non planè immunes fuiſſe videntur protoplaſti ante Lapſum; per eos ad peccandum ſollicitabantur.

Arg. 3. Scriptura teſtatur, nullam Infantibus ineſſe corruptionem quæ ipſos Deo exoſos reddat. Illos ignorâſſe diſcrimen inter Bonum & Malum *Deut.* 1. 39. Sanguinem ipſorum eſſe innocentem, *Pſ.* 106. 38. *Jacobum* & *Eſaum* nil *boni* aut *mali* feciſſe in utero, *Rom.* 9. 11.

Exceptio quâ hæc de actuali peccato intelligi poſſint, non valet niſi priùs conſtet alia eſſe peccata quam actualia.

Arg. reſpondetur. *Ad Argumenta quibus præcedens Sententia confirmatur, reſpondent*

Ad

Ad Primum *Pſ.* 51. 5. *in Iniquitate formatus ſum*, &c. *Ad Prim.*

Reſp. 1. David non dicit hoc eſſe peccatum propriè dictum, quod hominem reddat æternis cruciatibus obnoxium.

2. Hyperbolicè ſubinde loqui ſolent Hebræi; ſic *Iſa.* 48. 8. *Iſraelitæ peccatores ab utero*, Joan. 9. 34. *In peccatis natus es totus, & edoces nos?* Pſ. 58. 3. *Abalienârunt ſe improbi inde ab utero*, &c. quibus locis non agitur de peccato toti Generi humano communi.

Alii etiam dicuntur ab utero fuiſſe miſericordes, & in Deum fiduciam ſuam collocâſſe, *Job* 31. 18. *Pſ.* 22. 10. *ſuper te recubui ab utero.* Pſ. 71. 5. *Num cum juſtitiâ Originali nati erant?*

Ad Secundum *Gen.* 6. 5. *Omnis cogitatio cordis propenſa eſt ad malum.* *Ad Secun.*

Reſp. Non ibi agitur de humano genere abſq; exceptione (*Noah* melioris erat indolis) ſed de atrocibus delictis ex quo Filii Dei Uxores duxerant filias hominum, antea Caini poſteritas, nunc etiam Sethi, corrupta erat, & quod dicitur omni tempore, Vitam hominis totam reſpicit.

Ad Tertium *Eph.* 2 3. *Omnes dicuntur naturâ filii iræ.* *Ad Tert.*

Reſp. Ἦμεν, *eramus*. Apoſt. loquitur de ſtatu præterito qui per converſionem ad Chriſtianiſmum in melius mutatus erat. *Eramus*, ait, non *ſumus*, dicit etiam eos quos alloquitur *ambulâſſe*, ergò de actualibus peccatis locutus eſt,

Inſt. *Naturâ* inquit *eramus*, i. e. *tales nati eramus.*
Sol. Potius [*Vere*] reddi debet, ſic *Gal.* 4. 8. *Serviebatis iis qui Natura*, i. e. *vere*, *Dii non ſunt.*

Ad Quart. Ad Quartum *Job* 14. 4. *Quis dabit mundum ex immundo? ne unus.*

Intelligi poteſt vilitas humanæ naturæ reſpectu Dei, ſic *Job* 15. 15. *Sanctis ſeu Angelis non credet, & Cæli ſeu Cœlicolæ non mundi ſunt oculis ſuis.* Non eos accuſat peccati, ſed aſſerit eos longe Deo puritate inferiores eſſe.

Ad Quint. Ad Quintum *Joan.* 3. 6. *quod ex Carne Caro eſt, & ut regeneretur oportet.*

Caro dicitur quicquid adverſatur Spiritui, quæ adverſatio non carnali Nativitati tribuenda eſt neceſſariò, ſed pravæ aſſuetudini, & de hàc potiùs quam de illâ locus intelligendus; loquitur enim *Nicodemus* de regeneratione Senis, non recens Nati. Quomodo renaſci poteſt qui Senex?

Ad Sext. Ad Sextum *Rom.* 7. 17. S. *Paulus* agnoſcit peccatum in ſe habitans.

Melius refertur ad peccati *Habitum* crebris actionibus acquiſitum, & in actus prodeuntem; loquitur enim de peccato quod ex mandato occaſionem arripuit operandi omnem concupiſcentiam.

Ad Sept. 1 *Job.* 3. 4. Eſt ἀνομία.

1. Locus iſte non intelligendus eſt de difformitate *Habitus* cujuſdam innati à Lege Dei, ſed de difformitate *actionum*, ut ex antecedentibus & conſequentibus cuiquam pateat. *Quiſquis facit peccatum*, ſive dat operam peccato, *facit quod diſcrepat à lege*,

à lege, & v. 6. *Quiſquis in eo manet non peccat.* Imo non Actio *Simplex*, ſed Actio cum *Studio* & *Voluntate* conjuncta, eo loco indicatur.

Lex conſiderari poteſt vel quâ Norma merè *directiva*, boni maliq; naturam indicans in communi; vel quâ præceptio *autoritativa* certos quoſdam ad facienda vel fugienda obligans; & quamvis prava diſpoſitio innata, ſit *ἀνομία*, i. e. rectæ rationi ſive *Legi Homini integro latæ difformis*, non tamen *Legi ulli Obligativæ*, cui tenetur in Statu *lapſo*, eo quod nullà Lege (uti aiunt plurimi qui in hic ſunt Sententiâ) prohibetur, nec prohiberi potuit, niſi hominibus notificari potuiſſet illa Lex, antequam naſcerentur. 2.

Ad Octavum. *Circumciſio* Infantum inſtituta erat, ut ſimul ſignum & remedium eſſet corruptionis Originalis. Non hoc innuit Scriptura, ſed ut Poſteri *Abrahami* diſtinguerentur ab aliis gentibus. *Ad Octav.*

Aliud Ritu iſto Deum propoſuiſſe colligitur ex hujuſmodi locutionibus; *Circumcidite præputium cordis veſtri*; *Circumcidet Deus cor tuum, & Seminis tui*, Deut. 30. 6. Jer. 4. 4. Col. 2. 11. *Inſt.*

Eſt locutio figurata & alluſiva; & voces iſtæ *Cicumcidendi*, &c. ad tropicam Significationem, & vitiorum amputationem propter rerum affinitatem transferuntur. Num *Mares* labe *Originali* polluti ſunt, & non *Fœminæ*? Et num Infantes, qui ante octavum Diem obierunt ob carentiam iſtius remedii damnati erant? *Sol.*

Ad Nonum. *Infantes moriuntur*, & *Mors eſt ſtipendium peccati*; etiam *Mors quæ vitæ æternæ* opponitur, *Rom.* 6. ult. *Ad Nonum.*

Moriuntur ob materiæ fragilitatem cui corpus (ab *Adamo*, poſt lapſum, mortali derivatum) ob-

noxium eſt. *Apoſt.* quidem loco citato non loquitur de morte ſolâ naturali, ſed æternâ; quæ ſive primâ comminatione deſignata erat *Adamo*, ſive non, haud neceſſe eſt ut quicquid iſtic & ubiq; in Scripturis Mortis nomine ſignificatur, morti Infantum applicetur.

His addi poſſunt & aliæ quædam rationes dubitandi.

Obj. Quare baptizantur Infantes niſi ut abluatur peccatum hoc Originale?

Sol. Baptiſmus obſignat fœdus tempore adminiſtrationis, non autem omnem fœderis Gratiam tunc Temporis confert neceſſarió.

Inſt. Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit aquâ & Spiritu non intrabit in Regnum Dei.*

Sol. 1. Aquâ illâ, quæ eſt Spiritus, eadem Gratia duabus vocibus exprimitur.

Vide etiam quæ prope finem Sent. primæ. Aqua illa de quâ, *Iſa.* 44. 3. *Effundam aquam ſuper ſitientem; Effundam Spiritum ſuper omnem carnem*, Ezek. 36. 25. *aſpergam vos aquâ mundâ* —— *& Spiritum novum indam.*

Obj. Lege cautum erat ut Mulier puerpera Sacrificium pro peccato afferat ut purificaretur, *Levit.* 12.

Sol. 1. Immundities iſta phyſica, figuratè vocatur peccatum; quia Puerpera ab eâ ſe purificare tenebatur, antequam templum ingrederetur.

2. Sacrificium etiam offerebat qui peccaverat ſuper mortuo, *Numb.* 6.

Sent. 3. Aliorum etiam Sententia eſt, *Pravitatem Originalem ab Adamo in progeniem illius naturalem derivari, nec non rationem peccati quodammodo habere, ſed nullam inde infantibus propter Chriſtum in pravitatis iſtius pœnam, obtingere condemnationem.* Habitum enim * innatum abſolutè ſumptum, ſive antequam motus ullos voluntarios ediderit, non

* *Quamvis innatus, dicitur tamen Habitus, quia Naturæ ſuperinducitur.*

inter

inter mores hominis numerandum eſſe arbitrantur.

Habitus pravus acquiſitus quin peccatum ſit, cum ratione negari non poteſt, non enim niſi pravis actibus acquiritur, attamen Habitus innatus, quamdiu vim nullam exeruit in ordine ad voluntatis aſſenſum alliciendum, haud propriè dictum alicujus peccatum eſſe, concedent magni nominis Theologi, imo primos motus, peccata eſſe, negant, multo minus Habitum innatum antequam motus iſtos emiſerit ejus cui inhærent peccatum eſſe cenſent, niſi laxiori quodam loquendi genere, quamvis Habitus ille *in ſe* naturam habeat peccati, (ut Remonſtrantibus Pag. præcedente objicitur) ſit ἀνομία, & ſpeciatim Legi Naturæ, quæ Naturæ rectitudinem pariter ac operum poſtulat, adverſetur.

Antonius Walæus, Epiſt. ad *Hen. Flocken.* queſtus eſt, nonnullos ſtatuiſſe Peccatum Originale per Chriſti mortem quoad reatum omnibus eſſe remiſſum, etiam iis qui de Chriſto nihil audiverunt.

Hoc dicit eſſe Scripturæ contrarium, quæ nullam peccatorum Remiſſionem nôrit, niſi per Fidem in Chriſtum; *nam qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvabitur, qui vero non crediderit condemnabitur.* *Obj.* 1.

Neque Infantes Infidelium arbitratur æquare in privilegiis infantes eorum qui ſub fœdere Dei ſunt. 2.

Quoniam Scriptura teſtatur omnes homines naturâ eſſe filios iræ, *Eph.* 2. 5. 3.

Et Infidelium Liberos eſſe impuros, quum fidelium Liberi ſint Sancti. 4.

Addit, tum Reatum primi peccati tum corruptionem Naturæ in omnes poſteros *Adami* tranſiiſſe, extra Controverſiam eſſe apud omnes qui à *Pelagianiſmo* alieni ſunt. 5.

Sed

Reſ. Sed hiſce reſponderi poteſt, Quod

Ad Prim. Scripturæ traditæ erant, ut ſint norma fidei & morum Adultis, & iis qui in Eccleſiâ degunt; non ut nos certos reddant de ſtatu futuro eorum qui extrà ſunt. Perpauca admodùm referuntur de ſalute alióve Infantum ſtatu, multo minus de Infantum quorumlibet æternâ damnatione.

Ad Secun. Si Chriſtus mortuus ſit pro omnibus, quidni *Ethnicorum* Infantes æq; ac aliorum capaces ſint Salutis per mortem Chriſti, dum per reatum ſeu peccatum perſonale jus ſuum ad mortis Chriſti beneficia non amiſerint, quamvis quoad alia privilegia Infantibus Fidelium non æquiparentur.

Ad Ter. Ad locum *Eph.* 2. 5. ſuprà reſponſum vide.

Ad Quart. In Scripturis Liberi Infidelium impuri dicuntur, reſpectu Fœderis externi; ſed in Quæſtione eſt, num eâ impuritate inquinati ſint, quæ præcludit iis Regnum Cœlorum.

Ad Quin. *Pelagii* Hæretica doctrina erat, *Vires naturæ abſq; ulteriori Gratiâ ſufficere ad Salutem.* Non hanc tuentur, qui pravitatem Originalem tanquam morbum & languorem Naturæ (*in ſe mortiferum niſi Gratiâ Chriſti præveniatur*) ab *Adamo* ad Poſteros tranſiiſſe agnoſcunt & deplorant.

Hinc, ſi quæratur, Utrum *Originalis depravatio ſit peccatum propriè dictum*, ſive *quo ſenſu peccati nomine inſigniendum*; Reſpondent hujus Sententiæ propugnatores, *figuratè*, & allegant *Auguſt. Retract.* l. 1. c. 15. Hoc peccatum de quo locutus eſt Apoſt. *Rom.* 7. *Ideò peccatum vocatur, quod à* pec-

peccato eſt, & pœna peccati(his addi poteſt, quod ſit fomes peccati, & ut plurimum *cauſa*, *radix*, & *origo peccati*;) licet contra *Julian.* l. 5. c. 3. aſſerat eſſe *propriè* & *verè peccatum*, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis.

Habet in ſe rationem peccati, ut in *Artic.* 9. Eccleſiæ *Anglic.* docetur, nimirum ſicut Habitus pravus innatus, qui utut in ſe venenoſus, nondum venenum ſuum in Infantibus effudit, aut voluntatis conſenſum allexit; aptus quidem natus, ut fomes & cauſa ſit peccati, ſed nondum actuoſus, aut damnationem mereri cenſendus, dum nec mentem in Errorem, nec Voluntatem in malum aliquod propendere ſollicitavit; aliàs non negant hujus Sententiæ Autores, *Pravitatem Originalem Iram Dei & Damnationem mereri*, *cum concupiſcit*, *& adverſus Spiritum Sanctum luctatur*, quemadmodum in dicto Articulo Eccleſiæ *Anglican.* declaratur.

Docet etiam Eccleſia *Anglicana* in Catechiſmo ſuo, *Infantes* in *peccato naſci*, & *Naturâ filios eſſe iræ*, *factos autem filios Gratiæ per Baptiſmum*, & in præfatione ad Officium Baptizandi, *conceptos* & *natos eſſe in peccato*, *nec poſſe Regnum Cœlorum intrare niſi renati fuerint ex Aquâ & Spiritu.* **Obj.**

Qui in hâc ultimâ ſtant ſententiâ, in hunc modum locos iſtos interpretantur. *Infantes in peccato naſcuntur*, quippe *qui pravitate Originali naſcuntur* (quæ artic. Nono rationem peccati habere dicitur) maculati; (eo ſcil. ſenſu quo nuperrimè oſtendimus iſtum Articulum intelligi poſſe.) Dicuntur etiam Filii iræ, non quod reatus iſtius pravitatis, durante ſtatu infantili, ad iram imputetur, ſed quòd dum adoleſcunt, pravitas iſta per modum cauſæ proegumenæ mentem occœcando, & voluntatem quodammodo in conſenſum alliciendo, eos actu redderet filios iræ, niſi Gratia Spiritus **Sol.**

Sancti

Sancti contraluctantem iſtam pravitatem ſubigeret, & per media Evangelica eoſdem filios Gratiæ conſtitueret: Cavendum eſt nè dum infantes *Naturâ*, peccati proprie dicti reos & obnoxios iræ cenſeamus, ipſum Autorem *Naturæ*, *peccati* etiam autorem eſſe ſtatuamus. Denominantur *Filii iræ* reſpectu Principii illius pravi inhærentis, quod quamprimum ad Rationis uſum pervenerint principium eſſet *iræ divinæ* in iis productivum, niſi ſupprimeretur. *Filii* verò *Gratiæ* facti ſunt *Sacramentaliter* cum Redemptionis beneficia per *Baptiſmum* tanquam *Fœderis Sigillum* illis applicantur; *Actu* autem *Filii Gratiæ* fiunt, quando tum per ætatem capaces, tum per Gratiam idonei & parati ſint Spiritûs S. ductum ſequi, & auxilia cœlitùs exhibita velint (poſtquam per Gratiam poſſint) ſtudioſè amplecti, & iis, in luctâ Spirituali adverſus pravitatem ſuam nativam, vires ſuas conſociare: Gratia enim Spiritûs S. ſemper aderit eam non aſpernantibus, & porrectâ quaſi manu parata eſt eos in hæreditatem filiorum inducere, niſi per ipſos ſtet quo minus intrent eamq; poſſideant.

Obj. Docet eadem Eccleſia verbis Chriſti *Joan.* 3. 5. *non renatos aquâ & Spiritu non poſſe regnum cælorum ingredi*; *Filii* autem *iræ* reverâ ſunt qui non ſunt *Filii Regni.*

Sol. Sine Baptiſmo *Spiritûs* non quidem datur ingreſſus in Regnum Cœlorum; at multi ſine Baptiſmo aquæ *externo* cœlum intrârunt; quemadmodum non omnes olim qui ſine circumciſione obierunt ante diem octavum Cœlis excluſos arbitramur. quare per [*Aquam* & *Spiritum*] loco citato, *Aqua Spiritualis* intelligenda eſt ſive *Aqua quæ eſt Spiritus*.

Obj. Niſi Baptiſmus *Externus* per Aquam intelligatur, Tautologia eſſet in Textu.

Non.

Non. Sed duarum vocum una eſt alterius Expoſitio; particula καὶ hoc loco non eſt *diſcretiva* ſed *declarativa*; Aqua quæ eſt Spiritus ſimplicitèr neceſſaria eſt. *Amen, dicit Chriſtus,* &c. ſed multi Cœlum ingrediuntur ſine Aquâ Baptiſmi. **Sol.**

Deus, cum Infantibus ſine Baptiſmo morientibus, poteſt & proculdubio vult agere modo quodam extraordinario. Nihil autem vult extraordinarie quod jurat ſe nolle. *Amen.* &c. ergò aqua Baptiſmi non ibi intelligitur.

Utcunq; Baptiſmus Aquæ in Eccleſiâ medium inſtitutum ſit ad amovendam Labis Originalis malignitatem, ideoq; non libentèr omittendum, non tamen abſolutè neceſſarium æq; ac interna Probitas & Sanctimonia, quæ interdum modo nobis incognito, & non eo ipſo tempore quo *Sacramenta* miniſtrantur intus *efformantur*.

De Viribus Naturæ in Statu lapſo.

Num Vires Naturæ in Statu lapſo ante Gratiam Regenerationis valeant ad Converſionem Peccatoris, Bonum Spirituale, aut ad opera quæ divinæ Voluntati accuratè reſpondeant? **Quæſt.**

Negatur contra *Pelagianos*, neq; cum *Semi-Pelagianis* Vires iſtas ad *Velle* quod bonum eſt ſufficere ſtatuimus, neq; adhuc cum Sectis ſequioribus cenſemus *Externum* Evangelii præconium, aut *internam* ſolummodo mentis Illuminationem (ac ſi *Voluntas* interno & efficaci auxilio non indigeret) ſufficere ad Converſionem ſalutarem. **Reſp.**

Quamvis enim *Voluntas* in Converſione tanquam Libera facultas quemlibet actum ſuum elicit; eſt tamen ex Gratiâ præveniente (ſive pravos affectus reprimente, ſive vires naturales corroborante, aliove occulto & modo nobis incog-

nito) quod adjuvetur; ut *Velle poſſit*; & ex Gratiâ ſubſequente, quod poſteà porro *vellit & perficiat quod ad Salutem* expedit. Unde ſi quæratur,

Quæſt. *An voluntas habeat ſe activè an paſſivè* in *primo Converſionis Actu* (ut inquirere ſolent qui materiam hanc diligentius rimantur) Reſpondere licet.

Reſp. Merè *paſſivè* reſpectu *Gratiæ convertentis, illamq; aptam reddentis ad volitionem debitam eliciendam*; & tum *paſſivè* tum *activè* reſpectu *Volitionis* ipſius *Elicitæ*, adeò ut, dum liberè volumus & agimus, meritò agnoſcimus cum Apoſt. *Phil.* 2. 13. *Deum eſſe qui operatur & velle & perficere pro ſuo beneplacito.*

Impotentiam Naturæ ad Bonum ſpirituale teſtantur Scripturæ, *Gen.* 6. 5. *Omne figmentum cordis humani nunquam non malum eſſe.* Pſ. 14. 3. *Non unum eſſe qui faciat quod bonum eſt*; & Pſ. 51. *Cor novum creandum eſt.* 2 Cor. 3. 5. *Non ſufficientes ſumus à nobis ipſis aliquid cogitare.*

Obj. Deus præcipit hominibus lapſis, ut ſeſe *ad ipſum convertant*, Ezek. 18. 31. & ut *præſtent pietatis officia*; fruſtrà autem dantur præcepta mortuis, ſtipitibus, &c.

Sol. Adjuti & excitati Gratia hæc peragimus, quæ abſq; illius auxilio ſunt impoſſibilia; nec ſine nobis, *ipſe* operatur omnia, ſed quod in nobis eſt facientibus non deerit ſubvenire, nec prævenire deerit quamdiu ductum illius ſequi non deſiſtimus.

Obj. Si homo *Lapſus* nullam habet potentiam ad bona opera, tum peccat neceſſariò, & ſi neceſſariò, non eſt pœnâ dignus.

Sol. Quamvis peccet neceſſariò quoad Eventum, peccat tamen liberè quoad Principium; puniendus etiam juſtè non tam quia *neceſſitatem hanc ſibi contraxit*, quàm quia *Gratiam ad converſionem ſufficientem reſpuit.* Qui

Qui Naturâ determinatur ad malum, non liberè agit, ſed homo lapſus dicitur ad malum determinari, & nihil boni poſſe. *Obj.*

In genere ad malum determinatur, non ad *Singulas* actiones malas. *Sol.*

Opera quædam *Heroica*, quamvis *Civilia* tantum, fuerunt *Deo grata*, & ab eo quandoq; remunerata; ut *Liberatio* populi è *Captivitate*, & *Cyri* Edictum de *Templo re-ædificando*, *Obſtetricum Ægyptiacarum pietas*, *Ninevitarum pœnitentia*; his adde bona Opera *Ethnicorum* quorundam, ut, *Ariſtidis Juſtitiam*, &c. *Actus externos Cultûs divini*, *Auditionem* & *Lectionem Verbi*, *Orationes ardentes*, *Jejunia*, &c. *Obj.*

Homines tantum minùs malos reddunt, & quandoq; remunerantur, ſed præmio temporali. *Sol.* 1.

Non bona fuerunt, quoad fontem & finem. Non ex fide & Dilectione Dei profecta fuerunt, nec ad honorem Dei unicè directa. 2.

Opera iſtiuſmodi ſunt defectiva, & defectus eorum non niſi propter Chriſtum remittendi. 3.

Multi rectè credunt (quamvis carnis operibus indulgeant) alios peccatorum ſuorum pœnitet (etiamſi ob metum pœnæ) & nonnulli Deum diligunt (ſaltem ob commoda ſæcularia ab eo percepta) ſed *credere*, *Deum diligere*, *pœnitentiam agere*, ſunt Opera Deo grata. *Obj.*

Quoad materiam Actûs hæc opera præſtant, ſed bonitate integrali deſtituta, quia non ex vero amore juſtitiæ, aut intentione, ſincerà placendi Deo progrediuntur. *Sol.*

Cornelii *Eleemoſynæ* fuerunt Deo gratæ. *Obj.*

Habuit notitiam Chriſti adventuri. *Sol.*

Si opera ante Gratiam Chriſti habeant rationem peccati, tum ante Gratiam abſtinendum eſt ab operibus moralitèr bonis, & ab Externis actibus divini cultûs. *Obj.*

Abſtinen-

Sol. Abſtinendum eſt à peccatis quæ per ſe talia ſunt, quæ autem peccata ſunt per accidens præſtanda potius ſunt, & defectus emendandi. Ex malis minus eſt committere peccatum per accidens, quam ut omittendo debitas actiones Rei ſimus peccati per ſe.

Obj. Dantur Actus præparatorii ad Gratiam Juſtificationis & Sanctificationis qui grati ſunt Deo; quales ſunt *peccati agnitio*, *Vitæ ante-actæ deteſtatio*, *Deſiderium Reconciliationis cum Deo*, &c. Ergò ante Gratiam de quâ agitur, fieri poſſunt opera Deo grata, & in Ordine ad Gratiam.

Sol. Hi Actus præcedunt

Juſtificationem ſive *Remiſſionem* ſtrictè ſumptam pro *abſolutione* peccatoris, non quâ latè prout fides & Actus illi ad *Remiſſionem* requiruntur.

Sanctificationem ſtrictè ſumptam pro habituali mutatione per habitus infuſos, non latè quæ complectitur illius initium, progreſſum, & complementum.

Obj. *Habenti dabitur*, Matt. 25. 29. i. e. *utenti*. Quod
1 Tim. 4. 8. meritum de congruo negari non poteſt ob convenientiam ad Bonitatem divinam, quâ Gratia Spiritualis Naturæ vires benè exercentibus non denegabitur.

Sol. Utut Deus Gratiam non denegaret iis qui vires naturæ benè exercuerint, illud eſſet ſolummodo Benignitatis infinitæ indicium, ubi non minima ratio meriti intervenit, eſſet nimirùm Dignatio indebita, & non Operi proportionata remuneratio.

Da tua, ſed quæ non debes, proportio & adſit;
Non aliter meritum dixeris eſſe tuum.

Pro-

Proportionem *æqualitatis* inter *Opera* & *Remunerationem* nequaquam agnoſcimus; neq; proportionem convenientiæ ad Naturam Operum, ſed naturæ operum *diſcordem* & *improportionatam Benignitatem*. Et ſi quid præmii jure ſperent operantes (ut 2 *Tim.* 4. 8.) illud in Dei promiſſione ſolummodò, non operis dignitate fundatur.

SECTIO V.

De Peccato Actuali.

PEccatum *Actuale* eſt *Actio* vel *Omiſſio contra Legem Dei*, 1 Joan. 3. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Actio vel externa vel interna, non quæ Rationi tantum repugnat (quæ apud Philoſophos quandoq; fuit illius definitio) nam ipſa Ratio ſubinde peccat, niſi ſit à Deo illuſtrata; multo minus eſt (quod ſomniant Libertini) *Id*, quo quis ſe peccare putat.

Naturam poſitivam non habet, ſive *Phyſicam*, ſive *Metaphyſicam*, omne enim *Ens* iſtiuſmodi eſt à Deo. Sed interdum *Efficacia* Peccato tribuitur in Scripturis; eſtq; ſanctitati contraria, *Rom.* 8. 7. quia motus aut actio cui peccatum inhæret, vi illius privationis adverſatur motui aut actioni ſanctæ.

Hujus Efficiens non eſt (*a*) Deus aut Providentia illius, quamvis peccatum permittat & (*b*) *Efficiens.*

(a) *Gen.* 1. 31. *Ja.* 1. 13. (b) *Gen.* 50. 20.

ordinet, (unde Cauſa Ordinatrix & Moderatrix eſt, ut locutus eſt. *Joſephus*, non Effectrix) ſed prava hominis (c) *Voluntas*, (d) *Diabolus*, (e) *Conſuetudo peccandi*, & *Mundi* (f) *Scandala*.

(c) *Jac.* 1. 14. (d) 1 *Chron.* 21. 1. (e) *Rom.* 2. 5. (f) *Matth.* 18. 7.

Forma. Hujus Forma eſt ἀνομία, ſeu *privatio rectitudinis*, non autem *otioſa* ſed *actuoſa*, ſicut *Strabiſmus in oculo*, ſive *Membri alicujus diſtortio*, qua totum corpus non modò deforme redditur, verum etiam Naturali partis illius ſitu & ordine ad reliqua membra non retento, & fœdum aſpectu, & ad operationes rite obeundas ineptum & impotens evadit.

Adjunctum. Peccati Adjunctum eſt Reatus, qui apud

- *Juriſconſultos*, eſt *Status & Conditio*, in *quâ* Rei ſunt antequam abſolvantur.
- *Theologos*, eſt *Obligatio ad pœnam*. Quidam autem diſtinguunt inter

Reatum
- *Culpæ*, qui eſt ipſa interna favoris Divini indignitas, ſive aptitudinalis Ordinatio ad pœnam, ac damnabilitas quæ eſt inſeparabilis à peccato.
- *Pœnæ*, eſtq; Actualis Ordinatio ad pœnam, quæ ſeparari poteſt in fidelibus. *Nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto*, Rom. 8. 1. non dicit, *nulla eſt condemnabilitas*.

Macula. In Peccato præter Reatum conſideranda eſt *Macula* ſive *Labes*, quæ inde animæ adhæret, *Matth.* 15. 11. *quod exit ab ore hominem polluit*, hinc peccatum quandoq; dicitur *Immunditia*, *Vulnus*,

Vulnus, *Morbus*, & *Sanctificatione tollitur*; quemadmodum reſpectu ad Reatum vocatur *Injuria*, *Offenſa*, *Crimen*, *Delictum*, &c. & *Juſtificatione* tollitur; Macula tamen peccati Originalis manere cenſetur poſt Baptiſmum.

Atq; Hæc macula ſeu Turpitudo, non eſt mera Gratiæ *privatio*, ſed Creaturæ pollutio, quæ ut ſuprà dictum eſt *Strabiſmo in oculo* comparatur.

Effectum Peccati eſt Pœna, eaq; vel { *Æterna*, de quâ cap. ult. / *Temporaria*: Huc præter internos angores & } *Effectum.*
cruciatus Conſcientiæ, referendæ ſunt variæ Calamitates & Miſeriæ quibus vita humana ſubjicitur; ut & Mors ipſa, cui non modo Impii, ſed & Pii obnoxii, ſunt; hoc tamen diſcrimine, quod Piis obtingunt ad παιδείαν, δοκιμασίαν, μαρτυρίαν, ſed non ad Satisfactionem pœnalem, & ſi pœnis annumerentur quatenus odii divini in peccatum & paternæ diſplicentiæ indicia; non tamen ſunt pœnæ propriè dictæ, & Juſtitiæ *Vindicatrici* ſatisfactoriæ, *Rom.* 8. 1. Chriſti Satisfactio abſolutè perfecta eſt, *Heb.* 10. 14. *Sunt jam Filii & Reconciliati*, Joan. 1. 12, 13. Rom. 5. 9.

Peccatum eſt vel Omiſſionis vel Commiſſionis, in utroq; eſt privatio, in Peccato *Omiſſionis* eſt totius Actûs debiti Omiſſio, ut in *Matt.* 25. 42. *Eſurivi & non cibâſtis*, &c. *Diviſiones.*

In Peccato *Commiſſionis* eſt privatio Ordinis, ſeu Rectitudinis Actûs; quæ Rectitudinis privatio reſpicit

 vel,

vel, { *Subſtantiam* ſeu *Materiam* Actûs, quando committitur id quod Lege Dei directè prohibetur; ut ſi quis colat Deos alienos, aut homicidium patraret.
Modum Actûs, quando res fit, ſed non eo quo præcipitur aut permittitur modo ſcilicet }

Si non a *Recto* prodeat *principio*; ut ex verâ fide, & puro corde, ſive bonâ Conſcientiâ: Gentes enim quæ ſunt Legis fecerunt, *Rom.* 2. 14. ſed in hoc defectivè.
Si non propter *debitum finem*; ut cum Phariſæi orârunt, & Eleemoſynas erogârunt, ut Gloriam ab hominibus aucuparentur.
Si non cum *debitis circumſtantiis*; ut cum Filii *Aaron* ignem alienum intulerunt Altari; cum *Iſraelitæ* ſacrificârunt in Excelſis; cum Chriſtiani quidam libertate abutebantur cum Infirmorum Scandalo.

Intereà verò quemadmodum Actio Bona non eſt, niſi integras ſuas cauſas habeat; ita mala eſt ex quolibet defectu.

Per ſe, quod lege ſimplicitèr prohibitum eſt.
Per accidens, quod Lege quidem mandatur, ſed ob defectum Modi alicujus ſupra dicti, ſive ob Omiſſionem *debiti principii*, *finis*, *aliuſve circumſtantiæ* Deo diſplicet; ut *Ariſtidis Juſtitia*, &c.

Obj. Si Virtutes Gentilium erant Peccata, ab iis eſt abſtinendum.

Emen-

Emendandi ſunt Defectus, qui improbantur; *Sol.*
& qui in circumſtantiis quibuſdam duntaxat defecerunt; minùs peccarunt, quam qui Actus ipſos prorſus omiſerunt.

Externum; vel *Factis*, Jac. 2. 11, 14. *Verbis*, Jac. 3. 2, 9, 10. vel *Geſtibus*, Gen. 4. 6. & 31. 2.

Internum; *Mentis*, Gen. 6. 5. Rom. 1. 23. *Voluntatis*, Luc. 13. 34. *Affectuum* & *Appetituum*, Rom. 8. 7. Gal. 5. 16, 17.

Regnans, cui peccans non repugnat, ſed ſe ſubjicit, *Rom.* 6. 12, 14.
Non regnans, cui peccans repugnat, & cujus eum pœnitet, *Rom.* 7. 17.

Contra Conſcientiam, quod à ſcientibus & volentibus committitur.
Non contra Conſcientiam, ut peccata *Ignorantiæ*, 1 Tim. 1. 13. aut *Infirmitatis*, Gal. 5. 17.

Spirituale, quod Spiritum ſeu Animam contaminat; ut *Idololatria*, *Hæreſis*, *Deſperatio.*
Carnale, quod corpus etiam polluit; ut *Ebrietas*, *Adulterium*, *Homicidium*, &c.

Remiſſibile, quod non ex Naturâ ſuâ, ſed reſipiſcentibus eſt remiſſibile, & propter Chriſtum; *quamvis grave ſit*, *remittitur*, Matth. 12. 31.
Irremiſſibile eſt, in Spiritum Sanctum,

vel,
- *Commune*; ut quodvis peccatum Impœnitentium.
- *Singulare*, & quod *irremiſſibile* κατ' ἐξοχὴν vocatur, eſt veritatis Evangelicæ per miracula aliaſve Spiritûs ſancti operationes à Chriſto firmatæ, malitioſa & finalitèr perſeverans abnegatio & oppugnatio, *Matt.* 12. 31, 32. *Mar.* 3. 28, 29, 30. *Luc.* 12. 10.

Quamvis omne Peccatum ſit in Sp. ſanctum, utpote in Deum Triunum, hoc tamen ità denominatur, quia contrà propriam Spiritûs S. Operationem committitur, quâ convinci debent peccatores in ordine ad Salutem.

Quamvis etiam quodvis peccatum abſq; pœnitentiâ ſit irremiſſibile; non tamen omne peccatum cujus peccatorem non pœnitet eſt peccatum in Sp. S. κατ' ἐξοχὴν; ſed Peccatum quod *ſuâ Naturâ* impœnitentiam inducit; utpote quod Salutis media, quæ à Spiritu S. parantur & exhibentur prorſùs rejicit & aſpernatur; ſcil. *Verbum Evangelii*, *Operationes Spiritus S. Ipſius Chriſti meritum*, &c. ità ut nulla pro Peccato illo ſuperſit Hoſtia, Medicamen, aut Remedium.

CAPUT

Caput VIII.

De Gubernatione Hominum poſt Lapſum.

Sectio I.

Poſt Lapſum Deus Homines gubernavit juxta tenorem fœderis Gratiæ.

Fœdus Gratiæ eſt, quo Deus pro (*a*) ſummâ ſuâ miſericordiâ Hominibus (*b*) Lapſis, Redemptionem è ſtatu peccati & Miſeriæ, nec non (*c*) auxilia unicuiq; pro ſtatu ſuo neceſſaria ad Conditionem illius (modo per Redemptorem acceptabili) preſtandam, ſuppeditare pollicitus eſt, (*d*) Fide (cui neceſſariò annexa eſt Obedientia Evangelica) reſtipulatâ.

(*a*) Gen. 3. 15. Luc. 1. 54. *ut memor eſſet miſericordiæ*, Ezek. 16. 6.
(*b*) Gen. 3. 15. *Semen Mulieris Caput Serpentis contriturum promittitur.*
(*c*) Mar. 16. 15, 16. Joan. 3. 16.
(*d*) Deut. 30. 6, 8. *Circumcidet Jehova cor tuum ad diligendum Jehovam.* Jer. 31. 33. *Indam Legem meam, & cordi inſculpam, & ero iis Deus, & erunt mihi populus.*

Quænam in Fœdere eſſet Gratia, ſi facta fuiſſet ſub conditione impoſſibili? Significatione generali Evangelium quandoq; nuncupatur.

Fœderis hujus Partes ſunt, *Promiſſio Dei*, & *Stipulatio noſtra.*

1. *Promiſſio Dei Gratuita*, hâc formulâ ſæpe traditur [*Se Deum noſtrum fore*]. Brevis quidem Verbis eſt, ſenſu autem ampliſſima; utpote quâ comprehenduntur quæ in Scripturis ſparſæ ſunt Promiſſiones, ad fœlicitatem Vitæ tum præſentis tum futuræ ſpectantes, *Jer.* 24. 7. & 31. 33.

2. *Stipulatio à parte noſtri*, quæ communiter dicta eſt Fides, cui neceſſariò annexa eſt Obedientia *Evangelica*, Gen. 17. 1. *Ego ſum Deus omnipotens; indeſinenter ambula coram me, & ſis perfectus*, Rom. 4. 13. *Non enim per Legem*, i. e. per fœdus operum, erat Promiſſio *Abrahæ* aut *Semini ejus, ut hæres mundi* eſſet, ſed per *juſtitiam fidei.*

Conditio fœderis. Conditio *Fœderis Gratiæ* variis modis effertur in Scripturis, videlicet; nunc hâc nunc illâ virtute, nunc uno nunc alio pietatis Exercitio tanquam abſolutè neceſſarió. Interdum *Fides* quaſi conditio illius aſſignatur, *Act.* 16. 31. *Crede in Chriſtum & ſalvaberis.* Interdum *Reſipiſcentia*, Luc. 13. 3. *Niſi pœnitentiam agatis, vos itidem peribitis.* Interdum *ſanctimonia*, Heb. 12. 14. *Pacem ſectemini cum omnibus, & Sanctimoniam ſine quâ nemo videbit Deum.* Attamen quoties non niſi ſingularis aliqua obſequii noſtri portio exprimitur, ſenſu adeò generali ſumenda eſt iſta pars, ut totum obſequii noſtri, juxta tenorem *Evangelii*, in eâ contineri, aut cum eâ connecti ſubintelligendum eſt. Deum enim non niſi *perfectam* obedientiam à nobis ipſis

ſis vel à ſponſore, noſtro loco, tum expectare tum acceptare credimus *Exod.* 34. 7. *Nullo pacto ſontem abſolvet.* Per Lapſum *Adami* violatum erat *fœdus operum*, Lex autem Operum menti illius in Creatione indita, iſtiuſq; Legis obligatio non tum ceſſavit, neq; ſtante mundi Fabricâ ceſſabit unquam, *Matth.* 5. 17.

Sub Evangelio Deus pœnitentibus remittit peccata, non remittit Obedientiam, ſed eam à Chriſto exigit quatenùs pœnitentes in eâ defecerunt. Si quidem Legis obligationem remitteret, non eſſet peccatum remittendum; *ubi* enim *nulla Lex*, ibi *nulla Tranſgreſſio.* *Quomodo requiruntur opera ſub fœdere Gratiæ.*

Dein niſi Obedientia perfecta requireretur ſub Evangelio, non tenerentur Fideles, orare, ut imperfecta ſua Obedientia, & defectus ſibi condonentur. Requiritur ergo perfecta Obedientia, exhibetur autem quoad perfectionem *Partium* ab ipſis Fidelibus, quoad perfectionem *Graduum* à Chriſto Mediatore, & rectiùs ſentiunt multi proculdubiò quàm loquuntur, qui docent *ſinceram* ſolummodò, non *perfectam* Obedientiam *deberi* ſub Fœdere *Gratiæ*. Aliud enim eſt, non deberi, aliud Dei Gratia ab ipſis perſonis fœderatorum ſimul ac à Mediatore ſuo acceptari.

Poſtquàm violatum erat fœdus operum, atq; aliud ex ineffabili gratiâ ſancitum, Deus Legem *Naturæ* (paucis quibuſdam pro ratione circumſtantiarum additis) per Moſen repetiit; atq; obſequium Lege *Naturæ* præſcriptum ſibi ab homine nunquam non deberi, & ſe per Lapſum hominis fœdifragi jus ſuum nullatenùs abdicaſſe oſtendit, nec non ejuſdem repetitione populum ſuum ad Obſequium præſtandum excitavit.

Hic

Hic inſuper expediat, etiam alia quædam de Conditione Fœderis hujus aſſurrectura dubia, paucis hiſce Theſibus prævenire.

Fides 1. Interdùm *Fides*, interdùm *Obedientia*, eaq; *perfecta*, tanquam Conditio hujus Fœderis exigitur in utroq; Teſtamento.

Rom. 3. 21, 22. *Nunc verò abſq; Lege Juſtitia Dei patefacta eſt*, comprobata teſtimonio *Legis* & *Prophetarum*. *Juſtitia*, inquam, *Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt.*

Obedien. eaq; perf. Rom. 10. 5. Moſes enim deſcribit juſtitiam *quæ eſt ex Lege*, his verbis *qui præſtiterit ea vivet per ea.* Gal. 3. 12. *Qui fecerit ea homo, vivet per ea.* Lev. 18. 5. *Obſervate ſtatuta mea & jura mea, quæ ſi fecerit Homo, vivet per ea. Leviſſima etiam tranſgreſſio eſt mortifera*, Gal. 3. 10. *Maledictus qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis hujus faciendo ea.*

2. Abſoluta & perfecta illa Obedientia Legi debita frequentiùs & apertiùs in Veteri Teſt. & Fides rariùs & obſcuriùs quam in Novo exigitur. In *Novo* Juſtitia noſtra, utut imperfecta, manifeſtiùs & ſæpiùs per Juſtitiam Chriſti acceptabilis & conſummata declaratur, quàm in *Veteri*; unde Joan. 1. 17. *Legem per Moſen datam eſſe, Gratiam vero & veritatem per Chriſtum adveniſſe*, legimus.

3. Frequens & apertior illa Legis Exactio, ſcil. perfectæ Obedientiæ à nobis impotentibus, totaq; Legis Oeconomia ſubordinata erat ad Fidem in Chriſtum; nec non Legiſlator hoc ipſum præcipuè deſignâſſe videtur, ut impotentiæ noſtræ convicti, ad Chriſtum per Fidem ferremur,

mur, & deficiens obedientia noſtra in Juſtitiâ Chriſti perfectionem ſuam inveniat, & complementum. Rom. 10. 4. *Finis Legis eſt Chriſtus ad juſtitiam cuivis credenti*, ſcil. ut de peccato convicti ad Chriſtum deducamur, & per eum à maledictione Legis liberemur. Gal. 3. 22. *Concluſit Scriptura omnes ſub peccatuo, ut promiſſio ex fide J. Chriſti daretur credentibus* —— v. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit ad Chriſtum.*

Fœdus Operum & *Gratiæ* non inde nomina ſua reportârunt quod in illo fœderati ad Opera tenebantur, quæ in hoc omitti tutò, & negligi poſſint; debitum enim Obſequium Voluntati divinæ, ſive Opera, in utroq; exiguntur, Juſtitia nimirùm divina, quæ æqui boniq; ratio eſt, & Æterna Lex Sanctæ Dei naturæ adeò congrua eſt, ut non hujus, prout nec illius ulla ſit mutabilitas aut Variationis adumbratio. Quoties igitur, & quocunq; modo aut nomine *Lex* iſta *Æterna* hominibus patefacta fuerit, ſive *Lege Naturæ*, ſive *Lege Operum*, ſive *Lege Morali*, ſive *Lege Chriſti* (quas omnes Appellationes Actionum Humanarum Norma, prout occaſio tulerit, ſortita eſt) firma & immota ſtat quâ Lex in omni fœdere præceptis Stipulatis obſequium exigit, hiſce modò adjunctis innovata.

1. Quòd Tranſgreſſio, *antequam Fœdus Gratiæ* nobiſcum Deus inierat, reatum *fixum*, & (quantum conjectari potuimus) *immobilem* adduceret, haud imparem reatui, quem Tranſgreſſio etiam ſub *Fœdere Gratiæ* peccatoribus adfert, hujus tamen Tranſgreſſionis *reatus* juxta tenorem *Fœderis Gratiæ* eſt *expiabilis* & *remiſſibilis*.

2. Quòd

2. Quòd ſub *Fœdere Operum* exigebantur Opera ſive Obedientia Voluntati Divinæ ab ipſis Fœderatis, idq; Viribus Creatione conceſſis, præſtanda, ſub *Fœdere Gratiæ*, Opera paritèr à fœderatis exiguntur, non quidem omni ex parte in propriis perſonis præſtanda, ſed in quo deficiunt, ex meritoriâ Chriſti juſtitiâ ſupplenda.

3. Gratia miniſtratur ſub *Fœdere Gratiæ*, quâ Conditio fœderis, utcunq; viribus naturæ longè major, redditur poſſibilis.

Etiamſi Promiſſio Dei de Fine (ſcilicet, de *Vitâ æternâ*) *Conditionalis* ſit, Promiſſio de Mediis, à parte Dei conferendis, nimirum de Gratiâ ſuâ ſive auxilio ad Conditionem illam implendam, ſufficienti, abſolutè fieri videtur, Jer. 31. 33. *Indam Legem meam intimo eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero iis Deus, & ipſi erunt mihi populus*, Ezek. 36. 25. *& aſpergam Vos aquâ mundâ, ut mundemini ab omnibus pollutionibus, & ab omnibus ſtercoribus veſtris mundabo Vos.* Huc ſpectant etiam Promiſſiones de Circumciſione Cordis ut Legem obſervent. *Deut.* 30. 6, 8. Adde quod in Fœdere cum *Abramo* promiſit *ſe daturum* ut *ipſi ſerviamus*, Luc. 1. 74. Matth. 11. 30. *Jugum Chriſti facile, onus leve*. 1 Joan. 5. 3. *Mandata non gravia*.

Conditio per auxilia poſſibilis redditur.

Quemadmodum ſub fœdere Operum vires Naturæ ſufficiebant *Adamo* ad præſtanda quæcunq; in mandatis habuit; adeò ut potuerit non peccâſſe, *modò voluerit*; ita ſub Fœdere Gratiæ (quo diſſolvenda erant Opera Diaboli, & Status Fœderatorum inſtaurandus) vires Naturæ per lapſum amiſſæ, per auxilia Gratiæ adeò adjuvantur,

tur, ut Conditio Fœderis quæ Viribus Naturæ impoſſibilis erat, Dei Gratiâ (quæ ſemper præſtò erit eâ non abutentibus) inde poſſibilis evadit; atq; Homini Gratiæ divinæ non obſtinatè reluctanti, illud [*poſſe ſi velit*] quaſi poſtliminio reconceſſum eſſe videtur, ſive pro ratione oneris obſequii, quod nobis Deus imponit, ita vires auget, ut id ferre & facere valeamus. Hinc 1 *Joan.* 5. 3. *Mandata ejus non gravia* eſſe dicuntur; (ut à quibuſdam res illuſtratur) etſi pondus decem Librarum ſit grave tenero Infanti, viginti tamen Librarum pondus leve videbitur eidem adulto, propter virium Incrementum.

Non quidem *Omnibus* vires quæ *neceſſitatem ſuperandi* afferunt, ſeu Gratiam ad conditionem Fœderis præſtandam *irreſiſtibilem*, impertit Deus; à nullis tamen ſubtrahit Gratiam ad Obſequium neceſſariam, imo neq; ſufficientem neq; Efficacem ullis denegat, donec per ipſos ſtet, quòd non faciant quæ ad ſalutem requiruntur?

Theſes *aliquot de Gratiæ Sufficientis neceſſitate & auxilio, & operandi Ordine, idq; vi Fœderis.*

1. Liberum Arbitrium adeò vulneratum eſſe agnoſcunt ipſi Jeſuitæ *Molina*& *Bellarminus* ut non poſſit bono conſentire antequàm novæ vires gratioſæ illi concedantur; fruſtrà ergo lites movent, an mortuum ſit & penitùs amiſſum! perinde enim eſt an vulneratum ſolummodò, an mortuum; dum nihil poſſit, quod ad Salutem valeat, non acceptis novis viribus.

2. Spi-

2. Spiritus S. non iis deeſt qui, quod in ſe eſt, facere non abnuunt, *Apoc.* 3. 20. *ad Oſtium ſtat, & pulſat*; atq; etiamſi virium naturalium non ſit Oſtii apertio, in illis tamen qui Voluntariâ malitiâ non reſiſtunt & obicem duritiei non opponunt, vult hoc operari, ut *poſſint Cor aperire*, *Gerhard. in loc.* Saltem intranti non obſiſtere.

3. Initio Converſionis Voluntas ſe habet *paſſivè*, donec Vires à Dei Gratiâ accepit, quibus *Velle poſſit*, ipſa autem Voluntas primum *Volitionis actum elicit*; &, quod per Gratiam poteſt, illud *ipſa vult*; nimirum ferveſcet, gliſcet, & accreſcet Sacer ille Spiritûs S. *Igniculus*, nec non animum ad ſalutaria pietatis ſtudia planè incendet, niſi obſtinatæ oppugnationis frigida ſuffundatur, contriſtetur, extinguatur.

4. Gratia Dei (ad, quod melius eſt, agendum, neceſſaria) ſemper adeſt eam non rejicientibus virtute fœderis Gratiæ, quod ne quidem fingere poſſumus *pactum* fuiſſe ſub conditione undiquâq; impoſſibili, ſed quæ per Gratiam poſſibilis redderetur. Statim enim poſt Lapſum promittebatur Generis Humani inſtauratio per *Semen mulieris*, Chriſtum ſcil. qui contriturus erat caput Serpentis, & *in hoc patefactus ut diſſolvat opera Diaboli*, 1 Joan. 3. 8. In eo autèm conſiſtit iſta per Chriſtum Inſtauratio (quod ad rem ſpectat quæ præ manibus eſt) ut tum à peccato & morte liberemur, aſſumptis in ſe illius pœnâ & reatu, tum ut fractæ Naturæ Vires, quibus ante Lapſum *Protoplaſti potuerunt non peccâſſe*, reparentur auxiliis Gratiæ, ſive ad meliorem ſtatum renoventur. Quæ quidem auxilia nume-

numeranda ſunt inter Bona fœderis illius quo Vitæ tum præſentis tum futuræ Bona promittuntur. Auxilia etiàm illa ſunt *Sufficientia*, aliàs ſequeretur *Deum* (quod abſit) *haud ſincerè cum hominibus egiſſe*; imò Efficacia & certò ſalutifera, niſi peccatores ipſi ſufflamen injicerent, & Gratiæ ſufficienti pertinaciter obnitentes Salutare Dei conſilium (quantum in ſe) rejicerent & irritum redderent. Gratia enim Divina, virtute hujus Fœderis, nec deeſt petentibus quâ peccato reſiſtant, nec deerit ut petant, ſi petere *velint*, imò prævenit ut petere & accipere velint, modo prævenientem & *trahentem ſequerentur*, Jer. 31. 33. *Hoc eſt fœdus quod pangam cum domo Iſraelis, indam Legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam*, &c. *Ezek.* 36. 26, 27. *Dabo Vobis cor novum*—— *& Spiritum meum ponam in medio Veſtri*, quo faciam ut *in Statutis meis ambuletis*, &c. Promiſſiones de *Fine*, ſcil. *Vitâ æternâ*, ſunt Conditionales (ut ſuprà dictum eſt,) de Mediis autèm neceſſariis (à parte Dei) ſunt *Abſolutæ*. Hæc dicuntur quidem per Prophetas illos de futuro, non quòd etiàm tùm temporis non erant, ſed quòd non erant tam illuſtria, ſicut & in iſtis locis Deus pollicitus eſt remiſſionem Peccatorum, non quaſi tùm nulla eſſet Remiſſio, ſed quia non tàm celebris & eniteſcens, quam cum emiſſi fuerunt Apoſt. ad prædicandam pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. *Macco. L. C. c.* 8. *de Fœdere.*

Sunt qui Fœdus Gratiæ non ante *Abramum* pactum fuiſſe docent; alii rectiùs ſtatuunt illud ſanciri Promiſſione illâ celebri, *Gen.* 3. 15. *de Semine Mulieris caput Serpentis contrituro.* *Quando pactum.*

Chri-

Chriſtus enim eſt illud Semen Mulieris *Gal.* 4.4: *in quo ſolo ſalus*, Act. 4. 12. *Adamum* alioſq; ante *Abrahamum* remiſſionem & ſalutem obtinuiſſe vix aut nè vix ulli dubitant. Adde quod ad Chriſtum applicari veriſimillimum eſt Oraculum illud protevangelicum in Ep. ad *Rom.* 16. 20. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris gratiâ Domini noſtri J. Chriſti*, Apoc. 12. 9. *Draco antiquus Serpens qui vocatur Diabolus, & Satanas ejectus eſt in terram.*

Porro *Abelis*, *Enochi*, *Noæ* Fides (cui nullus fuiſſet in Religione locus) recognita, *Heb.* 11. Nec non Sacrificia ἱλαςικὰ, primis illis temporibus, Deo à piis oblata, idem haud dubitandum relinquunt.

Sectio II.

Fœ*dus Gratiæ unum eſt Subſtantiâ; quoad Adminiſtrationem autem diſtinguitur*

in { *Vetus*, *Novum*. }

Quotuplex Fœdus Gratiæ.

Unum eſt Subſtantiâ, *Unus enim eſt Mediator*, 1 Tim. 2. 5. & proindè *Unus reconciliandi modus* tum *Veteri* tum *N. Teſt.* Heb. 13. 8. *Chriſtus idem heri, hodiè, & in ſæcula.* *Joan.* 8. 58. *antequam Abraham fuit, Ego ſum.*

Conditiones etiam principales eædem ſunt in *V.* & *Novo Teſt.* à parte Dei Salus per Redemptorem, à parte Hominis Obedientia fidei, *Act.* 15. 11. *Per Gratiam Domini noſtri J. Chriſti credimus ſalvari quemadmodum & illi*, & 10. 43.

Huic

Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum per nomen ejus quemvis recepturum qui crediderit in eum.

Vetus Fœdus erat, quod Redemptoris, Bonorumq; per eum conferendorum Promiſſionem, Fideiq; & (quod cum eâ neceſſariò connectitur) Obſequii Evangelici reſtipulationem complectitur.

Fœdus enim Gratiæ (ut ut obſcuriùs) in *Veteri Teſt.* annunciatum fuit, illiuſq; tum Signis & Sacrificiis adumbratum, tum Sacramentis, præcipuè Circumciſione & Paſchate obſignatum: Vetus hoc ſæpè renovatum & confirmatum fuit, ſcil. cum *Abrahamo*, Gen. 17. 1. *&c.* & cum *Iſaaco* v. 19. 21. *Jacobo* Lev. 26. 42. cum *Davide*, 2 Sam. 7. 12. Act. 2. 30. unde appellatur *Fœdus Patrum*, Mal. 2. 10.

Quando Deus cum *Abrahamo* & Poſteris ejus fœdus renovavit, & Promiſſionem de Adventu *Meſſiæ* ad Semen illius reſtrinxit, num alios omnes à Gratiâ ſalutari omninò, aut quouſq; excluſit, non adeò conſtare videtur, quin reſtet dubitandi materia. Vide *Curcel. de neceſſ. Cognit. Chriſt.* 11. 31. &c.

In omni fœdere Conditio Lege aliquâ præſcribitur.

In omni fœdere Divino Conditionem à parte noſtrâ ſtipulatam Lege aliquâ præſcriptam fuiſſe obſervavimus, ità ſub Fœdere Operum Lege Naturæ, mentibus hominum in Creatione inditâ, ad Obſequium fœderatum obligati fuimus, & quamvis fœdifragi, Lege tamen eadem etiamnum aliquouſq; obſtricti perſtamus.

Præter Legem iſtam, alias etiam poſt Lapſum ſanciri oportebat, quum enim communes juſti rectiq; notiones non modo lituris quibuſdam ex lapſu conſpurcatæ, ſed etiam ingruentibus tenebris obſcuriores indies redderentur, non cuivis, quid juſtum rectumq; eſſet, nè quidem in civilibus, facile erat determinare; hinc ergo 1.

Q præter

præter Legem Naturæ (de quâ in priori cap) aliæ, in Infirmitatis noſtræ ſubſidium, neceſſariæ fuerunt, *Humana* & *Divina*.

1. *Humana* ſeu *Civilis* eſt ex communibus juſti & iniqui notionibus particularis determinatio pro conditione perſonarum, locorum & temporum elicita & autoritate Magiſtratuum ſancita. Hæc non eſt hujus loci, niſi quatenùs conſcientiam attingit.

Quæſt. *Num Lex Humana Conſcientiam obliget, ſive Civilis ſit ſive Eccleſiaſtica?*

Reſp. *Lex Humana* non obligat Conſcientiam primariò, immediatè, & per ſe, ſed ſecundariò, indirectè, & mediatè, nempe virtute Legis Dei quâ tenemur Superioribus noſtris obſequi, *Rom.* 13. 1, 2. 1 *Pet.* 2. 17. niſi Leges eorum planè vitioſæ & intolerabiles fuerint.

Autoritatem ergò Divinam ſibi arrogat Papa, dum jus ſibi ſumit Leges ſuas ſanciendi ſub peccato mortali, & ex peccato, *non peccatum, & ex non peccato peccatum faciendi.*

2. *Divina Lex* eſt, vel

1. *Juris poſitivi* & *arbitrarii*, qualis erat Lex cibaria, *Gen.* 1. 29, & 9. 3. Lex de Arbore Scientiæ Boni & Mali, nec non *Moſaica* Ceremonialis: In Legibus his & ſimilibus ferendis Deus Libertatem & Authoritatem oſtendit; ex Beneplacito illius proceſſerunt; & harum Reſpectu Res bonæ ſunt, quia præceptæ.
2. *Juris neceſſarii*, qualis *Lex Naturæ* ſuprà laudata, & Moralis *Moſaica*.

Lex Divina celeberrima, illa erat per *Moſen* Iſraelitis data, quæ

vel

vel { *Moralis*, *Ceremonialis*, *Judicialis*. }

1. *Moralis*, quæ & *Decalogus* dicta, eo quod decem Verba ſeu præcepta celebria continet de Officiis perpetuis erga Deum & Proximum, definitur perpetua vivendi regula divinitùs ſancita, continens æternam Sapientiam & Juſtitiam Dei, primùm hominibus in Creatione inſita, ac in Monte *Sinai* poſtmodùm repetita, duabus tabulis comprehenſa Pietatem & Juſtitiam ſive Dilectionem Dei & Proximi repræſentantibus, *Matth.* 22. 37, 38, 39.

Decalogus eſt quaſi Legis Naturalis apographus: Ipſum enim præceptum quartum *Morale* eſt, quoad Subſtantiam, licet *Ceremoniale* quoad Determinationem certi temporis fuerit. Deo enim deberi Cultum aliquem *Exteriorem* & *Solennem*, ipſa Ratio Naturalis dictat; & Gentium omnium conſenſus comprobat, at quo modo & tempore exhibendus ab illius voluntate ſolâ pendet.

Graviter errant, qui docent Deum poſſe totum *Decalogum*, in quo *Lex Naturæ* exarata eſt, ità mutare, ut contraria omnia juſtè fiant.

Deus *Abrahamo* præcepit filium ſuum mactare, tentandi duntaxat gratiâ; nempe ut conſtaret, num juſſa capeſſeret, & ad ea præſtanda ſe ſine morâ accingeret; non enim inde ſequitur, Deum voluiſſe *Iſaacum* immolari; imò mactari noluiſſe Eventus nos certos reddidit. Quinetiam *Iſraelitæ* illius juſſu ſpoliârunt *Ægyptios*; ſed non præter jus faſq; id factum. Deus enim, ſupremus Mundi Dominus, de Bonis in eo contentis pro arbitrio ſtatuere potuit. Et

quâ Juſtus Judex *Ægyptiis* adempta *Iſraelitis* tradere in Laborum ſuorum remunerationem.

2. *Ceremonialis* eſt, quæ Ritus Eccleſiaſticos ad Cultum Externum ſpectantes præſcripſit.

3. *Judicialis* eſt, quâ Civilem *Iſraelis* Societatem regi oportuit.

Sectio III.

FOEderis hujus *Sigilla* fuerunt { *Sacrificia.* *Sacramenta.*

Sacrificia. In more fuit antiquitùs, ut inſanciendis fœderibus adhiberentur *Sacrificia*; nonnunquam cum ritibus qui horrorem perjurii fœderatis incuterent; unde fœderati dicuntur fœdus percuſſiſſe cum Deo ſuper *Sacrificiis*, & *Sanguis Fœderis*, de quo *Zach.* 9. 11. erat ſanguis Animalium quæ in *Sacrificiis* offerebantur: eoq; ſanguine figurabatur Sanguis Chriſti, quo fœdus Dei cum populo ſuo obſignabatur, & Quando fœdus cum *Abrahamo* pepigit Deus, de Univerſo ſemine illius terram *Canaanitarum* poſſeſſuro, *Gen.* 15. 9, 10. Offerebantur *Vitula*, *Capra*, & *Aries*; & factâ pecudum diſſectione, tranſitio per partes figurabat modum quo diſcerptioni ſive diræ morti decernebantur, qui à fide datâ recederent, *Jer.* 34. 19.

In eo differunt *Sacrificia* & *Sacramenta*; quòd in illis aliquid à nobis Deo, in his aliquid à Deo nobis offertur.

Varia fuerunt in Veteri Teſt. *Sacrificiorum genera*, quorum præcipua appellabantur

Ἱλα-

Ἱλαστικά, *propitiatoria* ſive *Expiatoria*, ad Deum iratum *propitiandum.*

Εὐχαριστικά, ſive *pacifica*, ſic dicta, quod vel à *pacificatis* cum Deo, vel pro Beneficiis (quæ pacis nomine apud Hebræos denotantur) acceptis, offerebantur.

Sacramenta Veteris Teſt. Meſſiam exhibendum præfigurantia erant,

vel { *Temporaria*, *Fixa.*

Temporaria, & *Extraordinaria*, ut *Diluvium*, *Tranſitus per Mare*, *Commoratio ſub Nube*, *Manna*, *Aqua*, & *Petra*, nec non *conſervatio Noæ in Diluvio*, Signum erat *liberandæ* Eccleſiæ, &c.

Fixa, & *Ordinaria* erant *Circumciſio* & *Paſcha.*

1. *Circumciſio* Sacramentum erat quatenùs divinitùs inſtitutum, conſtans ex Signo Externo, & re Signatâ, quæ fuit conſortium in fœdere, & *Circumciſio Interna*, ſeu *purgatio Cordis.*

Dicitur *Fœdus* perpetuum; eandemq; perpetuitatem de Templo & *Sabbato* prædicatam legimus, *Pſ.* 132. 14. *Exod.* 31. 16. quamvis ſub Evangelio deſituris. Vox enim *Holam* non ſemper ſignificat durationem ſine fine, ſed longum aliquod temporis ſpatium.

Chriſtus, quamvis abſq; peccato, circumciſus erat, ut teſtaretur ſe Fratrem noſtrum, de Genere *Abrahæ*, Legi obnoxium eſſe, & ut *Sacramentorum* uſum nobis commendaret.

2. *Paſcha*; quoad vocem *Tranſitum* ſignificat κατ' ἐξοχὴν, *Tranſitum* non *Populi ex Ægypto*, ſed *Angeli percutientis Ægyptiorum primogenita*, & *prætereuntis domos Iſraelitarum*; figuratè autem *Agnus Paſchalis ipſum Chriſtum* denotat.

Caput IX.

De Fœdere Gratiæ Novo, Ejuſq; Mediatore.

Sectio I.

FOEdus *Gratiæ* Novum eſt, quod Redemptore exhibito, eandem Bonorum Spiritualium Promiſſionem, quæ Veteri (ſed clariùs propoſitam, & ampliori menſurâ) eandemq; Fidei & Obſequii ſtipulationem (uberiori autem gratiâ ad eam præſtandam conceſſâ) complectitur; quodq; in N. Teſt. quod Evangelium ſpecialitèr vocatur, annunciatum eſt, illiuſq; Sacramentis Baptiſmo, ſcil. & S. Cœnâ obſignatum.

Ut propria Vocum quarundam hoc Argumento ſubindè occurrentium ſignificatio clariùs innoteſcat, videndum.

1. Quomodo *Fœdus Vetus* & *Novum* conveniunt & differunt.

2. Quas acceptationes habeat Vox *Evangelium*, & quomodo differat à *Lege*.

3. De *Redemptione* & *Mediatione* in genere quædam brevitèr annotanda.

Hæc enim ad ea quæ ſequuntur commodius viam aperiant.

I. *In quibus conveniunt & differunt Vetus & Novum Fœdus.*

Fœdus Vetus & *Novum* eſſe Unum quoad Subſtantiam, priùs oſtenſum eſt, Unus enim utriuſq; *Mediator* eſt, & *Conditiones eædem*, nempe à parte noſtri *Obedientia Fidei*, & à parte Dei *Remiſſio Peccatorum*, & *Salus æterna* per Redemptorem, nec non ad conditionem præſtandam *Sufficiens Gratia.*

Differunt autem in Circumſtantiis, *v. gr.*

1. *Promiſſionum* quibuſdam Qualitatibus. Licet enim Promiſſiones Spirituales non prorſùs defuerunt *Veteri* [*Gen.* 3. 15. *Heb.* 11. 39. *Non obtinuerunt promiſſum illud*, &c.] Obſcuriores tamen erant in *Veteri*, in *Novo* clariores. In *Veteri* præcipuum earum Objectum typis & umbris modò velatum erat, unde futurorum umbra vocatur, *Col.* 2. 17. In *Novo* revelatum & patefactum, *Matth.* 13. 17. *Multi Prophetæ & Juſti cupierunt videre quæ videtis*, &c.

2. *Signis* differunt. In *Veteri* fuerunt varia & laborioſa, *Act.* 15. 10. *Jugum, quod neq; patres noſtri, nec nos portare potuimus.* In *Novo* pauca & faciliora ſunt.

3. *Menſura Donorum* in *Veteri* parcior, in *Novo* largior Spiritûs S. Effuſio fuit. *Jer.* 31. 31. *Joel.* 2. 28. *Act.* 2. 17.

4. *Duratione.* *Vetus* erat *Temporarium* ratione circumſtantiarum; *Novum Æternum*, Jer. 32. 40. *Pangam cum eis fœdus perpetuum.*

5. *Obligatione.* *Vetus obligabat* ad Legem Moralem, Ceremon. & Forenſem, *Gal.* 5. 1,2,3. *Novum* ad Moralem & Uſum Sacramentorum Chriſti.

6. *Suavi modo tradendi.* In *Veteri* Teſt. Perfecta Legis Obedientia frequentius præſcribitur, *Deut.* 30. 15. *Propoſui Vitam & Mortem*, &c. in *Novo* frequentiores ſunt promiſſiones Evangelicæ, *Joan.* 3. 16, &c.

7. *Multitudine Fœderatorum*; in V. Eccleſia incluſa erat Gens *Iſraelitica*, in *Novo* per omnes ſparſa, *Pſ.* 147. 20. *Act.* 14. 16. *Matt.* 10. 56. & 15. 24. *Rom.* 15. 8. *Matt.* 28. 10.

II. *Acceptationes Vocis* Evangelii, *& quomodo differt à Lege.*

1. Interdum ſignificat Fauſtum quodcunq; Nuncium; etiam Præmium ob nuncium tale allatum; nec non Sacrificium quod ob fauſtum aliquem eventum inſtituebatur.

2. Κατ' ἐξοχὴν Nuncium illud longe jucundiſſimum de Redemptione per Chriſtum, & Beneficiis in Fœdere Gratiæ ſtipulatis.

3. Ip-

3. Ipſam Doctrinam Evangelii, illiuſq; prædicationem, 1 *Cor.* 9. 12, 14. *Ne quod Offendiculum demus Evangelio Chriſti*; ita Deus conſtituit, ut qui Evangelium annunciant ex Evangelio vivant.

4. *Librum* continentem hoc nuncium de Chriſto, Sive *Hiſtoriam* de illius Adventu, Miraculis, Doctrinâ, Vitâ & Morte.

Differentia inter Legem *&* Evangelium.

Lex eſt naturâ hominibus nota, *Rom.* 2. 14, 15. *Evangelium* cœlitùs patefactum, *Matth.* 11. 27. *Myſterium olim Gentibus ignotum*, Coloſſ. 1. 26.

Lex docet nos *juſtos eſſe*, Matth. 18. 28. *Evangelium* medium oſtendit quo tales ſimus, 1 *Cor.* 1. 30. *Act.* 16. 31.

Lex promittit vitam ſub conditione perfectæ Obedientiæ, *Lev.* 18. 5. *Matth.* 19. 17. *Evangelium* ſub conditione Fidei, *Joan.* 3. 16. *Tit.* 3. 5, 6, 7. aut Satisfactionis in quo noſtra Obedientia & Fides deficerent.

Effectu differunt: *Lex* eſt *Litera occidens*, & *Miniſterium Mortis*, ad deſperationem, citra Evangelium, peccatorem adigens, 2 *Cor.* 3. 6, 7. *Peccatum notificando & damnando*, Rom. 3. 20. & 4. 15.

Evangelium eſt Miniſterium Sp. vivificantis pœnitentes, quos in Spem erigit, dum modum indicat quo pœnam evadant, 2 *Cor.* 3. 8, 9.

Utrum Evangelium uſq; à Lapſu exſtitit? Quæſt.

Evangelium generali ſignificatione, quatenùs eſt *Latum Nuncium* de Redemptore, ſive *Promiſſio* Gratiæ per Chriſtum largiendæ, ſtatim à Lapſu an- *Reſp.*

annunciatum fuit, *Joan.* 5. 46. *Si Moſi crederetis, & mihi, nam de me ſcripſit*, Act. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum recipere per Nomen ejus, omnes qui credunt in eum.*

Obj. Prophetæ venturam ad nos Gratiam prædixerunt, 1 *Pet.* 1. 10. *Erat antè per Prophetas promiſſa*, Rom. 1. 2. Ergo iis prophetantibus nondum venerat.

Sol. Non à Lapſu exſtitit, ſignificatione ſpeciali, quâ Doctrina de Chriſto jam exhibito, ſed ſub Promiſſione Fidei Credentium exſtitit.

Obj. *Lex per Moſen, Gratia & Veritas per Chriſtum venit*, Joan. 1. 17.

Sol. *Lex per Moſen* principalitèr, non excluſivè, *Joan.* 5. 46. *De Chriſto etiam ſcripſit Moſes*; Gratia autem per Chriſtum erat, quoad pleniorem illius Exhibitionem; & Veritas, per Typorum impletionem.

III. *De* Redemptione & Mediatione *in genere.*

Per Redemptionem interdùm intelligitur *Liberatio* Captivorum ſine pretio, quæ manu potenti fit, quemadmodum *Abrahamus Lothum* ab hoſtibus, aut *Moſes* populum *Iſraeliticum* ex *Ægypto*. Hæc autem Redemptio (de quâ in Fœdere Gratiæ) propriè vocatur ἀπολύτρωσις, & fit dato λύτρῳ.

Redemptio hujus loci, eſt Liberatio eorum, qui ſub poteſtate peccati, Satanæ, Mortis, aliorumq; id genus hoſtium, mancipati, juſto pretio ſoluto, acquiſiti ſunt Deo, à quo per peccatum erant abalienati.

Redempt. Redemptor hic eſt *Meſſias* Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *Matth.* 20. 28. *Venit filius hominis ut daret animam ſuam in Redemptionis pretium pro*

pro multis. Jus redimendi habuit, idq; tum *Proprietatis* quâ Verus Deus, tum *Propinquitatis*, quâ Verus *homo*. *Redemit fideles* ex quâcunq; tribu, linguâ, populo, & natione, *Apoc.* 5. 9. *Luc.* 1. 68. omnes ſcil. Conditionem Fœderis non recuſaturos, 1 *Tim.* 2. 6. *Dedit ſe in Redemptionis pretium pro omnibus.*

Cauſa Redemptionis Principalis eſt Deus, *Cauſa.*

tùm
- *Pater*, qui Filium ad Opus Redemptionis peragendum miſit, *Gal.* 4. 4.
- *Filius*, quà Mediator, *Act.* 20. 28. *Eccleſiam proprio ſuo ſanguine acquiſivit.*
- *Spiritus S.* qui nos Chriſto unit, ut Beneficiorum ejus ſimus Participes, & Redemptionem in cordibus noſtris obſignet.

Proegumena, Sola Dei Miſericordia, *Eph.* 1. 7.

Meritoria, Pretium quo Redempti ſumus 1 *Cor.* 6. 20. *Ipſe Chriſtus*, qui & λύτρον & λυτρωτὴς, 1 *Tim.* 2. 6. ſemet ipſum dedit Redemptionis pretium; *pretium infiniti valoris* eſſe oportuit ad ſatisfaciendum Infinitæ Juſtitiæ, & ad liberandum à pœnis *Infinitis*, quas per peccata noſtra commerueramus. *Meritor.*

Solutum fuit hoc Pretium Deo Judici, *Heb.* 9. 14, 15. qui propter peccatum nos Satanæ captivos juſtè mancipaverat, non ſolvendum Satanæ qui nos captivos detinebat, non jure ſuo ſed alieno. Nec ut à Deo abſtrahamur, ſicut hoſti pretium ſolvitur, ut is qui in Bello captus fuit, ab ejus poteſtate abſtrahatur, ſed ut reconciliemur illi, *Apoc.* 5. 9. à quo per peccatum fueramus abalienati, quemadmodum Subditus reus læſæ Majeſtatis, quando præſtita eſt Satis-

Satisfactio, redit in gratiam cum eo, à quo propter crimen Carnifici traditus erat, & morte mulctandus.

Finis. *Finis Redemptionis*; ut conſecremur Deo & Chriſto, *Apoc.* 5. 10. *Luc.* 1. 74, 75. & ut ſerviamus ei in Sanctitate & juſtitiâ.

Propriet. *Proprietas Redemptionis* hujus erat, quod non tantum à tempore quo præſtita erat in Cruce, ſed ab initio mundi Efficax erat ad Salutem Credentium, & talis futura eſt in Æternum, *Heb.* 9. 15. propterea Novi Teſt. Mediator eſt ut Morte intercedente ad redemptionem earum prævaricationum quæ fuerunt ſub priori Teſt. illi qui vocati ſunt æternam hæreditatem promiſſam acciperent.

Effect. Effecta Redemptionis, ſunt { *Reconciliatio*, Rom. 3. 25. *Adoptio*, Gal. 4. 5. } { *Juſtificatio*, Rom. 3. 24. *Salus æterna*, Heb. 9. 25.

His itaq; præmiſſis, quæ de membro hujus Fœderis celeberrimo, ſcil. Redemptione Hominum præcipuè conſideranda ſunt, referri poſſunt ad Redemptoris Exhibitionem, Fœderis ipſius Obſignationem, & Beneficiorum fœderis Applicationem.

De Perſona Redemptoris Exhibitione.

Perſona Redemptoris. Redemptoris *Perſona* varias ſortitur appellationes; quarum

Aliæ à *Naturâ* ejus *Divinâ* ſumuntur, ut ὁ λόγος, *Filius*, *Dominus*, *Deus in æternum benedictus*.

Aliæ ab *Humanâ*, ut *Filius Hominis*, *Filius Davidis*, *Primogenitus Mariæ*, &c.

Aliæ

Aliæ ab *utraq*; ut *Emmanuel*, *Deus manifeſtatus in carne*, 1 Tim. 3. 16. *Chriſtus ex Patribus ſecundum carnem, qui eſt ſuprà Omnes Deus benedictus in ſæcula*, Rom. 9. 5.

Aliæ ab *Officiis* ejus, ut *Jeſus*, *Meſſias* ſive *Chriſtus*, *Propheta magnus*, *Sanctus Sacerdos* & *Pontifex*, *Rex*, *Judex*, &c.

Quædam *propriæ*, ut conſtat ex ſuprà allatis; quædam *figuratæ*, ut *Surculus ex radice Jeſſe*, *Germen*, *Lapis angularis*, &c.

Communes autem, & quæ creberrime occurrunt ſunt *Redemptor*, λυτρωτὴς, & Μεσίτης, *Mediator*.

Non operæ pretium erit, Lapſi Hominis inſtaurationem in hoc compendio, per relationem ad utrumq; titulum, tum *Redemptoris* tum *Mediatoris* explicare; ſatis erit ad *Redemptoris* titulum reducere quæ ad utramq; appellationem æq; ſpectant, poſtquam pauca admodum de poſteriore hic brevitèr inſeruero.

In genere *Mediator* eſt, qui inter duos aut plures intervenit, *Gal.* 3. 20. ſive tanquam internuncius; ut *Moſes Mediator* dici potuit, quia mandata Dei ad populum attulit, & populi reſponſa, nempe [*ſe fore in omnibus Deo obſequentes*] ad Deum retulit: ſive quâ *Conſervator Pacis*, aut *Confirmator Partium* in unione & Amicitiâ; ſic Chriſtus dici poteſt *Mediator Angelorum Electorum*, vel quâ *Reconciliator Partium diſſidentium*; ſic Chriſtus eſt *Mediator* inter Deum & Hominem. Illum iratum *His* placat, Hos peccatores *Illi* reconciliat.

Mediatio Chriſti igitur eſt, Gratioſa illius interventio & tranſactio inter Iraſcentem Deum & Homines peccatores, quâ merito & ſatisfactione Remiſſionem peccatorum, Gratiam & Salutem æternam iis impetravit, & quod ad earundem participationem ſatis eſt, fœliciter contulit. *Mediatio Ch. quid ſit.*

Me-

Ejus Neceſſitas. *Mediatoris* neceſſitas inde conſtitit, quod cum Iram Dei graviſſimam in nos peccatum incitâſſet, non potuimus Deo reconciliari niſi *Sponſoris* interventione, qui Juſtitiæ Divinæ pro peccatis noſtris ſatisfaceret, & nobis remiſſionem Peccatorum impetraret; quæ Munera Solus Chriſtus θεάνθρωπος præſtare potuit.

Hic tam ſub *Vet.* quam *Novo Teſt. Mediator* fuit, *Act.* 15. 11. *per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus nos ſalvari quemadmodum & illi,* 2 Cor. 5. 18, 19. Heb. 13. 8.

Redemptoris titul. Redemptoris Perſona eſt θεάνθρωπος, ſcil. Æternus Dei Filius & Homo, duabus Naturis, divinâ & humanâ, perſonalitèr unitis.

Status. Hujus ſpeculari oportet *Status*, & *Officia*.

Satus Chriſti bini fuerunt, { *Exinanitionis*, *Exaltationis.* }

Sectio II.

Status *Exinanitionis* ſeu *Humiliationis* Chriſti erat, quo Divinitate occultâ in *Formâ Servi* apparuit.

Hujus gradus erant, *Incarnatio*, *Vita Ærumnoſa*, *Crucifixio*, *Mors*, *Sepultura*, *Deſcenſus ad Inferos*, de quibus ordine.

1. *Incarnatio* eſt, quâ *Filius Dei* aſſumpſit *naturam humanam*, à Mariâ Beatâ Virgine per operationem Spiritûs S.

Incarnatio (activè ſumpta) ut & omne Opus divinum ad extrà, erat omnibus Perſonis divinis Communis. *Patri*, Gal 4. 4. *Emiſit Filium factum*

factum ex Muliere. Filio, Joan. 1. 3. *Omnia per eum facta ſunt, & abſq; eo nihil. Spiritui S.* Matt. 1. 18. Luc. 1. 35. *Spiritus S. ſuperveniet te*, &c.

Paſſivè ſumpta eſt *Filio* propria, *Joan.* 1. 14. *Verbum caro factum eſt*; Non Caro corrupta qualis Caro ex carne nata, *Joan.* 3. 6. ſed *Labe Originali* immunis, *Rom.* 1. 3. *de Filio ſuo, qui ortus eſt ex Semine Davidis ſecundum carnem*, &c. Phil. 2. 7. *Ipſe ſe exinanivit formâ Servi acceptâ ſimilis hominibus factus*, &c. Heb. 2. 14.

Dicitur *Caro factus* per Synecdochen; Integer enim & perfectus Homo quoad naturam factus erat, conſtans

Animâ rationali, Matt. 26. 38. *Triſtis eſt Anima mea uſq; ad mortem*, Luc. 23. 46. *In manus tuas commendo Spiritum.*

Corpore vero (Phantaſtici enim Opinionem etiam poſt Reſurrectionem confutavit.)

Proprietatibus Humanæ Naturæ competentibus, ut ſunt •

In Animâ, *Sapientiæ incrementum*, Luc. 2. 40. *Paſſiones*, Matth. 26. 37.

In Corpore, *incrementum Staturæ*, Luc. 2. 40. *Sitis* Joan. 4. 6. *Eſus* & *potus*, Matt. 11. 19. *Somnus*, Matt. 8. 24. *Lachrymæ* & *Sudor*, utut præter ordinem *Sanguineus*, Luc. 22. 44.

Incarnationis Chriſti quaſi Partes numerantur *Conceptio*, *Unio Perſonalis*, & *Nativitas*.

I. *Conceptio* Jeſu Chriſti erat, quâ Natura humana ex ſolo ſanguine *Mariæ* Virginis per Spiritum S. formata erat, Spiritui S. tribuitur *Matt.* 1. 18. nempe ex Spiritu S. erat efficientèr, non materialitèr, eoq; opera tria præſtitit.

1. *Semi-*

1. *Seminis* ſive *Sanguinis maſſam* ab *Originali Labe* defæcavit & ſanctificavit, ut *Conceptio immaculata* eſſet, & Chriſtus abſq; peccato naſceretur.

2. Ex eâdem Corpus conformavit.

3. Corpus illud animavit, ſive Animam Rationalem cum eo univit, *Pſ.* 118. 23. à Deo *hoc factum* eſt, Luc. 1. 35. Matt. 1. 18.

Non quaſi Chriſtus eſſet *Filius Spiritûs S.* (ut ſomniârunt *Weigeliani*, aliiq;.) Imo *Dei Filius* vocatur non propter miraculoſam conceptionem à Spiritu S. ſed propter æternam ipſius generationem, *Pſ.* 2. 7. attamen ex Sanguine & Subſtantiâ Virginis, quoad Carnem, ut prædixit propheta, *Iſa.* 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Immanuel*; Quod quidem Vaticinium in Jeſu Chriſto à virgine Mariâ concepto impletum eſt. Licet enim nec Conceptio nec Nativitas de divinâ Naturâ prædicari poteſt; Hæc tamen & alia tam divina quam Humana *Perſona* illius tribuuntur cum reſpectu ad naturam vel expreſſo vel ſubintellecto.

Hinc Beata Virgo concepiſſe & peperiſſe dicitur *Filium Dei*, θεάνθρωπον, & rectè vocatur θεοτόκος, uti ex Luc. 1. 31, 32. *Concipies* —— *& vocabitur Filius Altiſſimi*; & v. 35. *Id quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur, Filius Dei*; undè v. 43. *Maria* vocatur *Mater Domini.* Accinit *Gal.* 4. 4. nec non *Rom.* 9. 5.

Obj. Quod non incipit non concipitur & naſcitur; ergò ſi Chriſtus per conceptionem inceperit, aut non Deus eſſet, aut Deus eſſe incepiſſet.

Deus,

Deus ſive *Perſona* in S. Trinitate & Divinâ Naturâ Chriſti abſolutè & in ſe conſiderata, non incepit per conceptionem; attamen quâ θεάνθρωπος, ita incepit. *Sol.*

Marcionitæ & *Valentiniani* meritò *Hæretici* habebantur, qui Chriſtum corpore Imaginario Judæos deluſiſſe affirmârunt. *Mennonitæ* inſuper & quidam *Anabaptiſtæ*, qui Chriſtum è Cœlo carnem attuliſſe, & per Virginem tanquam per tubum tranſiiſſe docuerunt: Redemptio enim promiſſa per *Semen Mulieris*, Gen. 3. 15. per *Semen Abrahæ*, Gen. 22. 17. per *Semen Davidis*, & *fructum ventris Mariæ*, Luc. 1. 42. adeóq; per verum hominem, negatur ab iis, & Chriſtum verum hominem eſſe non agnoverunt.

Ipſa Caro Chriſti dicitur è Cœlo deſcendiſſe, *Joan.* 6. 51. *Ego ſum panis qui deſcendi è Cœlo*; & ſubjicit, *Panis quem dabo eſt caro mea*; & Eph. 4. 10. *Idem aſcendit, qui priùs è Cœlo deſcenderat*, & Joan. 3. 13. *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit è Cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo.* *Obj.*

Alii alitèr atq; alitèr reſpondent.

1. *Vivifica* ejus Vis è Cœlo eſt. 2. *proprietas Naturæ* tribuitur Perſonæ reſpectu iſtius Naturæ. 3. *Eadem Perſona* & aſcendit & deſcendit. 4. *Chriſtus* dicitur deſcendiſſe ob inſignem illius manifeſtationem in Carne. *Sol.*

1 *Cor.* 15. 47. Chriſtus appellatur *Secundus Adam cœleſtis è Cœlo.* *Obj.*

1. Per Communicationem idiomatum, proprietas Naturæ tribuitur Perſonæ reſpectu iſtius Naturæ. *Sol.*

2. Deſcenſus de quo ibi Apoſt. intelligi poteſt de *Secundo* Chriſti *adventu*, ibi enim agit Apoſt. de Reſurrectione, ac proinde de adventu qui circa Reſurrectionem futurus eſt.

II. *Unio Perſonalis* eſt, quâ ſecunda Perſona Trinitatis Naturam humanam, propriâ Perſonalitate deſtitutam, aſſumpſit, & cum Naturâ ſuâ divinâ ità connexuit, ut ſervatis utriuſq; Naturæ proprietatibus, in unâ Perſonâ fit θεάνθρωπος.

Hæc alias in Scripturis vocatur ἐπίληψις *Aſſumptio*, Heb. 2. 16. κοινωνία σαρκὸς καὶ αἵματος, Heb. 2. 14. λῆψις τῆς μορφῆς δούλου, Phil. 2. 7. *Captio* ſeu *aſſumptio formæ ſervi*, à Patribus interdum ἕνωσις & σάρκωσις.

Unio hæc (quæ re ipſa una eſt) conſideratur interdum, ut

Immediata, quâ Perſona Filii Naturæ humanæ unita eſt, *Joan.* 1. 14. *Phil.* 2. 6, 7.

Mediata, quâ mediante *Perſona* facta eſt *Naturarum* unio; Humanæ enim Naturæ unita eſt divina non niſi in *Perſonâ* τοῦ λόγου, unde nec Pater nec Spiritus S. eſt incarnatus, etiamſi eadem ſit τοῦ λόγου, Patris & Spiritus S., natura. *Filius* incarnatus, & natura ejus; ſed ille per ipſum immediatè, natura ejus, mediante *Perſonâ.*

In hâc unione præcipuè notanda ſunt
- *Quænam uniri dicuntur.*
- *Quibus proprietatibus* explicabatur à Concilio *Chalcedon.* contra *Euthychianos Neſtorianos.*
- *Quænam* illius *Effecta* ſeu *Conſequentia.*

1. *Quænam uniri dicuntur*, nempe

(a)

(a) *Filius Dei* & *Natura humana*, ut (*b*) una ſit Chriſti Perſona duabus illis naturis, idq; (*c*) *Virtute* Spiritus ſancti.

(*a*) Luc. 1. 32. *Filius Altiſſimi vocabitur*, & v. 35. *vocabitur Filius Dei*, Gal. 4. 4. Phil. 2. 6, 7. Hinc Maria *Mater Domini* vocatur Luc. 1. 43. Rom. 1. 3.

(*b*) Matth. 1. 23. *Immanuel*, i. e. *Deus Nobiſcum*, Rom. 9. 5. *Chriſtus qui ex Patribus fuiſſe dicitur ſecundum carnem dicitur etiam ſupra omnes Deus in ſæcula benedictus*.

(*c*) Matth. 1. 20. *Quod in eâ natum, eſt de Spiritu S.* Luc. 1. 35. *Virtute Altiſſimi*. Neq; *immaculata* fuiſſet *Conceptio* ſi modo Ordinario, neq; *à Virgine* ſi juxta *Naturæ* ordinem.

2. *Proprietates* quibus explicatur à Concilio *Calcedon.* contra { *Eutychianos* *Neſtorianos*, } ſunt

Ἀδιαιρέτως *individualitèr*, ita uniuntur *Filius Dei* & *Humana Natura*, ut ſit una individua perſona, *Gal. Miſit Filium ſuum. Neſtoriani* duas in Chriſto Perſonas eſſe docuerunt; Deumq; Homini per gratiam ſingularem aſſiſtere, & Chriſtum Hominem ſolummodo Natum & Crucifixum, *&c.* & proinde Virginem fuiſſe Χριστοτόκον non Θεοτόκον; quæ Hæreſis priùs damnata erat Conc. *Epheſ.* Non igitur duæ ſunt Perſonæ aut duo Chriſti, ſed una Perſona, & unus Chriſtus.

Ἀσυγχύτως *inconfuſe*, manentibus ſuis cuiq; naturæ proprietatibus, *Rom.* 1. 3, 4. *Factus ex Semine Davidis ſecundum Carnem declaratus Filius Dei potentia ſecundum Spiritum Sanctificationis*, Rom. 9. 5. 1 Pet. 3. 18. 2 Cor. 13. 4.

Ἀτρέπτως *inconverſè*, una natura nequaquam in alteram mutatur; *Eutyches* enim docuit

Verbum mutatum fuiſſe in Carnem abſolutam à Deitate, & quamvis ante *Unionem* duæ fuiſſent Naturæ, tamen poſt Unionem ambas in Unam coaluiſſe, adeoq; Deitatem paſſam, &c.

Ἀχωρίςως *inſeparabiliter*, eo quod *Unio Hypoſtatica*, nequidem Morte, ſolvebatur, etiamſi enim ruptâ unione naturali ſeparabantur Corpus & Anima, integra tamen manſit Unio perſonalis Naturæ divinæ & humanæ.

3. *Effecta* ſeu *Conſequentia* hujus Unionis ſunt *Communicatio Chariſmatum*, *Idiomatum*, *Apoteleſmatum*.

1. *Communicatio Chariſmatum* eſt, quâ Dona præcellentia (finita tamen) Humanæ Chriſti Naturæ propter Unionem conferebantur, ut ſunt *Sapientia*, *Sanctitas*, *Dignitas*, Iſa. 11. 1, 2, 3. Joan. 3. 24. *Non ad Menſuram dat Deus illi Spiritum*, Heb. 1. 9. *Unctus eſt ultrà conſortes.*

In Chriſto fuit *plenitudo Divinitatis* & *Unionis abſoluta*, at plenitudo Gratiæ in ipſius Humanitate intelligenda eſt ſecundum quid, nempe pro capacitate Recipientis; unde incrementi capax erat, *Luc.* 2. 52.

Ex *Unione* hâc acceſſit Humanæ Chriſti naturæ Dignitas; quâ etiamſi non ipſa Caro Chriſti, Chriſtus tamen in Carne ſit adorandus, *Heb.* 1. 6. *Adorabunt eum omnes Angeli.* Phil. 2. 10, 11. *Dedit ei nomen ſupra omne nomen, ut ad nomen Jeſu omne genu flectatur.*

2. *Communicatio Idiomatum*, eſt quâ Perſonæ ab alterâ naturâ denominatæ tribuantur proprietates naturæ alterius, ut *Act.* 20. 28. *Deus ſuo ſanguine Eccleſiam acquiſivit.* Gal. 4. 4. *Filius Dei factus ex Muliere dicitur*, 1 Cor. 2. 8. *Dominus Gloriæ crucifixus.* Hu-

Hujuſmodi prædicationes fieri dicuntur in *Concreto*, i. e. Subjectum in Propoſitione eſt Concretum, vel ex Perſonâ & Naturâ alterâ, ut Deus, Homo, Filius Dei; vel ex Perſonâ & Officio, ut Chriſtus, Jeſus, Immanuel; non in *abſtracto*, ut *non Deitas Caro facta eſt*, *non Caro eſt Omnipotens*, &c.

Imò ſicut *Proprietates*, ita utraq; Natura prædicari poteſt de Perſonâ in *Concreto*; ſic ex hâc Unione *Deus eſt Homo*, quia Deus eſt nomen Concretum Perſonam denotans, quæ in eâ Propoſitione conſideratur ſecundum Naturam humanam.

In hoc errant *Ubiquitarii*, quod non tantùm *Proprietates* utriuſq; naturæ prædicari de Perſona κατ' ἄλλο ϰ̀ ἄλλο, quod nos agnoſcimus; verum etiam tranſlationem Proprietatum unius naturæ in alteram admittunt, ut propria Divinæ Naturæ communicari Humanitati, Humanam ſcil. naturam Chriſti eſſe omnipræſentem, *&c.*

3. *Communicatio*, ſeu potius *Communio Apoteleſmatum* eſt, quâ utraq; Chriſti Natura quod ſuum eſt confert ad Opera Mediatoria, quæ propterea Opera θεανδρικὰ dicuntur.

'Αποτέλεσμα eſt, *Opus ab utraq; Naturâ peractum*, ex ἀποτελέω *perficio*. Sic ad Redemptionem Humana Natura contulit *Paſſiones*, Divina *ſuſtentationem Humanæ*. In Adminiſtratione ultimi Judicii *Viſibilis illius proceſſus*, *Sententiæq pronunciatio* voce ſonorâ, *&c.* erit ab *Humana naturâ*. *Scrutatio Cordis*, *ſingulorum factorum ſingulis repræſentatio*, *Æternaq; Remuneratio*, à *Divinâ*. haud abſimili modo in miraculis edendis, Gubernandâ Eccleſiâ, aliiſq; Operibus ab utrâq; naturâ peractis, quævis quod ſuum eſt confert.

III. *Nativitas* etiam ad *Incarnationem* refertur.

Hæc partim fuit *Supernaturalis* & *Extraordinaria*, quatenùs à *Virgine*, &c. *Iſa.* 7. 14. partim *Naturalis*, quatenus in *Utero Matris conformatus, altus*, & *poſt novem menſes* in Lucem editus, *Luc.* 2. 6. *Impleti erant dies ut pareret.* Nec credendum eſt, eum per clauſum Matris uterum penetrâſſe, cùm nullibi Scriptura id doceat, ſed contrarium potiùs colligendum ex eo quod *Luc.* 2. 23. illi applicatur illud *Exod.* 13. 2. *Omne maſculum aperiens matricem, ſanctum Domino vocabitur.* Nec inde ſequeretur Chriſtum clauſum Matris uterum penetrâſſe, quod Maria *in partu* & *poſt partum Virgo* manſert: Virginitas enim non violatur partu, ſed per congreſſum cum viro.

Nativitatis Circumſtantiæ notabiliores ſunt { *Locus*, *Tempus*.

Locus erat *Bethleem*, cujus prædictio extat *Michæ* 5. 2. *Et tu Bethleem Ephrata parvula es in millibus Judæ, ex te mihi egredietur qui erit Dominator in Iſrael.* Impletio vero refertur, *Matt.* 2. 1, *&c.*

Tempus. Naſci debuit Meſſias, juxta *Jacobi* vaticinium, dum reliquiæ quædam Imperii & dominationis penes *Judæ* poſteros extarent, *Gen.* 49. 10. *Non auferetur Sceptrum è Judâ, neq; Legiſlator à medio pedum ejus uſquedùm venturus erit Silo.* Anno autem Chriſti decimo *Archelao Viennam* relegato *Judæa* à Romanis in formam Provinciæ redacta erat; & poſt Chriſti Aſcenſionem per *Titum Veſpaſianum Dignitas* illa *Legiſlatoria* penitùs ſublata eſt.

Quæſt. *Num Meſſias promiſſus dudùm venerit?* Affirm.

Arg. 1. *Meſſias venturus* erat, *durante Sceptro Judaico*, Gen. 49. 10. Non

Non indè colligi poteſt *Meſſiam* jam veniſſe, Sequeretur enim (ſi venturus *durante Sceptro Judaico*) quod advenerit ante *Captivitatem Babylonicam*, quâ Sceptrum ablatum fuit à *Judâ*. *Obj.*

Non dixit *Patriarcha*, *Regem* ſemper fore de tribu *Judâ* regnaturum uſq; ad adventum *Meſſiæ*, ſed *Sceptrum*, ſcil. *Politiam*, in *Juda* duraturam, multo minùs Regnum nunquam ab aliquo ad tempus tyrannicè occupandum; manſit ergò Judiciaria Poteſtas utcunq, interdum interrupta, etiam in *Captivitate Babylonicâ*, *Jeconiæ* aliorumq; temporibus fuerunt qui Regis Locum in *Judâ* habuerunt *Zerubabel* & *Nebemiah* qui fuit è tribu *Judæ* (juxta *Euſeb. in Chronic.* p. 156. unde *Nebemiah* iſte qui refertur ad Sacerdotes, *c.* 10. alius erat ab illo, ut conſtat ex *Nebem.* 7. 5, 7. duos fuiſſe *Nebemias*) *Macchabæi* quamvis ex tribu *Levi*, *Judæ* præerant; & Regni *Judææ* eſſe cenſebantur, ſicut *Benjamitæ*, quorum Tribus cum *Judâ* rediens è Captivitate tribui *Judæ* per modum acceſſionis annumerabatur. *Sol.*

Venturus erat *Meſſias Deſiderium Gentium* ſtante Templo ſecundo, *Hag.* 2. 7, & *Mal.* 3. 1. illud Gloriâ impleturus; ſedam ante mille & Sexcentos annos in cineres redactum eſt. *Arg.* 2.

Per *Deſiderium Gentium tunc venturum* intelligi poſſunt pretioſi Theſauri à Gentibus in Templum introducti; & major eſſe dicitur gloria Secundi futura, eo quod Domus prior ſtetit annos duntaxat 410. Domus ſecunda 420. *Obj.*

Prophetia illa non intelligi poteſt de gloriâ ſæculari & externâ, ſed Spirituali, prior enim intùs & foris auro puriſſimo obducta dicitur, 2 *Chron.* 3. 7, &c. 1 *Reg.* 6. Secunda prioris gloriæ nullatenus reſpondebat: *Hagg.* 2. 3. *Ezra* 3. 12. & turpioribus ingloriæ maculis Secundam dedecorârunt Profanatio & Deprædatio *Sol.*

 illius

illius ab *Antiocho* & *Ptolomæo*, *Craſſo* & *Caligulâ*, quàm decem annorum duratio potuit eluere Intereà Gloriam Secundæ in eo ponit, *Malach.* 3. 1. *Quod in eam venturus erat Dominus quem exoptabant.*

Arg. 3. Naſci oportuit *Meſſiam* in‵ra ſeptuaginta Septimanas, quas memorat *Daniel.* 9. 26. poſt *Septimanas* 62. excidetur *Meſſias* —— *medio Septimanæ abolebit Sacrificium*, &c.

Obj. Una forſan *Danielis* Septimana centum aut mille annos denotet; nec de earum initio convenit.

Sol. Eſto; ſed ſi nondùm effluxerint, oſtendi debet ubinàm locorum *Judæi* hodiè ſacrificant. *Daniel* enim diſertè aſſerit *Meſſiam* exhibitum & exciſum fore antequàm ceſſarent Sacrificia.

Quæſt. *Num Jeſus Nazarenus fuit promiſſus Meſſias?* Affirm.

Arg. 1. Omnia de *Meſſia* vaticinia in eum exactiſſimè quadrant. Quædam etiam nulli niſi *Jeſu Nazareno* applicari poſſunt, *ex. gr.* Iſa. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet*, &c. quod in *Jeſu Nazareno* verificatur, *Matth.* 1. Qui, ut Deus ſolus pro patre agnoſceretur, nullum in Terris patrem habuit. Ex Virgine autèm deſponſatâ Viro, ut tùm caſtæ Virginis famæ, tum naſcituro filio, nè ſpurius putaretur, conſultum eſſet.

Excep. Vox Hebræa *Iſa.* 7. 14. non *Virginem* ſtrictè dictam, ſed *Juvenculam* quandam notare potuit, quæ ex Marito paritura, filium ederet, Regi *Ahaz* in Signum, ſcil. liberatum, fore à Regibus *Syriæ* & *Iſraelis* antequàm puer naſciturus ſciret *reprobare malum* & *eligere bonum.*

Sol. 1. Vox iſta *Hebræa* ſemper in Scripturis denotat *Virginem* ſtrictè ſic dictam, quod objiciunt è *Prov.*

Prov. 30. 19. *de Viâ Viri cum Virgine* intelligendum eſt de illâ, quæ uſquedum à viro fuit ſeducta Virgo fuit, & poſtea pro Virgine haberi vellet.

Præter ſenſum literalem Simplicem, quandoq; compoſitus ſeu mixtus, præeunte Scripturâ, admittendus eſt; ſicut Allegoricus iſte de *Hagare* & *Sarah*, Gal. 4. ità quamvis ea quæ loco citato dixit *Iſaias* de Fæmellâ quadam Virgine (ſed mox viro locandâ) primariò efferebantur; poſſint tamen ſimul in Beatâ Virgine cum fructu Ventris ſui completionem habuiſſe. Nulli certè niſi Chriſto convenit pars præcipua iſtius Vaticinii, *Vocabitur Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, *Pater futuri Sæculi*, *pacis Princeps.* Adde (quod objiciunt nonnulli) licet nomen *Immanuel Jeſu Nazareno* non impoſitum fuit, erat tamen quod nomen illud refert. Probè inſuper notum eſt quod *Vocari* & *Eſſe* ſtylo Scripturæ ſæpè idem ſunt, *Prov.* 16. 21. & 24. 8. *Iſa.* 1. 26. & 4. 3. & 58. 12. & 61. 6. 2.

Naſci debuit *Meſſias* in *Bethleem*, Michæ 5. ſtante *Hieroſolymâ*, ibiq; *Jeſus Nazarenus* natus erat; *Matth.* 1. *Luc.* 2. Everſæ autem ſunt & *Bethleem* & *Jeruſalem*; ergò jamdudum natus eſt. *Arg.* 2.

Hodiè Chriſtiani ad locum illum excurrunt devotionis cauſ, etiamſi mutentur eorum nomina. *Excep.*

Meſſias naſci debuit *ſtante illâ Hieroſolymâ*, quam *Judæi* reſtauratuis erant quando *Captivitas Babylonica* erat terminanda. Hoc enim promiſſum fuit in Captivorum ſolatium. Neq; alium ibi unquàm natum legimus cui aut vaticinia aut Indicia *Meſſiam* ſignantia poſſint ullatenùs cum ratione accommodari. *Sol.*

Mira-

Arg. 3. *Miraculis* planè *divinis* autoritatem ſuam confirmavit.

Agnovit hoc *Nicodemus*, Joan. 3. 2. *Scimus quod à Deo veniſti, Nemo enim ſigna præſtare poteſt, niſi Deus cum eo fuerit.* Et ſi *Moſi* propter miracula fides adhiberi debuit, multo magis Chriſto. Juxta calculum Judæorum *Moſes* 76 miracula edidit; reliqui omnes prophetæ ſimul 74. tot vero Jeſus, ut *Joannes* exiſtimaverit *Mundum non capturum Libros ſi ſcriberentur*. Ingens certè fuit eorum numerus; unde ad Opera ſua multoties provocavit, *Joan.* 5. 36. & 10. 37, 38, *&c.*

Arg. 4. Ipſum eſſe *Meſſiam* promiſſum, indicant *Vocatio Gentium, Ceremoniarum Legalium abrogatio, Ipſorumq; Judæorum Rejectio indiciis haud obſcuris ſignificata*, Deut. 32. 21. *Et ego provocabo eos in eo qui non eſt populus*, Iſa. 2. 18. & 19. 19. *In die illa erit Altare Domini in medio Ægypti*; & 49. 6. *Ecce dedi te Lucem Gentium*, &c.

Arg. 5. Adventu *Meſſiæ* abolenda erat *Idololatria*, & *Oracula defectura*, Iſa. 2. 18, 20. *Simulachra projicient talpis & veſpertilionibus.* Id factum fuiſſe teſtantur ipſi Ethnici, *Juven. Sat.* 6. *Cicero de Divinat.* & *Plutarch.* dum cauſam ejus inquirunt, ſed Evangelium, quod ignorantes invenire non poterant, De Victis illis Hoſtibus triumphans in luce poſuit.

Nihil obſtat quod adhuc obtinet Idololatria locis quibuſdam Luce Evangelii nondum illuſtratis, neq; quod inter ipſos Chriſtianos quidam Sanctos mortuos & panis particulam pro diis colant; quoniam ab inſtitutis Magiſtri ſui eatenùs deceſſerunt, illamq; Defectionem Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt & prænunciárunt.

Obj. *Iſa*, 11. 6, *&c.* tempore *Meſſiæ habitabit Lupus cum Agno, pardus cum Hœdo*, &c. *Non diſcent ultrà bellum.* Contrà autèm Jeſus ipſe dicit,

cit, *Matth.* 10. 34, 35. *Non veni pacem mittere ſed Bellum.*

Propheta de genio Doctrinæ loquitur; quâ nulla magis tendit ad Pacem & Fœlicitatem; Chriſtus dicto loco de Eventu, qui non Doctrinæ, ſed hominum ſeſe illi opponentium malitiæ tribuendus eſt; nec quidquam magis adverſatur doctrinæ Evangelii quam quæ in Bellis exercetur laniena, abſq; ſummâ neceſſitate. *Sol.* 1.

Non tantùm pacem ſæcularem & externam, ſed pacem cum Deo, & inter Judæos & Gentes denotant locutiones illæ figuratæ. 2.

Non neceſſe eſt, ut omnia per *Meſſiam* adventura beneficia, ad ſæcula Incarnationi propiora reſtringantur; quod nondum impletum eſt poſthàc præſtabitur. 3.

Meſſias Judæos per orbem diſperſos in terram ſuam reducet, *Deut.* 30. 4, 5. Sed contra major diſperſio facta eſt ex adventu *Jeſu Nazareni.* *Obj.*

Si revertimini ad me, Nehem. 1. 9. Non *ſi Meſſiam promiſſum perſequimini & maledictis inceſſeritis.* Conditionem præſtent & in *Canaan* vel poſſeſſionem longè potiorem reducet eos. *Sol.*

Elias nondum rediit; ergò nec adhùc *venit Meſſias*, Mal. 4. 5, 6. confer cum *c.* 3. 1. *Iſa.* 40. 3. Sed quærentibus *Phariſæis*, Joan. 1. 21. *Elias es tu?* Baptiſta reſpondet, *non ſum.* *Obj.*

Non ipſe propheta *Thesbites*, ſed quæ de *Eliâ* vaticinata erant in ſe quadrare agnoſcit. Et ex Chriſti expoſitione ipſe erat *Elias* qui venturus erat. *Matth.* 11. 10. & 17. 12. Sic *Neſtoris* nomen uſurpatur pro *prudenti*, *Crœſiq;* pro *Divite. Auguſto* familiare dictum (teſte *Sueton.*) *Contenti ſimus hoc Catone. Davidis* nomen tribuitur *Meſſiæ*, &c. *Jer.* 30. 9. *Ezek.* 34. 23, *&c. Eliæ* nomen indicavit virum Spiritu & Donis *Eliæ* imbutum, *Luc.* 1. 17. *Sol.*

Meſ-

Obj. *Meſſias* futurus erat ſuper populum *Iſra.* tanquam *Davidis* Hæres regnaturus; in Jeſu autem nihil Regium apparuit.

Sol. Regnum obtinuit ſuper Dei populum, ſed alterius generis quàm expectârant Judæi, *Zach.* 9. 9. *Rex tuus tibi venit juſtus & humilis*, &c. Ità *David* de ſe tanquam typo *Meſſiæ*, Pſ. 22. 6. *Vermis ſum & non homo*, *Abjectio plebis*, &c. *Foderunt manus & pedes*, 16. *Super Veſtimentum miſerunt ſortem*, 18. Etiam, *Iſa.* 53. per totum.

Obj. *Judæi* ſub mortis pœnâ tenebantur Synedrio 70 Seniorum obedire, *Deut.* 17. 8. Quoniam igitur Synedrium non agnovit *Meſſiam*, populus ſub inevitabili errandi neceſſitate fuiſſet, ſi Jeſus, quem Synedrium rejecit, *Verus* fuiſſet *Meſſias*.

Sol. Synedrium poteſtatem non habuit decernendi pro arbitrio in Rebus fidei; ſed inter Sanguinem & Sanguinem, Lepram & Lepram judicio quodam ſupremo (& fallibili potiùs quam nullo) in cauſis ſcil. quas decidi oportebat ad pacem publicam conſervandam.

Habuit etiam poteſtatem Judicandi de Pſeudoprophetis, qui, ſub ſpecie Revelationum, populum à *Lege & cultu Dei veri* abducere tentarent; non de *Controverſiis Religionis* quibuſcunq; ideoq; non judicârunt de litibus inter *Phariſæos*, *Eſſenos*, & *Sadducæos*, quia Legi adhærere profitebantur, & ſæpè in Judiciis errantes à Veris prophetis reprehendebantur; & populus non ſimplicitèr iis parere tenebatur, niſi docentibus ſecundum Legem Dei, unde multi mortem ſubierunt potiùs quam iis obedirent.

Obj. Jeſus & illius Apoſtoli Legem *Moſaicam* improbârunt, quæ ex inſtitutione divinâ in æternum erat duratura, ergò non verus erat *Meſſias*.

Mo-

Moralia Legis non abolevit, ſed ſtabilivit *Sol.* 1. *Matt.* 5. 18. *Rom.* 3. 31. quæ addi putantur, ſunt primæ Dei intentioni, cum Legem tulit, conſentanea; quod ipſi negare non audent; & Ceremonialia, dum in terris fuit obſervavit, Calumniàs de violato Sabbato ex ipſâ Lege & praxi quotidianâ deterſit & detrivit, à Leprâ ſanatos ad Sacerdotes remiſit, Feſta ſolennia ritè celebravit, *&c.*

Apoſtoli non propriè Ceremonias abrogârunt, ſed Fideles ex Gentibus ad eas non obligari docuerunt, & Liberum fecerunt Judæis eas retinere ſi vellent, quamvis non ex Neceſſitate ad Salutem.

Jer. 31. 31. Deus prædixit ſe novum fœdus pacturum cum domo *Iſr.* & *Judæ* non ſecundum quod pepigit cum patribus, *&c.* Hinc colligitur Propoſitum illius tum de abrogatione Legis *Moſaicæ*, tum de *novæ* introductione. Hoc per *Meſſiam*, ſi unquam, præſtandum non negabunt ipſi Judæi.

Innovatio iſta quodammodò incepit paulò poſt duram eorum captivitatem; quædam tamen tunc promiſſa, ſcil. inſcriptio Legis in cordibus eorum, *&c.* nondum penitùs impleta eſſe videntur.

In Deum non cadit conſilii mutatio, & Lex *Inſt.* in æternum duratura, quod de Circumciſione, Paſchate, Sabbato, & Sacrificiis in Scripturis disertè docemur.

Nulla eſt Conſilii mutatio, nec voluit Deus *Sol.* rituales iſtas Leges durare, niſi quamdiù perſtaret Politia *Judaica.* Et non inconſtans eſt Rex ille qui pace cum hoſtibus conventâ, Leges quaſdam abrogat, quas tempore Belli, illiq; ſoli accommodas conſtituerat.

Dein

Dein illa ſæpe dicuntur in æternum durare, quæ inde ſolummodo diſtinguuntur ab iis quæ pro re natâ inſtituebantur, aut citò deſitura; ut quæ præcipiebantur quamdiù in deſerto, aut dum Tabernaculum & Arca fixam ſedem non habebant; ut *Num.* 1. 50, 51. & *Deut.* 23. 12. &c. ſic dicebatur Servus æternum Domino ſuo ſervire, qui ad annum Jubilæi tantum aſtrictus fuit, *Exod.* 21. 6. *Deut.* 15. 17. ità etiam Poëta,

Serviet æternum qui parvo neſciat uti.

Et Sacrificia, *&c.* continuanda erant ſtante Templo, & ordine Eccleſiaſtico Judæorum. Prædicta autem mutatio non legitimè niſi autoritate *Meſſiæ* fieri potuit.

Præter Incarnationem (de quâ hactenùs) Alii numerantur Humiliationis Gradus, quorum notitiam nobis perhibuerunt Evangeliſtæ, ut

II. *Vita ærumnoſa.*

III. *Crucifixio*, cujus notanda

- *Antecedanea* ſcil. / *Executio*, quæ:
  - Judæ Proditio.
  - Deductio ad Conſeſſum Sacerdotum.
  - Variæ Deriſiones.
  - Traditio in manus Gentium præcipuè *Pilati.*
  - Flagellatio.
  - Condemnatio.
- *Violenta*, *Acerbiſſima*, *Maledicta.* — Deut. 21. 23. Gal. 3. 13.
- Conjuncta cum:
  - Summis Animi doloribus, *Matt.* 26. 37. *Luc.* 22. 44. *Matt.* 27. 46.
  - Divinæ virtutis occultatione, *Pſ.* 18. 5. 116. 3. & 86. 16.

Mors,

Mors, quâ verè Anima à corpore, quoad unionem, fuit ſeparata, manente Unione *Hypoſtaticâ*. IV.

Sepultura, quâ Corpus Chriſti in Sepulchro fuit conditum, non ut corrumperetur *Pſ.* 16. 10. *Act.* 2. 31. & 13. 35. ſed ut Argumentum eſſet Chriſtum verè mortuum eſſe, cujus certitudo ſancita fuit publico teſtimonio Judicis, & publico actu de illius ſepulturâ. V.

Hujus Sepulchri obſervanda,

Qualitas, quod fuit novum, ne poſteà quiſquam alius reſurrexiſſe fingeretur.

Cuſtodia, per ſaxum ingens, Sigilli impreſſionem, & Militum cuſtodientium appoſitionem.

Deſcenſus ad Inferos; —— de quo Theſes haſce ſubnectere juvabit. Deſcenſus Chriſti ad Inferos non totidem Verbis inde ab Apoſtolorum tempore in *Symbolis Chriſtianiſmi* reperitur. Non tamen Fidem Chriſtianam depravarunt, qui Articulum iſtum *Symbolo* inſerverunt; nam Veritatem illius Patres agnoſcunt, Scripturæ teſtantur *Pſ.* 16. 10. *Act.* 2. 27. & tota Eccleſia per multa ſæcula id ipſum agnovit & profeſſa eſt. VI.

Vox Hebræa שאול, Græca Ἅδης, Latina *Infernus*, interdum ſignificat *Sepulchrum*, interdum *Locum Reprobis puniendis deſtinatum*, interdum *dolores eximios*, interdum *Poteſtatem & Dominium Mortis*.

Non innuit, Chriſtum duntaxat verè mortuum & ſepulchro conditum fuiſſe, ſive ad Statum mortuorum tranſiiſſe (ac ſi damnaret ſolummodò *Valentini* Hæreſin) *Mors* & *Sepultura* Chriſti claris verbis priùs enunciata erant, certè non obſcurioribus poſteà indicarentur.

Qui

Qui per Infernum, *Locum Damnatorum* intelligunt, Chriſtum illuc deſcendiſſe aiunt; aut ut Evangelium ibi prædicaret, aut ut victorem ſe declararet, & triumphum inchoaret. Sed ibi non eſt Prædicationi, & Pœnitentiæ locus. Verba enim *Petri* 1 Epiſt. 3. 19. intelligenda ſunt de Spiritu ſancto per os *Noa* immorigeris prædicante. Neq; Anima Chriſti à corpore in Sepulchro jacente ſeparata victorem ſe eſſe oſtenderet; ſed potiùs ſub morte adhùc detineri. Dein Latroni dixerat, *Hodiè mecum eris in Paradiſo.*

Dolores eximii (utut infernales quandoq; vocentur) non videntur deſignari per deſcenſum Chriſti ad Inferos; Chriſto enim moriente dolores ejus ceſſârunt, & immethodica admodum videretur narratio eorum quæ de Chriſto dicuntur, ſi poſt Paſſionem ſub *Pilato*, Mortem, Sepulturam, iterum dicatur illum ulterius paſſum fuiſſe.

Per Infernum, quò Chriſtus deſcendiſſe dicitur, intelligi poteſt, vel *Mortis Poteſtas* & *Dominium triduanum* ut Apoc. 20. 40. *Mors & Infernus immiſſa ſunt in Stagnum ignis.* Non enim propriè dici poteſt Stagnum ignis in Stagnum ignis mitti, vel Paradiſus quam Chriſtus pœnitenti Latroni cum ſeipſo intrandam promiſerat; ſive Locus, ſive Status ſit ærumnis & infœlicitate immunis.

SECTIO III.

STatus Exaltationis eſt quo Chriſtus è mortuis Die tertio reſurgens, aſcendit in Cœlos, conſedit ad Dextram Dei, inde venturus ad Judicium. Qua-

Quatuor ergo Statûs illius ſunt Gradus, de ſingulis brevitér.

Reſurrectio; Secundum Humanam naturam Virtute Deitatis reviviſcens Victor Mortis exiit è ſepulchro, Corpore & animâ iiſdem quæ priùs depoſuerat, iiſdemq; proprietatibus quibus anteà prææditus, ſed glorificatis.

Hinc Corpus ejus manſit *viſibile*, *tactile*, *vulnerum indiciis inſignitum*, *Quantum* & *Circumſcriptum*. Malè ergo *Pontificii* & *Ubiquitarii* omnes dimenſiones Corpori illius glorificato auferunt. Inviſibilis interdum factus erat *Luc.* 24. 31. non evaneſcendo tenues in auras, ut olim *Marcionitæ* ſomniârint, ſed vel Apoſtolorum oculos cohibendo, vel celerrimè ſe ſubducendo. Veniſſe quidem ad diſcipulos dicitur veſperi, & ſtetiſſe in medio, cum clauſæ fuerint januæ, ſed non dicitur portas penetrâſſe; celerrimè Creatura poteſt Creatori cedere citra penetrationem dimenſionum.

Corporis glorificati ſpecimen erat admiranda illa Agilitas quâ poſt Reſurrect. brevi admodum temporis ſpatio diverſis locis videndum ſeſe exhibuit.

Non modò reſuſcitari dicitur, ſed & reſurrexiſſe, *Rom.* 14. 9. 2 *Theſ.* 4. 14.

Reſurrectioni Chriſti tribuitur *Juſtificatio* noſtra, *Rom.* 4. 25. *Phil.* 3. 11. collato cum V. ſuperioribus. *Traditus propter peccata, reſuſcitatus propter Juſtificationem noſtram*; inde fit applicatio Juſtitiæ per Mortem & Satisfactionem Mortis Chriſti nobis partæ. Hinc, *Si Chriſtus non reſurrexiſſet, adhuc eſſemus in peccatis* 1 Cor. 15. 14. 17. Licet morte ſua nobis Remiſſionem & Juſtitiam promeruiſſet, non tamen applicata nobis fuiſſent illa beneficia, ſi in morte manſiſſet. Paritèr & *Regeneratio noſtra* huic tribuitur *Rom.* 6. 4, 5, 8. 2 *Cor.* 5. 15. *Col.* 2. 12, 13. & 3. 2. item *Reſurrectio noſtra glorioſa*, 1 *Cor.* 15. 20. *Salus noſtra Æterna*, 1 *Pet.* 1. 3, 4. & *Certitudo fidei Chriſtianæ*, &c.

Tertio die reſurrexit Mar. 16. 9. *juxta typum* Matt. 12. 40. Synecdochicῶs; parte primi, toto ſecundo, & parte tertii in Sepulchro jacuit.

Obj. Tum Veritas Antitypi non Typo reſpondiſſe videtur; ſicut Jonas *tres dies & tres noctes*, &c.

Sol. Non neceſſe eſt, ut uſq; quaq; & reſpectu omnium circumſtantiarum reſpondeat. Sufficit ad Veritatem, ſi Synecdochicῶs. Dies enim & nox unum duntaxat diem naturalem conſtituunt. *Eſth.* 4. 16. *jejunarunt 3 diebus & 3 noctibus, non integris*; nam c. 5. 1. Eſther *die tertio Regem adiit*; pars νυχθημέρου pro toto die naturali ſumitur.

In tertium diem diſtulit Reſurrectionem, ut conſtaret eum vere mortuum eſſe, non ultra triduum, ne labaſceret fides Diſcipulorum, ne derelictus in Sepulchro viſurus eſſet corruptionem.

Reſurrectionis Teſtes erant ipſi Hoſtes, Milites Romani, Angeli, Diſcipuli, qui nec de Perſonâ illius falli potuerunt, dum per 40 dies à Reſurrectione cum iis verſatus eſt, & quæ ad Regnum ſuum ſpirituale ſpectabant iis explicuit: nec ullatenùs credibile eſt eos technis & dolis alios omnes fallere auſos, non aliud operæ pretium reportaturos, quam nihil non in hâc vitâ experiri miſeriarum, & exquiſitiſſimis ſuppliciis in futurâ æternum excruciari.

II. *Aſcenſio in Cœlum*, quâ Naturam humanam, idemq; Corpus quo reſurrexit (non aliud ſpirituale, ut poſt Manichæos aſſerunt Sociniani) ſpectantibus diſcipulis, ſubvexit. Non merè diſparuit, ſive conditionem mutans in ſtatum abiit glorioſum, ſed viſibilitèr & localitèr in Cœlum ſupra cœleſtes Sphæras conſtitutum terrâ relictâ, ſe ſuſtulit, reverſurus ad Judicium, *Act.* 1. 11. *Eph.* 4. 10.

Quemadmodum neceſſe erat, ut terram deſereret, cùm in cœlos aſcenderet, paritèr neceſſe eſſet ut Cœlos quotidiè deſereret ſi (juxta Pontificios)

tios) ſe altari & Hoſtiæ modo corporeo præſentem exhiberet; præterea ipſe Chriſtus monet *Matt.* 24. 26. *Si dixerint vobis ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.*

Eph. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit,* per *deſcendit* Humiliatio intelligitur, non mutatio Loci, quidni per *aſcendit* intelligatur *Glorificatio,* & *ſtatûs* non *Loci* mutatio? *Obj.*

Cum deſcendit nondum erat Homo, ſed cum aſcendit Homo extitit cujus Naturæ *in Loco eſſe* appropriatur; ergò non ſola Glorificatio illius, ſed loci mutatio inditcaur. *Sol.*

Cum ſuis eſt ad conſummationem ſæculi, Matt. 18. 20. & 28, 20. *Obj.*

Sed ſecundum Divinam Naturam & Gratiam. *Sol.*

Niſi humana ſit ubicunq; Divina, divellerentur Naturæ. Humana non reſideret in cœlis, Divinâ ubiq; exiſtente. *Inſt.*

Humana non ſeparatur à Divinâ, Exiſtens enim in Cœlis unitur Divinæ, quæ eſt ubiq;. Neq; inde ſequitur quod duplex eſſet λόγος, ἔνσαρκος ubi natura nimirum in Cœlis, & ἄσαρκος ubi non eſt. Unio enim perſonalis non eſt co-extenſio aut æquatio duarum Naturarum, ſed Conjunctio in Perſonalitate Filii, ſervatâ utriuſq; Eſſentiâ & Proprietate. *Sol.*

Quærunt nonnulli, an tum primum aſcenderit, quia dicit ipſe Chriſtus, *Joan.* 6. 62. *Quid ſi videritis Filium aſcendentem ubi priùs erat,* & Joan. 16. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem.* Quæſt.

Non ibi loquitur Chriſtus de deſcenſu Humanæ Naturæ, ſed de Miſſione ſuà in Carnem, ejuſve in Mediatorem Ordinatione. *Reſp.*

Seſſio ad Dextram Dei, quâ ſignificatur illius Gloria; non quæ illi communis cum Patre, ſedet enim Spiritus S. ad dextram Patris, ſed Propria Regno ejus *Mediatorio*; ſumpta *Metaphora* à Regibus ter- III.

 renis,

renis, qui, quos honorare volunt, ad dextram ſuam collocant 1 *Reg.* 2. 19. *Pſ.* 45. 9. *Matt.* 20. 21. Unde hæc Seſſio ad dextram Dei indicat tum Gloriam ſummam, quâ Chriſtus nomen habet ſupra omne nomen *Eph.* 2. 20. 21. *Phil.* 2. 9. *Heb.* 1. 3. & 8. 1. tum Proteſtatem & Imperium in omnes Creaturas, Eccleſiæ Gratiâ, *Pſ.* 110. 1. 1 *Cor.* 15. 25. *Matt.* 28. 18. Et quoniam clariora Præſentiæ & Gloriæ Divinæ indicia in Cœlis exhibentur, quam alibi, & probabilitèr clariora adhuc in unâ aliquâ Cœli plagâ (quæ idcircò Thronus Dei dicatur) quam alibi, Chriſtum à Dextrâ Throni hujus ſedere credamus *Heb.* 8. 1. & 12. 2. *Angeli adſtant circa thronum Dei* Apoc. 4. Job 1.

Sedere dicitur ad dextram Dei, ſecundum utramq; Naturam. Secundum *Divinam*, non quaſi illi acceſſerit nova poteſtas aut Gloria; ſed nova manifeſtatio illius quam ab æterno habuit, *Job.* 17. 5. ſed ſine carne; carne veſtitus ſedere cœpit exacto tempore exinanitionis.

Secundum *Humanam*, quæ tunc accepit Poteſtatem & Gloriam, non ratione meriti, non enim Natura humana aut Unionem Hypoſtaticam meruit, aut quæ unionem neceſſariò ſequuntur, illa enim accepit dono *Phil.* 2. 9. propter quod donavit illi Nomen quod eſt ſupra omne Nomen, ἐχαρίσατο, debebatur autem Perſonæ ſecundum utramq; Naturam pro modo, conditione & incommunibus proprietatibus utriuſq; quemadmodum Filii hæreditas debebatur.

Obj. Si Chriſtus carne veſtitus ſedet ad dextram Dei, tum Caro Chriſti eſt ubiq; : Dextra enim Dei eſt ubicunq; illi placuerit gloriam ſuam manifeſtare.

Sol. Qui alicubi adſtat Omnipræſenti, ei adſtat qui ubiq; eſt.

Obj. Si ad dextram Dei ſedet in Cœlis uſque dum venturus ſit ad Judicium, quomodò *Paulus* eum ſe alloquentem audivit? *Act.* 9. Æq;

Æq; potuit *Paulus* loquentem *audire*, ac *Stephanus* eum *videre* à dextrâ Dei. *Sol.* 1.

Vocem audivit quam Chriſtus formavit, an in cœlo, an in aëre parùm refert. 2.

Quartus Exaltationis Gradus, eſt *Adventus Chriſti ad vivos & mortuos judicandos.* De quo infrà, de *Glorificatione.* IV.

Sectio IV.

De Officiis Chriſti Mediatoris.

Officia Chriſti *Mediatoris* ſunt, quæ Salutis noſtræ cauſâ inter Deum & hominem exercuit & ad huc exercet. Ad hæc *Unctus* erat à Spiritu S. unde nomen à Græcis *Chriſtus*, & ab Hebræis *Meſſias*, i. e. *unctus*. Suntq; hæc Officia.

Propheticum,
Sacerdotale,
Regium.

Propheticum eſt, quo docet & inſtituit Eccleſiam in iis quæ ad Salutem ſpectant. Facta erat olim Eccleſiæ Promiſſio de prophetâ, cui nunquàm non auſcultandum, quæ in Chriſto complementum accepit, *Deut.* 18. 15. *Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus, ipſum audies.*

Hoc intelligendum eſt de prophetis quos Deus poſt *Moſen* diverſis temporibus populo ſuo ſuſcitaturus erat. *Evaſ.*

Ad alios forſan præter Meſſiam extendi poſſit iſte locus, præterquàm quod de uno ſingulari præcipuè loqui videtur. *Sol.* 1.

2. *Moſes* ait [*Sicut me,*] ſed *Deut.* 34. 10. *Non ſurrexit ultrà propheta in Iſrael, ſicut Moſes.*

3. Chriſtianis ſufficit, quod prædictio illa Chriſto accommodatur, *Act.* 3. & 7. à *Petro* & *Stephano.* Alibi etiam extat promiſſio, *Iſa.* 11. 1, 2. *Egredietur Virga de radice Jeſſe, & requieſcet ſuper eum Sp. Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs,* &c. & *Iſa.* 61. 1. quam Prophetiam Jeſus oſtendit in ſe impletam eſſe, *Luc.* 4. 18. 21.

Ad hoc munus Chriſtum eminentèr inſtructum eſſe leginus à nativitate Spiritus S. in eo habitavit, *Luc.* 2. 40. Puer [Jeſus] *creſcebat, plenus Sapientiâ,* & *Gratia Dei erat ſuper illo.* Cum ad annum duodecimum perveniſſet, *Luc.* 2. 46. *In medio Doctorum ſedens audiebat eos & interrogabat, adeò ut ſtuperent omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis ejus,* Joan. 3. 34. *Non ad menſuram dedit ipſi Deus Spiritum.* Exod. 33. 20. 23. *Poſteriora mea videbis* (ait Deus *Moſi*) *faciem meam videre non poſſis*; Sed quod *Moſi* negatum fuit, id *Jeſu* conceſſum *Joan.* 6. 46. *Patrem non vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, bic vidit Patrem.*

Partes *Muneris Prophetici* erant { *Voluntatis Divinæ Revelatio,* *Interna Mentis illuminatio*; quâ

Doctrina non ad aurem tantùm, ſed ad Corda hominum perveniat, ut ſint θεοδίδακτοι, *Joan.* 16. 13.

Huc etiàm ſpectat

Legis *Explicatio* & *Vindicatio*, Matth. 5. 17.

Ejuſdem *Confirmatio*, tum vitæ Sanctimoniâ, tùm Operibus & Miraculis, (non modo quæ Naturæ vires ſuperare ſimulantur, qualia jactant Pontificii, dum ſe Dæmones ejicere gloriantur ex iis quos reverà dæmoniacos eſſe non conſtat, & Panem in corpus Chriſti tranſmutare, quem nec colore, aut odore, aut ſapore, aut omnino mutari percipimus)

mus) ſed quæ ſenſibus eorum qui nec falli potuerunt propter *prudentiam*, nec propter *probitatem* fallere voluerunt, priùs fieri percipiebantur, quàm fides aut propter illa opera, aut operibus ipſis erat adhibita. Quæ cum ejuſmodi fuerunt, eò fortiùs Doctrinam Chriſti confirmârunt, quod non ad infirmandam Veritatem, & evertendam Religionem veris miraculis ſtabilitam tendebant, *Deut.* 13. *Vetus* enim & *Novum* Teſt. non ſibi invicem contrariantur, ut profitetur Eccleſia *Anglic. Art.* 7°.

Chriſtus, aut ſaltem Apoſtoli Legem Moſaicam abrogârunt. *Obj.*

Non. Chriſtus enim palàm teſtatur *ſe non veniſſe ut Legem ſolveret, ſed ut impleret*; & Apoſtoli non *propriè loquendo* abrogârunt Legis Ceremonias, ſed tantùm docuerunt Gentiles iis non teneri; quæ ſolis Iſraelitis erant præſcripta, *Act.* 15. 21. Docuerunt etiam eas nullam vim habere ad juſtificandum coram Deo; & reverà nunquàm vim illam habuerunt. Tandem Deus ipſe deſtructo Templo oſtendit ſe illis non delectari. *Sol.*

Officium Chriſti Sacerdotale, eſt quo Sacrificio Paſſionis ſuæ peccata noſtra expiavit, & Juſtitiâ Activâ jus vitæ æternæ nobis impetravit, atq; etiamnum apud Deum pro nobis intercedit.

Sacerdotium Chriſti in *Levitico* aliquouſq; adumbratum erat, longè autem *Levitico* auguſtius eſt, utpote ſecundum Ordinem *Melchizedeci*, Pſ. 110. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem* Melchizedeci.

Objiciunt recentiores *Judæi* hunc Pſalmum à Subdito quodam *Davidis* compoſitum fuiſſe, & de *Davide*, non de *Chriſto*, intelligendum. Etiam hæc verba [*tu es Sacerdos*] potius reddenda eſſe [*tu es Princeps*] ità enim Vox Heb. כהן *cohen* ſæpè redditur, *Gen.* 41. 45. *Exod.* 2. 16. & 3. 1. 2 *Reg.* 8. 18. & 20. 26. *Obj.*

Sol. 1. Tum Chriſto interroganti [*Si David vocaverit Meſſiam Dominum ſuum, quomodò ſit filius ejus?*] in promptu reſponſum habuiſſent *Phariſæi*, ſi credidiſſent Pſalmum non ab ipſo *Divide* compoſitum fuiſſe.

2. Non *Davidem* ibi intelligi, ſed *Meſſiam*, conſtat ex iis quæ de eo decantantur, i.e. *Sede ad dextram meam*; *Nulli enim unquam Angelorum hoc dixit*, Heb. 1. 13. nedùm mero homini. Et quoniam *Melchiſedech* (contra quàm *Judæi*) non tantum Princeps erat ſed & Sacerdos (uti patet ex *Benedictione Abrahami* & illius decimatione) per כהן *Sacerdos* intelligendus eſt (ut ipſa phraſi indicat) ſecundum Ordinem *Mecbiſedechi*, Ordini nempe *Aaronico* oppoſitum.

Melchiſedech non fuit Spiritus S. aut Angelus, aut Homo immediatè conditus, ut nugantur nonnulli, ſed Rex *Vicinus* confœderatus *Abrahami*, Gen. 14. 18. & Sacerdos inſuper; attamen *Typus Sacerdotis noſtri Chriſti*. Non quod Panem & Vinum proferendo ſacrificavit, ut volunt Pontificii (cibaria enim iſta *Abrahamo* & Exercitui obtulit non Deo) ſed quod, 1. Rex erat Juſtitiæ, 2. Rex *Salem*, i.e. Pacis, 3. quod ejus genealogia non recenſeatur, quo ſilentio Chriſti Æternitas adumbratur; 4. quod ſimul Rex & Sacerdos fuerit; 5. quod *Abrahamo* tanquàm ſuperior benedixit, & *Levi* in eo decimas ſolvit; 6. quòd nullos ſucceſſores in Sacerdotio habuiſſe legatur; malè igitur Sacrificuli Papiſtici Ordinis illius ſe eſſe fingunt.

Chriſtus *Sacerdos noſter*, & *Sacrificium* illius hiſce notis à Sacerdotibus & Sacrificiis *Aaronicis* diſtinguuntur, *Heb.* 7. 3.

Perſona Offerens eſt Unicus Sacerdos ſecundum Ordinem *Melchiſedeci*, idemq; manens in Æternum; adeò ut in Adminiſtratione neq; ſocium neq; Succeſſorem admittat. Eſt inſuper inculpatus & à peccatoribus ſeparatus, *v.* 26. Oblatio ejus

ejus ſemel facta ſufficiens erat ad nos ſervandos, itaq; non iteranda, *v.* 24, 25. *Victima* oblata ſeu Caro erat cum λόγῳ eam offerente unita, *c.* 9. 12. Ejus Valor apud Deum ſempiternus.

Partes *Officii Sacerdotalis Chriſti*, ſunt { *Satisfactio*, *Interceſſio*.

Satisfactio. Voces in Scripturis æquipollentes ſunt λύτρωσις, Ἀπολύτρωσις *Redemptio.* & *Satisfacere* eſt *facere quod ſatis eſt*, *injuriam compenſare*, *Debitum ſolvere*, &c, unde, *reſpectu Debiti noſtri erga Deum*, eſt vel *præſtare debitam illam Obedientiam*, vel *pœnam ob inobedientiam perferre.* 1. *De Chr. Satisfactione.*

Satisfactio igitur Chriſti eſt, quâ ſe pro nobis Sponſorem ſiſtens Legem Dei pro nobis implendo, & pœnas nobis debitas luendo Juſtitiæ Dei quod ſatis eſt fecit, ac nos ab *Irâ* Dei & *Morte* liberans vitam æternam nobis acquiſivit. *Quid ſit.*

In eâ patefacta eſt Juſtitia Dei, quod ſatisfactionem fieri voluit, & in nos *Miſericordia*, quod ad ſatisfaciendum noſtri loco Filium deſtinavit, *Joan.* 3. 6. *Iſa.* 53. 10. *Rom.* 8. 32.

Efficiens proxima eſt Chriſtus θεάνθρωπος, nempe ſecundum utramq; Naturam utraq; agente quod ſuum eſt, *Humanâ* pretium, Paſſionem præcipuè; *Divinâ* dignitatem conferente, 1 *Pet.* 1. 19. Pretioſo Sanguine quaſi Agni mactati. *Efficiens.*

Materia in pretium Satisfactionis erat Obedientia, tum *Paſſiva* quæ complectitur miſerias omnes quas à Nativitate paſſus eſt; tum *Activa.* *Materia.*

Num

Quæſt. *Num Satisfactio pro nobis fuerit neceſſaria?*

Reſp. Neceſſitas Satisfactionis fundatur tum in *Naturâ Dei*, quod horrendum eſſet concipere *Deum non juſtum*; Juſtitia autem eſt, *ſuum cuiq; tribuere*; ergò pœnas peccatoribus; tùm in *voluntate* illius Scripturis revelata, *Pſ.* 5. 5, 6. *Gen.* 18. 25. *Deut.* 9. 7. *Hab.* 1. 13. *Exod.* 34. 7.

Satisfactio hujus loci, non eſt humilis peccati Confeſſio & Petitio veniæ, unde publica pœnitentiæ teſtimonia olim *Satisfactiones* appellabantur; ſed *Solutio delicti*; eſtq;

Alia, quum illud ipſum ſolvitur quod eſt in Obligatione: Hæc ipſo facto debitorem liberat à quocunq; facta.

Alia quùm quod æquivalens eſt ſolvitur: Hæc in debito pœnali debitorem non liberat, niſi interveniente Legis relaxatione, nec non Remiſſione quâdam Judicis: Obligatio enim, quando ità ſe res habet, non eſt de debitò ſed Perſonâ, quæ pœnas lueret. Hanc Satisfactionem nobis neceſſariam eſſe ſtatuimus, *Exod.* 34. 7. *Heb.* 9. 23.

Obj. *Pater filiorum delicta*, & *Dominus Servorum* remittere poteſt, nullâ Satisfactione præſtitâ; & cuiq; licet remittere de ſuo jure.

Sol. 1. Quilibet Privatus, quâ talis, remittere poteſt abſq; ſatisfactione, quia Solus eſt Pars læſa; Princeps aliâve Perſona Publica tali remiſſione violaret jura aliorum, & in Communitatem peccaret, atqui Deus in hoc negotio non ſpectandus eſt ut Dominus immunis & abſolutè ſummus, ſed quâ Judex & Rector mundi, qui Cuſtodem & Vindicem Legum ſe perhibet: Quo ſenſu licet non ſubſit alii alicui Domino ſive Legi, nihilominùs ſibi ipſi Lex eſt.

Ali-

Aliud eſt, recedere *à jure ſuo*, aliud *à juſtitiâ.* 2.

Quoties Deus recedit de jure ſuo, fieri oportet eo duntaxat quo convenit modo, qui modus è verbo ſuo colligendus eſt. 3.

Conditiones in Subſtitutione Sponſoris ad debitum pœnale ſolvendum requiſitæ, ſunt, 1. *Communio Naturæ*, Heb. 2. 14. 2. *Conſenſus Partium* ſcil. *Sponſoris*, *Rei*, *Judicis*. 3. *Poteſtas* & *Dominium Membrorum ſuorum*, ipſiuſq; vitæ, ſi ea ſubſtituenda eſſet, *Joan*. 10. 18.

Obj. Si Deus ex abſoluto Dominio & illæſâ juſtitiâ potuit non ulciſci, tum nec potuit homini lapſo Redemptionis media excogitare gratis & deſignare illæſâ juſtitiâ.

Sol. Aliud eſt *miſereri*, aliud *remittere*. *Miſereri* poteſt pro Summâ Benignitate; *Remittere* autem ſolummodò per modum aliis ſuis proprietatibus congruentem; ergò non niſi illæſâ juſtitiâ.

Obj. Saltèm pœnitentibus remittere poteſt illæſâ juſtitiâ.

Sol. Peccatum habet rationem & *debiti*, Matth. 6. 12. & *Criminis*, Rom. 6. 23. & *inimicitiæ*, Col. 1. 21. Eſtq; *inimicitia* iſta duplex, tùm quâ Deus nos odio habet, tùm quâ nos Dei oſores ſumus; unde licet Pœnitentes deſinant eſſe diutiùs oſores Dei, eſt tamen Debitum ſolvendum, reatus expiandus, & Ira Dei placanda; quibus parum valeret ſola pœnitentia, ſi non inſuper præſtita foret Satisfactio.

Obj. *Miſericordia* non minus eſt Deo naturalis quàm *Juſtitia*, ergo neceſſe videretur ut *Miſericordiæ* ſatisfiat quoties Pœna infligenda eſt æq; ac Juſtitiæ quando remittenda.

Sol. *Miſericordia* eſt *indebita*, *Juſtitia* autem *debita*, unde longe diverſa eſt utriuſq; ratio. *Debitum Juſtitiæ* ſolvendum eſt antequam *Effecta Miſericordiæ* expectanda ſunt, nedum promerenda.

Miſeri-

2. *Miſericordia* & *Juſtitia* quatenus in Deo ſunt res eadem, ſed in Actu ad extra, utriuſq; non eſt par ratio, niſi ex ſuppoſitione, hinc Reatus, illinc Satisfactionis, mediorum ſcil. quibus, juxta rationem cuiq; earum congruam, exerceantur. *Miſericordia* nulla afficitur *injuriâ* cum debitæ ſolummodo pœnæ à Reo exiguntur, neq; Juſtitia quoties abſolvitur is in cujus gratiam præſtita eſt juſta Satisfactio. Eſt quidem *Miſericordia* Deo naturalis & Attributum Eſſentiæ illius Neceſſarium, atq; inſuper pœnis pro peccato debitis Juſtitiæ perſolutis, Remiſſio peccati eſt etiam neceſſaria, attamen Subſtitutio Redemptoris, illiuſq; acceptatio Lapſorum Hominum potius quam Angelorum loco, liberrima eſt & ex mero beneplacito. Inde autem Satisfit Juſtitiæ per ſolutionem pœnæ, & Miſericordiæ per liberationem Rei.

Obj. Si *neceſſaria* eſſet *Satisfactio*, *Remiſſio* ſequeretur *neceſſario*, nec Deus libere peccata remitteret.

Sol. 1. *Satisfactio neceſſaria* fuit ad Remiſſionem, ſed neq; Satisfactio neq; Remiſſio abſolute & in ſenſu diviſo.

2. Neceſſitas illius non eſt Phyſica & Naturalis, quemadmodum neceſſe eſt ut gravia deſcendant, ſed Rationalis, & ut fiat Remiſſio Salutis methodo S. Scripturis revelatâ.

Obj. *Satisfactio* & *Remiſſio* incompatibiles ſunt. Illi enim pro quo Satisfit non opus eſt Remiſſione.

Sol. Si Reus Satisfaceret Satisfactione propriâ non opus illi eſſet hujuſmodi Remiſſione; ſin Solutio ſit aliena ſeu vicaria, opus eſt actu Judicis interveniente, quo acceptetur pœna Vadis, & remittatur Reo.

Obj. Non aliter Deus peccata noſtra remittit quam nos remittere debemus aliorum debita, *Matth.* 6. 12. A nobis autem non ſemper expectanda eſt Satisfactio in ordine ad Remiſſionem.

Debita

Debita in nos privata ſunt, in Deum publica; nos etiam Lege tenemur ad remittenda aliorum in nos debita. Deus autem juſtus eſt animadvertendo in peccatores, nulli tamen ſubeſt, quin aliter juſtas pœnas exigat quam juxta regulas quibus nos obſtringimur. Aliis objectionibus reſpondetur, C. 3. §. 6. Quæſt. ultima ab hac quæſtione non alienis. *Sol.*

Num Chriſtus loco noſtro Juſtitiæ Dei ſatisfecerit? Quæſt.

Non modo pro nobis utilitèr, aut noſtro bono, fecit quæcunq; fecit, nec tantum doctrinæ præconio, & omnigenarum virtutum exemplo, ſaluti hominum conſuluit, neq; per meram partis læſæ indulgentiam, ſive accepti lationem ſatisfecit; ſed ſubſtitutione ſuipſius, & loco noſtro pretii æquivalentis ſolutionem præſtitit, quæ meritoriè, & ex juſtitiâ Judicis, partis læſæ liberationem impetravit, 1 *Cor.* 6. 20. 1 *Pet.* 1. 19. *Tit.* 2. 14. *Eph.* 1. 7. *Reſp.*

1. Dicitur nos *redemiſſe*, *mercatus eſſe*; & Voces λύτρον, ἀπολύτρωσις, ἱλασμὸς, ἱλαστήριον, &c. idem indicant.

Redemptio interdum non aliud eſt quam ſimplex *Liberatio*, nullo interveniente pretio. Sic *Moſes* λυτρωτὴς appellatur *Act.* 7. 35. & *Deus redemit populum ſuum ex Ægypto*, Deut. 7. 8. Pſ. 77. 15. *Obj.*

Sed nos dicimur *pretio* redempti, 1 *Cor.* 6. 20. & modus quo redempti ſumus ſæpè adjungitur, *per Sanguinem*, & *Chriſtus pro nobis factus fuit Maledictio*, Gal. 3. 13. *Sol.* 1.

Chriſtus pro nobis *Mortuus* dicitur *Rom.* 5. 6, 7. & 8. 32. 1 *Pet.* 3. 18. & noſtro loco. Hæc enim eſt præpoſitionis ὑπὲρ ordinaria ſignificatio, quæ, cum agitur de Perſonâ ſubſtitutionem notat *Rom.* 9. 3. & 5. 7. alibi etiam exprimitur per ἀντὶ *Matt.* 5. 25, 38. 1 *Tim.* 2. 6. Apo- 2.

Obj. Apoſtoli dicuntur *pati* pro Eccleſiâ, *Col.* 1. 24. & jubemur animas ponere *pro* fratribus, 1 *Joan.* 3. 16.

Sol. 1. Pro Eccleſiæ *ædificatione*, non *redemptione*, jubemur etiam mortem non recuſare, quoties Dei Gloria & Salus Eccleſiæ reverà id poſtulet, ſicut *Martyres* hâc in re Chriſti veſtigia preſſerunt; non autem pro iis dare poſſumus ἀντίλυτρον, quo ab æternâ morte liberentur aut à peccatis mundentur, *Pſ.* 49. 8. quod Chriſto appropriatur, ὡς ϗ ſimilitudinem notat, non æqualitatem, *Matt.* 6. 12.

3. Peccata noſtra in ſe ſuſcipit, 1 *Pet.* 2. 24. *Iſa.* 53. *attritionem* & *vulnerationem*, v. 4. 10. per *Judicis impoſitionem*, v. 6. voluntaria etiam erat Vadis ſuſceptio; *non aperuit os*, v. 7. innuitur peccati expiatio. *Animam poſuit pro delictis*, & *ex judicio* & *coarctatione aſſumptus*, v. 8. 10.

Excep. *Matt.* 8. 17. Oraculum *Iſaiæ* impletum fuit; quando Chriſtus morbos *corporeos* ſanavit.

Sol. Non indè ſequitur quod *Iſaias* non inſuper morbos *Animæ* intellexit; imo morbos corporis non primariò intellexit; eos enim *non in ſe ſuſcepit*, acſi ipſe iiſdem laboráſſet, aut ægrotâſſet; ſed eos potentiâ ſuâ ſanavit; dum morbos Animarum (pœnas, iis debitas, luendo) in ſe ſuſcepit; unde factus peccatum & execratio pro nobis dicitur 2 *Cor.* 5. 21. *Gal.* 3. 13.

Excep. Peccata & morbos *Animarum* ſanavit per Doctrinam Evangelii, & illuſtrem virtutum, & in vitâ & morte, Exemplificationem.

Sol. Apoſtoli verba nuper laudata planè indicant, quod ſupplicium tulit Crucis, & ſub Lege fuit noſtro loco maledictus; atq; *Rom.* 4. 25. *traditus erat propter peccata noſtra*, non, ut *Socinus* deliravit, *occaſionalitèr*, quod fuerunt occaſio mortis illius; aut *finalitèr*, ut ab iis nos abſtraheret; ſed *meri-*

meritoriè, ad eorum reatum auferendum; eo enim ſenſu dicitur *traditus propter peccata*, quo *Sacrificia* pro peccatis offerebantur.

4. *Reconciliationi* noſtræ cum Deo non eſſet locus, niſi factâ per mortem Chriſti pro peccatis expiatione.

Obj. *Reconciliatio* fit per noſtram ad Deum Converſionem, & inſuper Deus *reconciliationem* procuráſſe dicitur; quod ſignum eſt non irati, ſed jam placati.

Sol. Dicimur *liberari* per Chriſtum ab irâ *Rom.* 5. 9. nulla autem niſi Dei Judicis ira poteſt eo loco intelligi. Voces etiam ἱλασμὸς & ἱλαστήριον de *propitiatione Dei* ſumendæ ſunt. Non enim *nos Deo placamur*, *ſed Deus nobis.* Nec *placamen* dici poteſt ſolummodò, quia Doctrina, quam morte confirmavit, nos ad pœnitentiam perducit; tum enim Apoſtoli & Paſtores Evangelii eſſent etiam placamentum & propitiatio pro peccatis.

Excep. Arca, *Propitiatorium* appellabatur; & *Expiatio* tribuitur *victimis*, non *ſoli Chriſto.*

Sol. *Typi* fuerunt, & *typicè* ſatisfeciſſe non negamus.

Obj. Chriſtus quandoq; *Victima* vocatur & *Sacrificium*; ſed *Metaphoricè* tantum, ſicut *Martyres* dici poſſint *Victimæ.*

Sol. *Umbris* iſtis non reſpondet *Umbra*, aut *Metaphora*, ſed *Veritas*, Joan. 1. 17. Dein ſequeretur Chriſtum fuiſſe *Sacerdotem* perſonatum ſolummodo, & *Expiationem* peccatorum eſſe *Metaphoricam*, Verus Sacerdos cum eſſet juxta Ordinem *Melchiſedeci*, & *Agnus Dei tollens peccata mundi. Cujus ſanguis longè pluris quam Taurorum &c. Heb.* 9. 14.

Obj. In Vet. Teſt. promittitur *Remiſſio* reſipiſcentibus nullâ Satisfactione interveniente.

Etiam

Sol. Etiam Reſipiſcentibus jubetur Sacrificium *Lev.* 4. 5. non tamen Expiandi vis in Beſtiis iſtis erat, ſed in Chriſto, *Pſ.* 40. 7. Si pro certis quibuſdam peccatis ultroneis & gravioribus, qualia fuerunt Homicidium, Idololatria, Adulterium, nulla inſtituebantur *Sacrificia*; ideò hoc factum, quia Deus voluit ea capitali ſupplicio in foro Civili, non ſolò Taurorum vel Hircorum ſanguine in Eccleſiaſtico punienda eſſe.

Obj. In Novo Teſt. promittitur Remiſſio credentibus ſine Conditione ſatisfactionis 1 *Joan.* 1. 9.

Sol. Semper ſupponitur Chriſti Satisfactio in ordine ad Remiſſionem *Rom.* 3. 25. *Chriſtum præſtituit Deus, ut ſit placamentum per fidem in ſanguine ipſius*, 2 Cor. 1. 20. *omnes promiſſiones ſunt in Chriſto* Amen.

Obj. Subſtitutio *Vicaria* nulla eſt habenda *Ezek.* 18. 20. *Anima quæ peccat morietur.*

Sol. 1. Ità eſt juxta ordinem Providentiæ ordinariæ, non extraordinariæ & Evangelicæ Gratiæ.

2. Locus iſte *Ezek.* primariò & immediatè reſpicit ſtatum tum temporis Judæorum, quibus Deus os obſtruit, nè quererentur ſe immerentes pœnas ferre propter peccata parentum: alitèr in communi hominum Regimine; viſitat aliquouſq; patrum iniquitates in filios, *Exod.* 20.

3. Subſtitutio unius in locum alterius primâ fronte injuſta videtur, & aliquando apud Romanos pœnâ capitali vetabatur, quia nemo eſt Dominus membrorum ſuorum; nec fieri potuit ſine Reipublicæ damno, etiamſi apud Ethnicos nonnullos comprobata fuit, ut Exempla *Damonis* & *Pythiæ*. Amicorum; *Curtii*, *Codri*, *Decii*, ſe pro patriâ devoventium, teſtantur, & jus occidendorum obſidum adhuc obtinet.

Juſtitiæ certe haud incongrua eſt hæc *Subſtitutio* ſervatis his conditionibus;

1. Si

1. Si ſit *communio Naturæ*, Heb. 2. 14.
2. Si ſit *Conſenſus Partium*, Partis læſæ, ſponſoris, Judicis.
3. Si ſponſor, ſeu perſona ſe ſubſtituens, *poteſtatem & dominium habeat in rem ſubſtitutam*, ſive ſit membrum quoddam corporis, ſive ſit ipſa vita, quæ pignoratur.

Apertè teſtatur Scriptura, pœnas nobis peccatoribus debitas à Chriſto exactas fuiſſe, *Iſa.* 53. 5. *Caſtigatio pacis noſtræ imponebatur illi & Vibicibus ejus ſit ſanatio nobis.*

Obj. Chriſtus mortem tantum triduanam ſubivit, ergò non ſolvit, quod à nobis debebatur, pœnam infinitam.

Sol. Infinita erat pœna, quoad *valorem*, propter *Patientis* dignitatem: Quod durationi pœnæ defuit, hoc Perſonæ Divinæ conditio abundanter ſupplebat.

Inſt. Tunc unica ſanguinis Chriſti gutta ſufficere potuit ad Redemptionem noſtram; nec cauſa erat cur ira Dei ſæviret adeò in Filium dilectiſſimum.

Sol. Mors erat peccati ſtipendium, & quamvis Dignitas Perſonæ potuit illius augere valorem, non tamen ipſam pœnæ ſpeciem à Lege ſancitam potuit compenſare.

Obj. Pœnam damnatorum comitantur *fremitus*, *ſtridor dentium*, *deſperatio*; His autem Chriſtus non objiciebatur.

Sol. Non iis exponebatur Chriſtus, quæ non erant de Eſſentiâ pœnæ, præcipuè non iis quæ de conditione hujus vel illius patientis erant oriunda, in deſperationem, *&c.* cadunt qui certo nôrunt impoſſibilitatem eluctandi è ſuppliciis; Chriſtus autem de Liberatione & Reſurrectione glorioſâ ſecurus erat.

T Do-

Obj. Doctrina hæc, de ſatisfactione alienâ, videatur patulam impietati januam aperire; nam audaciores erunt in peccando, qui pœnas propter peccata ſibi debitas in alium transferri poſſe exiſtimant, imò ſperare illud & credere tenentur.

Sol. Sanctitatis potiùs medium eſt Efficaciſſimum: Hunc enim dictæ doctrinæ finem inter alios poſſuit Chriſtus, ut *mortui peccato vivamus Juſtitiæ, nec ampliùs nobis vivamus, ſed illi qui pro nobis mortuus erat* Rom. 6. Tit. 2. 14. 1 Pet. 2. 24.

Quæſt. *Num Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus ſit?*

Reſp. *Univerſalitas* tum *Gratiæ Divinæ* tum *Meriti & intentionis Mortis Chriſti*, paſſim prædicatur in Scripturis. *Pro omnibus guſtavit mortem* Rom. 5 8. 2 Cor. 5. 15. Heb. 2. 9.

Evaſ. 1. Mortuus eſt pro omnibus ſufficientèr non *Efficientèr*.

Sol. Scholaſtici interdum hâc diſtinctione utuntur, ſed ſenſu ab Adverſariorum alieno. Docent enim Chriſtum (quod ad ipſum) liberâſſe omnes, quod autem omnes non liberentur *ipſorum culpâ eſſe*. Qui autem *Calvinum*, obvelati, ſequuntur, ità Diſtinctionem applicant. Morti Chriſti non defuiſſe valorem expiandi omnium peccata, ſi ad hoc fuiſſet deſtinata, ſed hoc *Conſilium* apud Deum & Chriſtum nunquam conſtitutum fuiſſe.

Evaſ. 1 Tim. 2. 46. *Deus vult omnes ſalvos fieri.*

2. Apoſt. loquitur de Generibus ſingulorum, non de ſigulis generum. Vult tam Gentes quàm *Judæos*, tam Subditos quàm Principes ſalvos fieri.

Reſp. 1. Apoſt. ibi hortatur ut Orationes fiant non ſolum generatim pro omnibus, ſed ad ſpeciem deſcendit, *pro Regibus*, &c. Nec Singulos aliquos excludi voluit; & rationem annectit, quod *Deus vult nos omnes & ſingulos in precibus noſtris amplecti.*

Vult

Vult omnes ſalvos fieri *qui veniunt ad cognitionem Veritatis.* *Evaſ.*

Imò utrumq; vult Deus *ut veniant* ad cogitationem veritatis, & ut *Salvi fiant.* *Reſp.*

Objectum iſtius Gratiæ effertur per terminum collectivum Mundi, *Joan.* 1. 29. *tollit peccata Mundi*, &. 3. 16. 2.

Per Mundum intelligendus Mundus Electorum. *Evaſ.*

Nè ſemel in S. Literis eo ſenſu ex neceſſitate accipi aſſerunt alii. *Ger. L. C. de Elect. c.* 6, & conſtat quandoq; ſenſum habere *Mundo Electorum* contrarium, 1 *Joan.* 2. 2. Chriſtus eſt Propitiatio non *tantum pro peccatis noſtris*, ſed *etiam totius Mundi. Beza* quidem prius membrum exponit de Electis Judæis, poſterius de Electis aliarum Gentium, quaſi ad ſolos Judæos ſcripſerat; ſed Epiſt. eſt *Catholica*, & non ad Fideles ſolos, ſed & alios, ut crederent. 1 *Cor.* 8. 11. *Chriſtus* dicitur *mortuus pro pereuntibus*; & 2 Pet. 2. 1. *Dominum negent qui emit eos.* *Reſp.*

Dicunt verba κατὰ δόκησιν intelligenda eſſe; ſcil. ipſorum aut aliorum opinione Chriſtum pro iis mortuum eſſe. *Evaſ.*

Sunt autem illa verba, Apoſtoli aſſertio, non nuda quorundam opinio, clarius itaq; effertur *Heb.* 10. 29. *Sanguis Chriſti effuſus* dicitur *pro iis qui cum ſuà impœnitentià quaſi pedibus proterunt & conculcant.* *Reſp.*

2 Pet. 3. 9. *Non vult aliquem perire*; & Rom. 11. 32. Deus concluſit omnes ſub incredulitate ut omnium miſereatur, quos Legis tenore reos oſtendit, iis verbo Evangelii Gratiam offert. Idem prædicat *Gal.* 3. 22.

Petrus ſcribit ad fideles Judæos quos ex Charitate pro Electis habebat. *Evaſ.*

Scribit toti *Vocatorum* Eccleſiæ, quâ multi erant Reprobi. *Reſp.*

2. Ex ipſo loco patet quod in Quæſtione eſt, quos enim vult converti eorum vult neminem perire.

Fruſtrà contendunt Adverſarii per *omnes*, ſubinde intelligi debere Electos ſolos, nam ad ea quæ jam dicta ſunt, hæc inſuper addi poſſunt;

Hirco emiſſario, Lev. 16. 21. imponebantur *iniquitates omnium* Filiorum *Iſraelis*. Excludi non poſſunt Reprobi. Iſa. 53. 6. *poſuit ſuper eum iniquitates Omnium noſtrum*; Omnium ſcil. (ut verba præcedentia innuunt) qui quaſi oves erravimus; *unuſquiſq; in viam ſuam declinavit*, quæ deſcriptio eſt *Omnium hominum* Pſ. 14. 2. *&c.*

Porrò abſit, ut talem Deo *ſimulationem* tribuamus, quâ verbo vocaret eos ad pœnitentiam & Sacramentis offerret Mortis Chriſti Beneficia, quæ Decreto immutabili ſtatuiſſet iis non prodeſſe, quâ fide dicendum eſt cuiq; in Adminiſtratione S. Cœnæ, *Accipe Corpus Chriſti quod pro te traditum eſt*, niſi pro iis mortuus eſſet, utcunq; culpâ ſuâ mortis illius Beneficia non participent.

Lachrymæ Chriſti *Hieroſolymam* deplorantis *Luc.* 19. 41. teſtantur illum perditione incolarum non delectatum fuiſſe.

Evaſ. Ibi agitur de interitu Judæorum temporali.

Reſp. 1. Non modò temporales eorum pœnæ deplorantur, ſed & Æternæ, quod tempus *Salutaris ſuæ viſitationis* neglexerant.

Si pœna eorum temporalis erat illi adeò alienum opus, *Iſa.* 28. 21. Multo magis alienum erat ab ipſius Naturâ ex abſoluto odio quoſdam æternis addicere ſuppliciis.

Benefica Dei voluntas erga omnes, Juramento teſtata extat, *Ezek.* 33. 11. *Vivo ego, Nolo mortem impii, ſed ut convertatur & vivat.*

Evaſ. Indefinita eſt Enunciatio & ad eos reſtringenda quibus datur Converſionis Gratia.

Vult

Vult omnium Converſionem, ideoq; Verbum Salutis iis proponit, per Spiritum corda pulſat eorum, qui verbum pertinacitèr repellunt *Act.* 13. 46. & Spiritui S. reſiſtunt, ut *Act.* 7. 51. propriâ culpâ Converſionis Beneficio privantur, ſeipſos indignos judicant æternâ ſalute, & Conſilium Dei ſperuunt, ſicut Phariſæi *Luc.* 7. 30. quod quidem conſilium non erat abſolutum aliquod Decretum; ſed per Conciones & Baptiſma Joannis eos vocare ad pœnitentiam; noluerunt autem à Joanne baptizari. *Reſp.*

Non vult mortem peccatoris, *i. e.* Reſipiſcentis. *Evaſ.*

Imò, dicit, *Quare moriemini?* Ergo non vult mortem eorum qui non reſipiſcentes perire voluerunt. *Reſp.*

Deus quædam vult voluntate *Revelatâ* [ut vult omnes ſalvos fieri] quæ non vult voluntate *Arcanâ.* *Obj.*

Non Deo tribuenda eſt iſtiuſmodi Hypocriſis. Abſit, ut in Deo fingamus *Voluntatem Verbo* contrariam; nam omne illius de ſalute noſtrâ conſilium annunciatum eſt, *Act.* 20. 27. 2 *Tim.* 1. 9. *Reſp.*

Si ſeriò vellet omnes ſalvos fieri, omnes utique ſalvarentur, *Pſ.* 115. 3. *Rom.* 9. 19. *Obj.*

Vult quædam abſolutè, quædam certâ conditione. Si peccator *Verbum* repellat, *Spiritui S.* reſiſtat, juſtam peccatoris ità in contumaciâ perſeverantis vult damnationem. *Sol.*

Sic prævidens Protoplaſtorum Lapſum, cum, in Integritate, potuerint perſtitiſſe, ſi voluerint, noluit ille fœlicitatis perennitatem quæ aliàs ex Fœdere Operum iis obtigiſſet. Voluit etiam Poſteros eorum juxta Fœdus Gratiæ ſalvos fieri, niſi Gratia fœderis pertinacitèr abuterentur; prævidens autem multos Gratiam ſuam prorſùs inanem reddituros, eoſdem ſalvos fieri non voluit,

Hinc oritur diſtinctio de voluntate *Antecedente* & *Conſequente*; Non acſi duæ Voluntates eſſent; ſed geminum indicat illius reſpectum.

In *Antecedente* Reſpectus habetur Mediorum ad ſalutem, prout à parte Dei offeruntur; in *Conſequente* reſpectus eorundem, prout ab hominibus acceptantur aut negliguntur.

Obj. *Joan.* 10. 15. Chriſtus dicit *ſe poſuiſſe Animam pro Ovibus*, & 17. 19. *Matt.* 26. 28.

Sol. Quæ conſequentiæ vis, pro *Ovibus*, ergò pro *ſolis Ovibus*?

Obj. Rom. 5. 19. *Multi* per Juſtitiam Chriſti, non *Omnes* dicuntur juſtificari.

Sol. Per *Adami* Lapſum etiam multi dicuntur conſtituti peccatores, *i. e. Omnes*; ſimilitèr pro *Multis* imò pro *Omnibus* parta eſt Juſtitia: Non enim de applicatione illius ibi agit Apoſt. ſic confer *Matt.* 20. 28. cum 1 *Tim.* 2. 6. & *Matt.* 1. 21. cum *Luc.* 2. 10. Meritum *Univerſale* eſt in ſe; ſed Applicatio & actualis ejus fruitio *particularis*, hominum vitio.

Obj. Si Chriſtus mortuus ſit pro *Omnibus*, fructus utique & Effectus ejus *ad Omnes* perveniet.

Sol. Ut Eleemoſyna proſit, non modo manus *offerens*, ſed & manus requiritur oblatam *recipiens*. Princeps pro Redemptione Captivorum *Omnium* pretium ſolvit; quidam nolunt libertate frui: Sibimetipſis illud imputetur, non particularitati λύτρυ. " Poculum *Immortalitatis* —— habet quidem in ſe quod omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non proderit. *Auguſt.*

Obj. Pro quibus orare noluit, pro iis non ſatisfecit; ſed pro omnibus orare noluit, *Joan.* 17. 19.

Sol. Pro omnibus orare non negat ſimplicitèr, nam pro Tranſgreſſoribus interceſſit, *Iſa.* 53. 12. & *Luc.* 23. 34. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Inter eos erant *Caiaphas* & *Pilatus.*

Quam-

Quamvis in iſto capite pro *ſolis Electis* ſpecialitèr oret, non ſequitur quod nunquàm *pro aliis*. 2.

Matth. 15. 24. *Non miſſus erat Chriſtus, niſi ad Oves perditas Iſraelis.* *Obj.*

Chriſtus non ibi loquitur de Officio ſuo *Redemptorio*; eo enim reſpectu nec ad *ſolos Iſraelitas* natione miſſus erat, nec ad *ſolos Filios* Promiſſionis ſive Spirituales *Iſraelitas*. Magna enim erat mulieris *Canaaneæ* fides, Chriſtus tamen illi ait; *Non ſum miſſus, niſi ad Oves perditas Iſraelis.* *Sol.*

Loquitur ergò de *Miniſterio* ſuo, quatenùs Miniſter erat Circumciſionis, cui primùm oportebat Regnum Dei prædicari, *Act.* 13. 46.

Non credendum eſt partem aliquam Officii Redemptoris inutilem eſſe, Inutile autèm fuiſſet Chriſtum paſſum fuiſſe pro improbis, quorum plurimi tùm in Inferno erant. *Obj.*

Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus tunc cùm Chriſtus paſſus eſt, erant in *Cælo*; nùm fruſtrà pro iis paſſus fuit? Cùm in *vivis*, erant Promiſſiones de Meſſiâ, debebant eas amplecti: *Agnus* enim erat *occiſus ab Origine Mundi*. Rectè dicimus, Chriſtum paſſum eſſe pro iis, qui, cùm pateretur, in Inferno erant, non quod ex eò liberandi ſint; ſed quod in vivis adhùc exiſtentes fructum Promiſſionis percipere debuiſſent. *Sol.*

Nùm Chriſtus per Obedientiam ſolam Paſſivam loco noſtro ſatisfecerit; an etiam per Activam quâ Legem implevit? Quæſt.

Obedientia Activa ſeu *Juſtitia Vitæ* requirebatur, non modo tanquàm Conditio in Perſonâ Mediatoris; ſed venit in partem *Satisfactionis* noſtro loco præſtandæ. *Reſp.*

Satisfacere enim eſt *facere* quod Deus ad Vitam exigebat; ſed Deus *Activam Obedientiam* exigebat,

eiq; *Vitam* promiſit. *Fac hoc, & vives*, Gal. 4. 4, 5. *factus eſt ſub Lege, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret.* Rom. 5. 19. *per unius obedientiam juſti multi conſtituuntur.* Non intelligitur ſola *Obedientia paſſiva*; ibi enim Inobedientiæ *Adami* opponitur.

Obj. Unâ Oblatione conſecravit ſeu conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur, *Heb.* 10. 14.

Sol. Illud [*una*] non opponitur Obedientiæ vitæ, ſed repetitioni frequenti Sacrificiorum Veteris Teſt.

Obj. Chriſtus, cùm homo fuit, debuit pro ſe ipſo obedire Legi; ergò per eam non pro nobis meruit.

Sol. 1. Id negant quidam magni nominis Theologi; quia Perſona Divina fuit Lege ſuperior; unde Dominus Sabbati appellatur, nec tamen potuit ſeipſum negare, quia ſibimetipſi Lex fuit, *Joan.* 17. 19. *propter hos ſanctifico meipſum.*

2. Non neceſſariò Homo fuit, ſed voluntariò & quamvis debuit Legi obedire ad ſanctificationem ſuam, in nos redundavit. Oportuit Chriſtum pati & mori, ut ſic intraret in Gloriam ſuam, an ideò pro nobis non ſit mortuus?

Obj. Si Chriſtus Juſtitiâ *Vitæ* ſatisfecit, tùm non opus fuit *Morte* ejus.

Sol. Juſtè vivendo ſatisfecit mandato, non Maledictioni. Peccator utriq; eſt obnoxius, *Maledictioni* propter peccatum, *Mandato* quia permanet Dei Creatura.

Obj. Sanguis Chriſti *nos purgat ab omni peccato*, 1 Joan. 1. 7. Si omnia purgantur Juſtitiâ *Paſſivâ* ſcil. *Sanguine Chriſti*, non ſuperſunt ulla purganda Juſtitiâ ejus Activâ.

Sol. 1. Paſſio Chriſti ſæpè denotat utramq; Juſtitiam; & quamvis ratione *diſtingui*, nequaquàm in Chriſto *disjungi* debent.

Beatus

Reatus *Pœnæ* per *Paſſionem* tollitur, Reatus *Culpæ* ſive *Defectûs* noſtri per Juſtitiam *Activam*, etiamſi Homo pœnam omnem lueret, non tamen inde Juſtus eſſet eâ Juſtitiâ cui *Vita* promittitur. 2.

Lex obligat aut ad *pœnam* aut ad *Obedientiam* non ad utramq; Ergo Obedientia utraq; non eſt neceſſaria. *Obj.*

Falſa eſt illa Propoſitio cnm de peccatore loquimur. Lex enim obligat *Juſtum* ad Obedientiam activam, *peccatorem* ad utramq; ad *pœnam* propter peccata præterita, ad *Obedientiam* in poſterum. *Sol.*

Si Chriſtus loco noſtro legem implevit, tùm non tenemur & nos Legi obedire. *Obj.*

Non in eum finem in quem Chriſtus obedivit, nempe ut mereamur *Vitam æternam.* *Sol.*

Totum *Juſtificationis* ſæpè per *Remiſſionem* Peccatorum exprimitur, *Eph.* 1. 7, *&c. Remiſſio* autem Juſtitiæ *paſſivæ* aſcribitur. *Obj.*

In ejuſmodi locis *Synecdoche* deprehenditur *partis pro toto.* *Sol.*

Fuitne Chriſti Satisfactio Plena & Condigna, an tantum per acceptilationem talis æſtimanda? Quæſt.

Plena fuit, & *condigna.* Quamvis enim Chriſtus non *idem*, reddidit *tantundem.* *Reſp.*

1. *Plena*, eo quod tùm Corporales tum Spirituales pœnas tulit, Legemq; implevit: &

Condigna, eo quod Perſonæ Infinitæ meritum neceſſariò infinitum erat. Dicitur *Sanguis Dei*, Act. 20. 28.

Mors & *Obedientia* ad tempus non eſt æternis pœnis æquivalens. *Obj.*

Pec-

Sol. Peccatum meretur quidem pœnas infinitas; has ſolvit Perſona Infinita ſpatio finito; quod æternæ ſint Creaturis, per Accidens eſt; quoniam enim ferre non poſſunt intenſivè *infinitas*, ideò duratione *infinitas* ferre tenentur.

2. *Plenè* Chriſtus ſatisfecit, eo quod *non tantum pro culpâ Originis, ſed pro omnibus.*

Actualibus ſatisfecit, 1 Joan. 1. 7. *Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato.* 1 Cor. 6. 9, 11. Delicta Actualia inter Gentiles vigentia numerantur; & ſubjicitur, *Tales quidam veſtrûm fuiſtis, ſed loti eſtis, ſed juſtificati in nomine Jeſu Chriſti.*

3. *Plenè*, i. e. pro peccatis etiam Regenerationem ſequentibus.

Obj. Heb. 10. 26. *Voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam Veritatis, non relinquitur Hoſtia pro peccatis.*

Sol. Voluntariè & perſeveranter rejicientibus Remedium hoc in Evangelio nobis paratum; non alia relinquitur Hoſtia, aut novum expectandum eſt Evangelium; Intereà S. *Joanni* tutò credendum eſt, 1 *Epiſt.* 2. 1, 2. *Filioli, ne peccate; ſed ſi quis peccaverit —— ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

4. *Plenè*, i. e. pro *pœnâ* æq; ac pro *culpâ.*

Obj. Legimus *Moſen*, *Davidem*, alioſq; poſt remiſſam Culpam, Pœnam fuiſſe daturos.

Sol. Pœna propriè dicta eſt à Judice vindicante, & ad ſatisfactionem Juſtitiæ, non à Patre providente filiorum ſaluti. Chriſtus factus eſt pro nobis Execratio, non pars Execrationis, *Gal.* 3. 13. & *Rom.* 8. 1. *Nulla condemnatio iis eſt, qui in Chriſto.*

Sæpè

Sæpè reſervatur Pœna quædam poſt Culpam remiſſam, tanquàm verum & apertum Iræ divinæ teſtimonium. talis erat Mors filii *Davidis*, 2 Sam. 12. 14. *Inſt.*

Pœnæ iſtiuſmodi non ſunt Satisfactoriæ ad Judicis vindictam quamvis ad iram Patris teſtificandam, etiam *Probatoriæ* ſunt & *Caſtigatoriæ*, non ad Perditionem, ſed Cautelam & Salutem, uti priùs indicavimus. *Sol.*

Num Opera noſtra ſint quadantenus ſatisfactoria, ſcil. propter Satisfactionem Chriſti, qualia ſunt Contritio, Eleemoſyna, Jejunia, & Pœna in Purgatorio. Quæſt.

Merita Chriſti procurant Operibus noſtris acceptationem, non novum valorem iis indendo, ſed efficiendo ut eorum defectus à Deo condonentur. *Reſp.*

[De *Purgatorio*, c. *de Eccleſiâ* fiet Inquiſitio.]

Dan. 4. 27. *Redime peccata tua Eleemoſynis*, &c. *Obj.*

Exponi poteſt, *Abrumpe peccata reſipiſcentiâ & novâ Obedientiâ.* *Sol.*

Col. 1. 24. Apoſt. ait, *Adimpleo, quæ deſunt Paſſionibus Chriſti.* *Obj.*

Subaudi, [*quas fert. in Membris ſuis.*] 2 Cor. 4. 10. *Mortificationem Domini Jeſu ſemper in corpore circumferentes, ut vita Jeſu in nobis pateſiat.* *Sol.*

Scriptura exigit fructus pœnitentiâ dignos, ergo Satisfactorios. *Obj.*

Dignos, *i.e. convenientes vocationi noſtræ.* *Sol.*

Altera Sacerdotalis Officii pars eſt Interceſſio; quæ in tribus conſiſtit;

1. Quòd Hoſtiam ſuam propitiatoriam in Sacrarium cœleſte intulerit, & ibi coram Deo pro nobis compareat, *Heb.* 9. 24.

2. Quòd

2. Quòd in Cœlis Efficaciam Mortis ſuæ nobis applicari à Patre ſuo poſtulat, *Joan.* 14. 16. 1 *Joan.* 2. 1, 2.

3. Quòd preces noſtras ſuo merito reddit Deo gratas, *Joan.* 14. 6. 13. Harum actionum Typus fuit ſummus Sacerdos in V. Teſt. *Heb.* 7. & 9. Sacrificium expiatorium extra Sanctum Sanctorum offerebat, & inde Sanguinem in Sacrarium intulit, Humeris & Pectore ſuo Nomina Tribuum *Iſraelis* geſtabat, pro quibus procurabatur Typica propitiatio. *Suffitum* ſanguini addebat, quo preces ſignificabantur, *Apoc.* 8. 3.

Obj. Fuit *Interceſſio Chriſti* etiàm ante *Aſcenſionem Chriſti*, Heb. 5. 7. Joan. 17.

Sol. Fiebat autem valore Sacrificii tunc præſtandi, nunc præſtiti.

Quæſt. *Num præter Chriſtum alii colendi, invocandi, aut habendi ſint Interceſſores?*

Reſp. Honorandi ſunt Sancti propter dona in ipſos à Deo collata, non autem honore divino, *Matth.* 4. 10. Et voluntaria illa humilitas ſive Sanctorum ſive Angelorum ab Apoſt. corripitur, *Col.* 2. 18. Neq; ibi agitur de cultu quem *Latria* vocant & definiunt (utut imperitè id velint Adverſarii) quando quis *invocatur*, aut *adoratur*, *acſi eſſet ipſe Deus.* Agnoſcunt enim Interpretes Apoſtolum ibi *Platonicos* & alios qui Cœlites inferiores colebant, redarguiſſe. Reverà interim voces λατρεία & δουλεία homonymæ ſunt in uſu profano, teſte *Suidâ*, & *Vallâ*, & in ſignificatione Cultus religioſi. Confer, *Deut.* 6. 13. *Matt.* 4. 10. cum *Rom.* 12. 11. & 14. 18. 1 *Sam.* 7. 3. *Eph.* 6. 7. *Apoc.* 19. & 22. 9.

Non

Non decet in præſentiam principis terreni ſine gratioſi cujuſdam interceſſione noſmet injicere, multò minùs ipſius Dei. *Obj.*

Vult Deus ipſum compellari, Iſa. 42. 8. Pſ. 50. 15. *Poteſt omnibus vacare ſolus*, Iſa. 59. i. e. *Non gravis eſt auris ejus ut non poſſit audire.* *Sol.*

Quamvis unus ſit Mediator Redemptionis, 1 *Tim.* 2. 5. *Act.* 4. 12. Sancti poſſunt eſſe Mediatores Interceſſionis. Et ſi non virtute Meriti & Interceſſionis propriæ, virtute tamen Chriſti. *Obj.*

1. Qui ipſe indiget Mediatore, haud aptus erit aliorum. *Sol.*

2. Adverſarii petunt à Sanctis, ut virtute propriorum meritorum intercederent, quod ex Breviariis illorum pateat.

3. Chriſtus ſolus eſt Mediator Interceſſionis; ſolus enim eſt Via & Vita; & *Nemo venit ad Patrem niſi per ipſum*, *Joan.* 14. 6. de Solo Chriſto dicitur, quod pro nobis interpellet, 1 *Joan.* 2. 1. *Rom.* 8. 34. *Heb.* 9. 24. & 7. 25.

Sancti in terris exorandi ſunt, ut pro nobis intercederent. *Obj.*

Sed qui in Cœlis conditionem & neceſſitates noſtras (niſi in genere) non nôrunt, multo minùs ſinceritatem cordis, *Job* 27. 14. *Si augeſcant liberi, ignorat*, &c. Nec præceptum, nec promiſſum, nec exemplum approbatum habemus, ut eos invocemus. *Sol.*

Officium Chriſti Regium eſt quo Eccleſiam ſuam gubernat, & adverſus hoſtes tuetur.

Tum Chriſtiani tum Judæi Meſſiam Regem fore agnoſcunt, *Pſ.* 2. 6. *Zach.* 9. 9. *Joan.* 18. 37. & *Rex Regum* eſt *Apoc.* 17. 14. & 19. 16. Sed Judæi ex Prophetiis malè intellectis Regnum illius eſſe Temporale expectabant, & Regnum qui eos Exules in patrias ſedes perducturus ſit. Nec

non

non eadem apud Apoſtolos obtinuit Opinio, unde ante mortem illius de primatu inter ſe contendebant, & poſt Reſurrectionem quærunt, an tunc temporis Regnum reſtituendum eſſet *Iſraeli*, Act. 1. 6.

Judæi quidam recentiores de duplici Meſſiâ ſomniarunt, quorum unus pauper & humilis, variiſq; perſecutionibus obnoxius ſit; alter fortis & potens ſplendidè ſit regnaturus; Sacra verò Scriptura de unico loquitur, cui tamen duplex; ſtatus competeret; utrumq; nuper explicuimus.

Regnum Chriſti hoc loco intelligitur, non Naturale in omnes Creaturas quas gubernat, quâ λόγος unà cum Patre & Spiritu S. ſed Mediatorium ſeu Oeconomicum cui præficitur quà θεάνθρωπος, & cujus Adminiſtratio conſiſtit in Eccleſiæ Collectione, Gubernatione, Defenſione & Glorificatione.

Quæſt. *Num Regnum Chriſti ſit Temporale & Mundanum, an Spirituale & Cæleſte?*

Reſp. Non *Temporale* & *Mundanum*, non enim venturus erat Meſſia donec auferenda erant à Judâ Sceptrum & Legiſlator, & evertenda Civitas & Templum, *Gen.* 40. 10. *Dan.* 9. Et diſertè Chriſtus enunciat Regnum ſuum *non eſſe ex hoc mundo Joan.* 18. 36.

Obj. Luc. 1. 32, 33. *Solium Davidis dandum erat Chriſto, & Regni ejus non futurus erat finis.*

Sol. Ut Regnum *Chriſti* in Regno *Davidis* adumbratum fuit, ità & perficiendum, ſed modo ſpirituali non temporali; nam ſceptrum ſæculare removendum erat à Domo *Davidis.*

Obj. Oracula Prophetarum innuunt reſtitutionem & perpetuam durationem Regni Judaici, *Deut.* 30. 2. 4, 5. *Ezek.* 17. 23, 24. *Dan.* 7. 27. *Mica.* 4. 6, 7, 8.

Κατὰ τὸ ῥητὸν nec impleri nec intelligi poſſunt de Judæâ carnali; Mos autem Prophetarum erat de rebus ſpiritualibus loqui terminis legalibus, in iis temporibus, benè notis. **Sol.**

Meſſias virgâ ferreâ contriturus erat Reges Terrenos *Pſ.* 2. 9. **Obj.**

Formula hæc loquendi de *Virgâ ferreâ* cum Metaphorica ſit, ſenſus hic eſt; *Verbo Evangelii* (quod *Sceptrum* eſt *Meſſiæ*) haud difficiliùs ſubigendi ſunt Reges terreni, quam vas figulinum virgâ ferreâ confringitur. **Sol.**

Num Regnum Mediatorium Chriſti duraturum ſit in æternum? **Quæſt.**

Mediatio Chriſti quodammodò ceſſatura eſt, ſcil. quoad Salutis acquiſitionem, & applicationem, non autem quoad ejus conſervationem. Stabiliendus enim dicitur Thronus Chriſti in perpetuum, 2 *Sam.* 7. 12, 13. & *Dan.* 2. 44. *Regnum eſt non evertendum in Sæcula*, Dan. 7. 14. dicitur *Regnum quod non tranſibit, neque diſſipabitur*, & 2. 44. **Reſp.**

Æternum ſæpè dicitur quod diù admodum durabit; ità Paſcha, Sabbatum, &c. **Obj.**

Chriſti Regnum Æternum dicitur oppoſitè ad Regna mundana, cujuſcunq; durationis aut dignitatis, ſive per æs, argentum, ferrum, aut aurum denotentur; eſt enim Regnum nequaquam mutandum, *Heb.* 12. 28. **Sol.**

Pſ. 110. 1. Chriſtus *ſeſſurus eſt ad dextram Dei, donec poſuerit inimicos in ſcabellum pedum ſuorum.* **Obj.**

Donec, *uſquedum*, &c. adſtruunt tempus præteritum, non autem futurum; negant aut excludunt; ſic *Matt.* 28. 20. non excludit communionem ſuam cum diſcipulis in æternum per promiſſionem uſq; ad conſummationem ſæculi; ſic *Gen.* 28. 15. *Pſ.* 123. 2. **Sol.**

Chri-

Obj. Chriſtus Regnum traditurus eſt Deo Patri 1 *Cor.* 15. 24.

Sol. 1. Regnum traditurus eſt, non per ejus depoſitionem & abdicationem, ſed per ejus conſummati Exhibitionem, &quaſi rationem miniſtrationis redditurus.

Inſt. Chriſtus ipſe ſubjicietur illi qui omnia poſuit ſub pedibus ſuis, uti loco laudato dicitur.

Sol. Subjectio illa non referenda eſt ad *Filium* quaſi ex Rege fiat Subditus, ſed quoad priorem adminiſtrationem, non omnimodam muneris illius depoſitionem; Mediatio enim Chriſti (uti ſuprà diximus) ceſſatura eſt quoad ſalutis acquiſitionem, & applicationem variæ autem functiones Chriſti nunquam ceſſaturæ exiſtimantur, quod ad *Munus Propheticum* in Æternum beatos illuminabit *Apoc.* 21. 23. *Splendor Domini illuminabit [civitatem] & Agnus erit ejus Lucerna*, quod ad *Sacerdotium* jugem repræſentationem Sacrificii ſui exhibiturus eſt. Et quod ad *Regium*, ſemper Rex & Sponſus Eccleſiæ permanſurus eſt (ut arbitrantur plurimi) unde *Apoc.* 11. 15. & 12. 10. diſtinctè nominantur *Regnum Dei* & *Regnum Chriſti*.

Vel, ut alii exiſtimant, Subjiciendus eſt Chriſtus, & Regnum Patri tradendum, non per depoſitionem abſolutam, ſed ſubordinationem, & ceſſationem modi Regiminis, qui in hoc ſæculo obtinuit; & *Deus erit omnia in omnibus* excluſivè ad media externa, *Verbum*, *Sacramenta*; non autem excluſivè ad Chriſtum, *Caput* & *Sponſum Eccleſiæ*.

CA-

Caput X.

De Fœderis Obſignatione, ſive de Sacramentis N. Fœd.

Sectio I.

De Sacramentis in genere.

SACRAMENTUM apud Græcos *Myſterium* appellabatur à *μύω abſcondo*; quod ſub ſpeciebus externis aliud quid (non re ipsâ, ſed ſignificatione &uſu) *abſcondebatur*. Sic *Apoc* 1. 20. *Myſterium* 7 *Stellarum* ſunt 7 Eccleſiæ; ità etiam *Apoc.* 17. 5. 1 *Tim.* 3. 16. *Eph.* 5. 32. Et quod Græci *Myſterium*, illud Latini *Sacramentum* vocârunt; quæ Vox originem à Sacro duxit. Atq; olim Juramentum quo milites certis Sacris ritibus Duci ſuo vel Reip. fideles fore ſe devinxerunt, *Sacramentum* vocârunt. Inde *Tertul.* primò, aliiq; poſteà vocem illam tranſtulerunt ad Signa ſolennia, quibus Chriſtiani obſequium Deo debitum præſtare ſe obſtringunt, & ille viciſſim Beneficia ſua iis impertire pollicetur.

Sacramentum ergò (ſi conſideretur cum reſpectu ad Materiam ſuam) eſt *Signum* & *Sigillum* divinitùs præſcriptum, quo de Gratiâ *Fœdere* promiſsâ certiores facti ſimus. Sin conſideretur cum reſpectu ſpeciali ad illius Adminiſtrationem, dici poteſt *Actio à Deo inſtituta, Promiſſa Fœderis*

 ſui

ſui clariùs fidelibus manifeſtans, obſignans, & exhibens; *illoſq; ad Fœderis obſervationem arctius obſtringens.* Non enim Aqua ſimpliciter eſt Baptiſmus, ſed Aquæ aſperſio, idq; non niſi ritibus Chriſti Inſtitutioni congruentibus.

Cauſ. Effic. Cauſa Sacramenti *Efficiens* eſt DEUS. Illius enim eſt Gratiam obſignare, cujus eſt promittere & conferre. Deus autem Incarnatus, Chriſtus θεάνθρωπος non excluditur.

Iſtrumentum. Inſtrumentum quo *Sacramentum* efficitur eſt *Verbum Mandati* & *Promiſſionis*; Cauſa adminiſtrans eſt *Paſtor*, 1 Cor. 4. 1.

Materia. Materia Sacram. { *Externa* eſt, tum *Signum Subſtantiale*, ſive *Elementum ſenſibile* (non accidens à Subjecto ſeparatum) ut *Aqua*, *Panis*, *Vinum*, tum *Actio* ſeu *Ritus*, ut *Circumciſio*, *Ablutio*, *Manducatio*, *Bibitio*.
Interna eſt *Res Signata*, tum *Subſtantia*, *Chriſtus*, *Nucleus Sacramentorum*, tum *Actio*, *Dei Remiſſio*, *Regeneratio*, *Chriſti communicatio*, *Fidelium conſenſus* Fœderatis conditionbus. }

Forma. Forma eſt *Analogia*, & mutua χέσις ſeu Relatio *Signi* ad *Signatum*.

Finis. Finis proprius eſt *Obſignatio promiſſionum Evangelii*; Accidentalis eſt *Teſtificatio Pietatis*, & *Diſcretio ab Infidelibus*.

Theſes quædam Explicatoriæ.

1. *Unio* ſeu *Conjunctio Signi* & *Rei ſignatæ* in Sacramento non eſt propriè Spiritualis, qualis inter Rem ſignatam & Noſmet ipſos, ſed χετικὴ *Relativa*, ſeu *Sacramentalis* & *Significativa*. Non quod *Signum* in *rem Signatam* convertitur, aut eam continet ut Scyphus Vinum, ſed *Relativa*, qualis inter

inter Verbum Evangelii & rem Evangelio promiſſam.

Unio ſeu *Conjunctio Noſtri* cum *re ſignificata*, non eſt *Eſſentialis* aut *Perſonalis*, ſed *Myſtica*, ſuo tamen genere *Realis*, & *Spiritualis* virtute Spiritûs ſancti, qui novit Fidei noſtræ vinculo longiſſimè diſſita conferre. 2.

Tum *Signa* tum res *ſignata* vere & abſq; dolo; reſpectu Dei, conjunctim nobis à Deo offeruntur; Diſtinctè tamen ità ut ſæpè qui *Signa* ſumit *Rem ſignatam* non recipit; non enim eodem modo percipiuntur *Signa* & *Res ſignata*, eò quòd *Signa* naturalitèr & corporalitèr, tum à fidelibus tum ab Infidelibus percipiuntur; *Res ſignatæ* percipiuntur reſpectu Dei donantis per Spiritum S. reſpectu noſtri per Fidem. 3.

Eſtne Fides de Eſſentiâ & Integritate Sacramenti, ità ut non ſit Sacramentum illi qui non cum fide ipſum recipiat? Quæſt.

Sive quis credat ſive non, *verum* Sacramentum ſumit reſpectu Dei, ſi legitimè adminiſtretur: nam *Fides* non Efficit Sacramentum, ſed *Inſtitutio Divina*, reſpectu tamen participantis ſine Fide, nudum Signum recipit. *Reſp.*

Eſt ſanè μεταβολὴ, ſeu mutatio Signorum in Sacramentis, non quoad Naturam, Subſtantiam, Quantitatem aut Qualitatem, ſed quoad Finem, Officium, Conditionem & Uſum. Quæ quidem *Mutatio* non perpetuò durat; ſed durante celebratione duntaxat: Nihil enim habet rationem Sacramenti extra uſum à Chriſto inſtitutum. 4.

Sacramenta erant quædam *Diviſio.*

Ante *Lapſum*, ut *Arbor vitæ*, quæ fuit *Symbolum* memoriale Immortalitatis, & forſan virtutem quandam habuit ad vitam perpetuandam; & *Arbor Scientiæ boni & mali*, ab eventu & experimento nominatus.

Veteri Teſt. Sacramenta *Meſſiam* promiſſum figurantia erant,

tum { *Temporalia, Accidentalia,* & *Extraordinaria*; ut, *Diluvium, Tranſitus per mare, Commoratio ſub nube, Manna, Aqua & Petra, Liberatio Noæ è diluvio,* in Signum *Eccleſiæ liberandæ.*

Fixa & *Ordinaria,* quibus nonnulli referunt iridem, quem vocant

{ Sacramentum *Generale,* quià fœdus cum Univerſis terræ Incolis obſignat, & *Naturale,* quia in re naturali inſtitutum. Non enim tunc primum fabricatus erat *Arcus Cæleſtis,* ſed exinde Signum exſtitit Mundum aquis iterum non periturum.

Specialia, ut

1. *Circumciſio,* quæ ſacramentum erat, conſtans ex Signo & Re ſignatâ, ſcil. Conſortio in *Fœdere,* & Circumciſione *Interna* ſeu *purgatione* Cordis, appellatur *Fœdus* perpetuum, ſed idem de *Templo* & *Sabbato* dicitur *Pſ.* 132. 14. & *Exod.* 31. 16. etiamſi Chriſto deſiturum. *Holam* non ſemper ſignificat *durationem* ſine fine, ſed longam durationem; ità, *Serviet æternum qui parvo,* &c. canit Poët. Chriſtus quamvis peccato immunis Circumciſus erat, ut teſtaretur ſe Fratrem de genere *Abrahami,* & Legi obnoxium.

2. *Paſcha,* quod proprie *Tranſitum,* & κατ' ἐξοχὴν *Tranſitum* non *Populi* ſed *Angeli* percutientis Ægyptorum primogenita, & prætereuntis domos Iſraelitarum; figuratè *Feſtum, Agnum* & *Ipſum Chriſtum* ſignificat.

Non in eo ponendum eſt diſcrimen inter Sacramenta Vet. & Novi Teſtam. quod illa *Gratiam* adumbrabant, quam Hæc præſentem offerunt; Nam in utroq; Teſt. idem Chriſtus & eadem

eadem Chriſti Gratia proponitur. Nec obſtat, quod abſonum alicui videatur, Patres Vet. Teſt. Carnem Chriſti manducâſſe priuſquam incarnatus erat; Chriſtus enim heri, hodiè, & in ſæcula *Cibus* erit *Spiritualis*, & *Agnus mactatus à jactis Mundi Fundamentis.* Patres etiam *fide* præditi erant, quæ facit ut extent quæ nondum ſunt.

Dicit quidem *Paulus*, Gal 4. 9. *Vetera* fuiſſe *infirma*, *jejuna*, & *carnalia*, nec poſſe *ſanctificare*, attamen potuerunt Chriſtum & Gratiam fidelibus exhibere. Non enim loquitur de Signis V. Teſt. ſimplicitèr, ſed quatenùs per Chriſtum jam abrogata fuerunt, & uti tunc temporis habebantur ſeorſim à Chriſto.

In *Novo Teſtamento* ſeu *Chriſtiana Eccleſia Sacramenta duo ſunt*, *N. Teſt.*

Nempe { *Initiationis* ſeu *Regenerationis* Circumciſioni ſuccedens, *Baptiſmus*;
Nutritionis, *Cœna Domini* loco *Paſchatis*. }

Neq; plura erant à Chriſto Inſtituta, neq; alia ſunt quæ obſignant *Fidei* Juſtitiam.

Quæ his adduntur à Pontificiis, imprôpriè dicta ſunt Sacramenta. Nam ad Sacramentum proprie dictum requiruntur

1. *Divina Inſtitutio*;
2. *Elementum*, ſeu *Signum Externum*;
3. *Verbum Promiſſionis*, ſive *Gratiæ Salutaris promiſſio* 1 *Cor*. 10. 16.

In *Pœnitentia* Pontificiorum deeſt Elementum ſeu Signum Externum. *Contritio* eſt *Quid internum* & non incurrit in Senſum, nec alius actus pœnitentis poteſt hunc defectum ſupplere. *Signum* enim eſt à *Sacerdote* adminiſtrandum. Illius autem abſolutio ineptè diceretur Signum *Sacramentale*, quia ad Signum accedere oportet Verbum ut fiat Sacramentum.

Extrema Unctio, non fuit Signum *Gratiæ Juſtificationis* conferendæ, ſed valetudinis; imò apud

Pontificios eſt valetudinis deploratæ, & Mortis inſtantis *Symbolum.*

Hujus præſidium fruſtrà quæritur, *Jac.* 5. 14. Ubi loquitur Apoſt. de Signo illo quod in Uſu fuit durante Miraculorum dono, *Marc.* 6. 13. & quatenùs Medium aut Symbolum erat Valetudinis recuperandæ, aut forſan Ceremonia cui aſſueverunt *Orientales*, & quâ liberè uſi fuerunt Apoſtoli. Nullibi enim legimus Unctionem iſtiuſmodi fuiſſe Juſtificationis Gratiæ Symbolum, aut Sacramentale Signum.

Ordo & *Matrimonium* non obſignant *Fœdus* ſive *Gratiam Juſtificationis* omnibus fœderatis *communem*, ſed Deſignationem ad Statum & conditionem Vitæ.

Confirmatio deniq; caret ſigno divinitùs inſtituto. Non enim legimus Chriſtum mandâſſe aut Chriſma Pontificiorum aut Impoſitionem manuum, quæ ſive Actus Miniſtri ſive Ritus communis, (imò temporarius & in V. Teſt. uſitatus,) ineptè cenſetur *determinatum Signum ſacramenti.*

Efficacia Sacramentorum. *Sacramenta* non ſolum vim objectivam habent (ut Verbum quod fit *Efficax* ex eo quòd ſit Objectum Intellectûs & *ſignificativum* rerum *Verbo* contentarum) ſed inſuper Vim habent *Obſignativam*; ſunt *Sigilla* æq; ac *Signa* Rom. 4. 11. *Signum* accepit *Circumciſionis*, *Sigillum Juſtitiæ fidei*; nec non *Exhibitivam*, aliàs quorſum Infantes baptizarentur qui ſignificationem Baptiſmi, tum cum adminiſtratur, non nôrunt. Exemplificatur in *Coronatione Regii Infantis* in Cunis, quæ tum ſignificat tum exhibet autoritatem *Regiam*. Aliam certè quam *ſignificativam efficaciam* innuunt Dicta, *Eph.* 5. 26. *Baptiſmus* eſt *Lavacrum Regenerationis.* 1 *Pet.* 3 21. *Nos Salvos* facit. *Act.* 22. 16. *Baptizare & ablue peccata*, &c.

Eſt *Medium Ordinarium* quo Deus *Gratiam* confert Infantibus, ad ſalutem eorum ſufficientem.

Non

Non Gratiam in ſe continent, ac ſi illius vaſcula eſſent, aut Gratia iis alligata; neq; *Gratiam* conferunt ex opere *Operato*, & ſuâ *vi*; ſed ſenſu morali, ſicut *Evangelium* dicitur *Potentia Dei ad Salutem* 1 *Cor.* 1. 18. & Eccleſia dicitur *mundari Lavacro Aquæ* per *Verbum*, quod fit Efficax per operationem mentis, quæ tum *Signa* tum *Res ſignatas* ritè ponderat & meditatur.

Sacramenta non imprimunt characterem ſeu ſigillum aliquod Spirituale & indelebile ex ſe, aut ex virtute ſupernaturali ipſis inhærente, aut *Phyſicâ* alicujus *Signi impreſſione*; Deus tamen per ea tanquam Inſtrumenta Sacramentalitèr, & Spiritualitèr pignore Spiritûs ſui & Fide, nos veluti notat & obſignat; ab Infidelibus diſcernit, & ad Profeſſionem Chriſtianam deputat 2 *Tim.* 2. 19. *Novit Deus qui ſunt ſui*, &c. 2 *Cor.* 1. 22. *Signavit nos & dedit pignus Spiritus*, *Eph.* 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum à quo ſignati eſtis.*

Num per Malitiam Miniſtrorum Sacramenta redduntur inefficacia? Quæſt.

Rom. 3. 3. *Fidem* (ideoq; *Inſtituta Chriſti*) *non irrita facit infidelitas hominum.* *Reſp.*

Phil. 1. 16. *Quidam ex contentione Chriſtum annunciant; utcunq; Chriſtus prædicatur, & in hoc gaudebo*, 18.

Pſ. 50. 16. Improbo dicit Deus; *quid tuâ refert, ut enarres Decreta mea cum oderis diſciplinam?* &c. *Obj.*

Non de *Sacerdotibus* ſolummodò, ſed *Hypocritis* omnibus illud dicitur. *Sol.*

Interim de *Sacerdotibus* cum aliis. *Inſt.*

Enarratio fœderis *ipſis* futura erat inutilis, non aliis. *Sol.*

Nullâ autoritate muniuntur ad illud Officium. *Quid ad te attinet?* Dicit Deus. *Inſt.*

Sol. Aliter reddi poteſt *quarè, quorſum,* aut *cur tu enarras?* &c. defectus in Exercitio Officii, non ipſius Officii denotatur.

Obj. Matth. 7. 16. *à fructibus eorum agnoſcetis eos; num ex ſpinis uvæ colligantur,*&c. de Pſeudoprophetis dicitur.

Sol. Fructus illi non ſunt tam Vitæ opera, quam prava dogmata vel fructus qui ex pravâ illorum Doctrinâ oriuntur; aliàs enim *Hæretica* docens poteſt operibus vitæ aliis prælucere.

Obj. 1 Tim. 3. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſum eſſe.*

Sol. Aliud eſt *Delictum* Miniſtri, aliud *Nullitas* Officii.

Obj. *Nil dat quod non habet*: Gratiam ergò ſalutarem aliis communicare non poſſunt.

Sol. Non valet *Axioma* in Cauſis Inſtrumentalibus, quarum virtus præcipua eſt à Cauſâ principali.

Obj. Per *Brachium arefactum* non poſſunt Spiritus Animales tranſmitti, ergò nec Gratia Spiritûs S. ad alios per *Miniſtrum Spiritu S.* deſtitutum, utpote per Medium incongruum & ineptum.

Sol. *Sacerdotes* non ſunt *Media Naturalia* ſed *Moralia*; Nec per eos propriè communicatur Spiritus S. ſed *Media* ſunt & *Inſtrumenta* ad Tranſmiſſionem *Verbi* & *Sacramentorum*, per quæ Spiritus *Gratiæ* communicatur.

Quæſt. *Num Attentio & Intentio* (ſaltem Generalis faciendi quod facit Eccleſia) *in eo, qui Sacramenta adminiſtrat, requiratur ad eorum Efficaciam?*

Reſp. Requiruntur in Perſonâ Miniſtri ad ejus Fidelem Adminiſtrationem, ſed non ad Eſſentiam aut Efficaciam Sacramentorum.

Obj. Tum *ſimiâ* aut *Pſitaco* baptizantibus, Efficax erit Sacramentum.

Sol. Chriſtus non iſtiuſmodi Sacramentorum Adminiſtratores inſtituit; Cujus *Inſtitutio* noſtra eſt *Inſtructio.*

Si

Si Recta Intentio non comitetur & determinet actionem & verba in Officio *Baptiſmi*, tum ſi Sacerdos eadem forſan verba adhibeat dum quoquo modo faciem Infantis aqua mundet à ſordibus, non diſtingueretur Sacramentalis ablutio à communi iſtâ mundatione corporis. **Obj.**

Determinatio fiet per Seriem Actionis & Circumſtantias juxta inſtitutionem, ex quibus appareat, an Sacramentum celebretur, necne. **Sol.**

Miniſtri ſunt Inſtrumenta Chriſti *rationalia*; Ergò niſi *Rationis intentione* Chriſto ſerviant in *Sacris celebrandis*, non agunt quaſi Chriſti inſtrumenta. **Obj.**

Non agunt uti decet Chriſti Inſtrumenta; hoc autem *ipſis* non *aliis* nocebit. **Sol.**

Actus humanus fit per concurſum Intellectûs *Hoc agentis*, ſive curantis rem quæ præ manibus eſt; ſed Actus miniſtrandi Sacra, eſt Actus humanus, non merè hominis, caſualis aut per impetum. **Obj.**

Eſt Actus humanus quoad Naturam Actûs *genericam*; & ad eum concurrunt Intellectus & Voluntas; ſed quoad Naturam Actûs *Sacramentalem* in Ordine ad Effectum *Sacerdos* eſt Cauſa tantum Inſtrumentalis, cujus Actus Effectum ſortitur à Chriſto qui eſt Cauſa Principalis. **Sol.**

Si non recta Intentio Neceſſaria eſſet; tunc ſi Sacerdos in Menſa legeret Evangelium & recitaret Verba illa [*hoc eſt corpus meum*] totus panis, quem tangit, conſecraretur, nihil enim ſupereſt in pronunciatione Sacramentali verborum conſecrantium, præter intentionem Sacerdotis. **Obj.**

Sacramenta ſunt Actiones ſacræ & ſolennes; ſi fiant (quantum judicare licet ab Externis circumſtantiis) non ſeriò & ſolenniter, ad finem debitum, & more inſtituto, ex occaſionali verborum recitatione, non ſunt Sacramenta inſtituta, & ſi per jocum, aut ludo ſcenico, ad Religionis **Sol.**

onis deriſionem, &c. non obſervatur Chriſti inſtitutio, nec Sacramenta ſunt, ſed Sacrilegia.

Pontificii aſſerunt Intentionem ſacerdotis neceſſariam eſſe ad Effectum aſſequendum: Qui autem cautiùs loquuntur, diſtinguunt inter intentionem Actualem, Habitualem & Virtualem. Intereà vero

Actualis non eſt in noſtrâ poteſtate, ut ſemper adſit, ob naturalem mentis evagationem.

Habitualis non ſufficit, poteſt enim eſſe in dormientibus; quod ſi noctambulo alium baptizaret, non eſſet Sacramentum, quia non Actus voluntarius.

Virtualis dicitur, quæ quando ceſſante Intentione actuali per Mentis evagationem, nihilominus virtute ejus procedit operatio. Hæc quoque non neceſſaria eſt ad Efficaciam Sacramenti. Sacerdos enim Atheus eſſe poteſt, & contrarium rectæ intentioni corde occultare, unde ſi Sacramentum ab eo Adminiſtratum inefficax eſſet, Fidem Dei irritam redderet hominis infidelitas, *Rom.* 3. 3, Dein baptizatus neſciret an Reverà eſſet Chriſtianus; & Euchariſtiam cum Beneficiis exhiberi non conſtaret.

Sacramenta & *Sacrificia* conveniunt in eo, quòd à Deo inſtituta, *Symbolicam* ſignificationem habuerunt. *Mactatum animal* ſignificabat Naturam humanam Mortis ream, &c.

Differunt, quòd in Sacrificiis aliquid offertur Deo, in Sacramentis aliquid à Deo offertur nobis.

Vid. Curcel. l. 4. c. 17. *Paſcha* quidem fuit *Sacrificium* & *Sacramentum*; Novo autem Teſt. *Unum Sacrificium* alia omnia propriè ſic Dicta abrogavit, *Heb.* 10. 14. unâ oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos.

In Vet. Teſt. Sacrificiorum Genera erant Δῶρα *Donaria*, ut primitiarum; Εὐχαριστικὰ *gratiarum actoria*;

actoria; θυσίαι *victimæ*, ut Animalium, & Ἱλαστικὰ *propitiatoria* pro peccato.

In Novo præter Unicum illud Chriſti Sacrificium propriè dictum, non alia ſunt niſi impropriè dicta; qualia ſunt *Laudis* & *Beneficentiæ* quibus delectatur Deus, *Heb.* 13. 16. *Preces*, *Sanctimonia*, Rom. 12. 1. Si *Sacramenta* N. T. quandoque dicuntur *Sacrificia*, intelliguntur *Sacrificia Spiritualia* propter preces & gratiarum actiones in iis oblatas.

Obj. Etiam hodiè ſacrificandus eſt Chriſtus, ut Sacrificium illius in Carne nobis applicetur.

Sol. Pugnant, idem factum eſſe & faciendum. Virtus illius Sacrificii applicanda eſt internè à parte Dei per Efficaciam Spiritûs S. & à parte noſtrâ externè per Verbum & Sacramenta à Chriſto inſtituta, & internè per Fidem.

SECTIO II.

De Baptiſmo.

Baptiſ. Vox. Baptiſmi Vox Merſionem ſignificat, ſæpè etiam Lotionem & Aſperſionem.

Figurata vocis acceptio quadruplex occurrit in Scripturis, & à Scholaſticis denominantur,

1. *Flaminis* ſive *Chariſmatum* Sp. S. *Matth.* 3. 11. *Act.* 1. 5. *Baptizabit Sp. S. & Igne.*

2. *Sanguinis* ſive *Martyrii*, Mar. 10. 38, 39. *Num poteſtis Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?*

3. *Luminis* ſive *Doctrinæ*, Act. 18. 25. *Apollos* —— *ſciens tantum Baptiſma Joannis.*

4. *Fluminis* ſive *Aquæ*, quæ hujus loci eſt. *Matt.* 3. 11. *ego baptizo aquâ in reſipiſcentiam.* Eſtque

Quid. Primum Novi Fœderis Sacramentum, quo per Lavacrum aquæ peccati ablutio per ſanguinem

&

& Spiritum Chriſti in Eccleſiam ſuam admittendis ſignificatur & obſignatur.

Inſtitutio. *Inſtitutio* ejus fuit *Divina*, Joan. 1. 33. *Qui miſit me ut baptizarem*, dixit, *ſuper quem videris*, &c. Matth. 28. 19. Judæi varias lotiones, *Baptiſmata* dictas, habuerunt, *Heb.* 9. 10. & Ritum ab iis obſervari ſolitum, circa Proſelytos Juſtitiæ inſerendos Reip. Iſra. Chriſto placuit deſignare in Sacramentum *Novi Fœderis Joannis Miniſterio.*

A quibus adminiſt. *Baptiſma* non niſi à *Miniſtris* legitimè vocatis adminiſtrandum eſt, Matt. 28. 19. 1 Cor. 4. 1. *Hi ſunt Oeconomi & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*; atque etiamſi omittendum non eſt, cum legitima illius adminiſtratio haberi poteſt, non tamen ea eſt illius neceſſitas, ut cum Pontificiis aut Lutheranis, Laicis & Mulieribus permittatur.

Eorundem eſt *Baptizare* & *Docere*, Matth. 28. 19. *Mulieres* autem *ſilere debent in Eccleſiâ*, 1 Cor. 14. 34. *Ananias* (quem interdum objiciunt) non erat vocatione deſtitutus, Act. 9. 11. 15. 17.

Quod à *Zipporâ* factùm legimus, auſum fuit temerarium fœminæ impotentis animi. Et Deus rem approbavit, non modum rei.

Obj. S. *Paulus* ait ſe non miſſum eſſe ad Baptizandum, ſed Evangelizandum.

Sol. Comparatè ſumenda eſt illa locutio.

Ab Hæreticis aut Pontificiis adminiſtratum non eſt pro nullo habendum, ſi juxta Formulam inſtitutionis fuerit *in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* quamvis ſuperſtitioſa quædam admiſta fuerint. Nam miniſterium ejus,non eſt earumPerſonarum, ſed Eccleſiæ in iis deliteſcentis; intereà non licet Reformatis offerre Liberos ſuos à Pontificiorum ſacrificulis baptizandos,ità enim in eorum Communionem tranſire viderentur.

Quæſt. *Num Baptiſmus quem per ludum adminiſtravit Athanaſius adhùc Puer, ab* Alexandro *Epiſcopo* Alexàndrino, *jure pro rato habitus fuerit?* Nequa-

Nequaquam, Summâ enim cum Religione, à legitimè miſſis, non à merè privatis, multò minùs à pueris per ludum & jocum adminiſtrandus eſt. *Reſp.*

Materia hujus Sacramenti, *Materia.*

Externa eſt tum *Aqua vulgaris* ſimplex (non Oleum, Sanguis, Ignis aliudve additamentum, *Deut.* 12. 32. *quicquid præcipio vobis facietis, non addes aut diminues ab eo*;) tum *Actio* Sacramentalis, ſcil. *Ablutio externa.*

Superſtitioni tribuitur, quod *Conſtantinus* Baptiſmum ſuum diſtulit, donec ad *Jordanem* pervenerat, quod tamen conſequi non potuiſſe, aiunt.

Interna eſt *Res ſignata.* Sanguis & Spiritus Chriſti, Inſitio in eum, Ablutio à peccatis, Mortis, Sepulturæ & Reſurrectionis Chriſti fructus, *Rom.* 6. 4. Adoptio & ingreſſus in Eccleſiam.

Forma Baptiſmi conſiſtit in Unione *Signi* & *Rei Signatæ*, Relativâ ſcil. & Sacramentali, quæ conſiſtit in Significatione & Obſignatione divinitùs inſtitutâ, unde ſequitur exhibitio ſimultanea, *Mar.* 16. 16. *Gal.* 3. 27. quamvis non ſubjectiva, ac ſi peccatorum ablutio externæ ablutioni ex opere operato alligaretur. *Forma:*

Nec *Baptizatus* ſemper eodem tempore Aquâ & Spiritu baptizatur: Promiſſio enim Spiritus annexa Baptiſmo eſt Pactionalis, Obedientiam & Fidem depoſcens, adeò ut Baptiſmus Spiritûs interdum præcedat, interdum comiteter, interdum ſubſequatur Baptiſmum aquæ.

In Infantibus quoad Ordinationem Divinam, Baptiſmus & Juſtificatio & Regeneratio concurrunt, ex fœderis naturâ, *Ero Deus tuus & Seminis tui*; ſed Effectus ſuo demum tempore declaratur. *Vide Obj. paulo poſt.*

Formula

Formulæ loquendi in Bapt. Formula in ipſa Adminiſtratione eſt, *in Nomine*, ſive *in Nomen Patris, Filii & Spiritûs S.* quæ denotat, 1. Baptiſmum fieri juſſu & Autoritate S. Trinitatis; 2. Illius Gratiam Baptizatis obſignari; 3. Baptizatos S. Trinitati obligari.

Formul. loquendi de Bapt. Formula loquendi de Baptiſmo eſt,

Interdum
- *Propria*, ut cum Baptiſmus *Externus* dicitur eſſe *Signum aut Sigillum*, *Rom.* 4. 11. *Col.* 2. 11. & cum Recipientes Baptiſmum dicuntur recipere rem ſignificatam, *Mar.* 16. 16. *Gal* 3. 27.
- *Impropria*, cum Baptiſmus externus vocatur nomine interni, *Tit.* 3. 5. illive hujus Effectus tribuitur, 1 *Pet.* 3. 21. & Sanguini Chriſti & Spiritui S. tribuitur vel nomen vel proprietas aquæ, ut *Zach.* 13. 1. *Ezek.* 36. 25. *Joan.* 3. 5. 1 *Joan.* 1. 7. 1 *Cor.* 6. 11. *Heb.* 9. 14. *Apoc.* 1. 5. & 7. 14.

Finis. Finis *Baptiſmi* eſt

vel
- *Principalis*,
- *Subordinatus*:

Principalis eſt, Confirmatio Fidei de Juſtificatione & Regeneratione.

ex
- Formulâ *Baptizandi in Nomen Patris, Filii & Spiritûs S.*
- Promiſſione annexâ, *Mar.* 16. 16. *Mar.* 1. 4. *Act.* 2. 38. & 22. 16. 1 *Pet.* 1. 21. *Rom.* 6. 3. 4. *Col.* 2. 12.

Subordinatus;

Subordinatus, depingit

Mortem, Sepulturam, & Reſurrectionem Chriſti; teſtatur
Ingreſſum & Receptionem in Eccleſiam; Admonet de
Remiſſione peccatorum, eandemque obſignat Credentibus;
Symbolum & Organon eſt Unionis & Societatis noſtræ cum Chriſto, ac proinde Bonorum ejus; & Hæreditatis cum ipſo participes per Baptiſmum efficimur. Eſt
Teſſera Profeſſionis, &c.

Effectus. Salus æterna & fidei & Baptiſmo aſcribitur; illi tanquam *Medio* quodammodo *neceſſario*, huic tanquam *Signo* & *Sigillo*, *Mar.* 16. 16. 1 *Pet.* 3. 21. *Effectus.*

Num Beneficia Baptiſmi æqualitèr ab omnibus qui illum recipiunt participantur? Quæſt.

Non niſi Sacramentalitèr, quia omnes eum ſuſcipientes non ſunt æquales. Impœnitentibus etiamſi verè offerantur, non re ipſâ conferuntur, ſed Sacramento tenus; neq; Dona Spiritûs, Fides, Spes, & Charitas Electis paritèr communicantur, etiamſi æqualitèr ipſi Chriſto incorporentur, abſolvantur, & jure vitæ æternæ donentur. *Reſp.*

Baptiſmus *neceſſarius* eſt *Neceſſitate* Præcepti, quando haberi poteſt, non abſolutè, ità ut non mera privatio ſed contemptus illius damnet. *Neceſſitas*

Qui non renatus eſt ex Aquâ & Sp. non intrabit Regnum Cælorum, Joan. 3. 5. *Obj.*

Fuſius alibi locus hic explicatur; quoad Bapt. Aquæ, intelligendus eſt de iis, qui ſuâ culpâ non baptizantur, voto ſaltem. *Ambroſius* ait *Valentinianum* fuiſſe baptizatum voto & voluntate, licet non re ipſâ per lavacrum aquæ. *Sol.* Vide C. 7. §. 4. pag. 134. C. 7. §. 4.

Baptiſma

Unitas. Baptiſma unum eſt genere, reſpectu omnium Fidelium, *Eph.* 4. 5. Etiam unum numero, reſpectu ſingulorum fidelium baptizatorum, qui ſemel tantum initiandi ſunt Baptiſmo, *Rom.* 6. 3. *ſemel in Chriſtum inſerimur* ſive *regeneramur.* Sin Baptiſma non Formâ Legitimâ celebratum fuerit, ſcil. non explicatis perſonis S. Trinitatis, verè baptizanda eſt perſona Baptiſmate Chriſti; nec inde re-baptizari dici poteſt.

Obj. Qui in gravia admodum peccata lapſi fuerunt, videntur Chriſtianiſmum abrenunciâſſe; ergò re-baptizandi ſunt, ut denuò Chriſtiani fiant.

Sol. *Davidi* lapſo non opus erat novâ Circumciſione, ſed ejus recordatione ad pœnitentiam. Semel acceptum Baptiſma manet perpetuum teſtimonium & pignus fœderis cum Deo initi.

Quæſt. *Num auferatur omne Peccatum in Baptiſmo, an aliquouſq; maneat?*

Reſp. 1. Manet quâ Morbus & Radix peccati, quæ tamen à piis quotidiè mortificatur, donec tandem interit & evaneſcit.

2. Aufertur quoad ſtatum Perſonæ ſive Reatum, qui non imputatur fidelibus.

Quæſt. *Eſtne Sponſorum & Suſceptorum (quos Compatres, &c. vocant) uſus neceſſarius, an rejiciendus?*

Reſp. Non abſolutè neceſſarius quia non in Mandatis, at non rejiciendus, quia vetus conſuetudo Eccleſiæ, nihil habet mali; Ex charitate proficiſcitur, facit ad Ædificationem, ideoq; Eccleſiaſticâ Autoritate ſtabilitus neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, quo jubemur præpoſitis obedire, *Heb.* 13. 17, &c.

Quæſt. *Quinam Jus habent ad Baptiſmum?*

Reſp. Doctrinam Evangelii amplexantes, fideliumq; Liberi, *Act.* 2. 39.

Infantes,

Infantes, nam 1 Ad quos pertinet promiſſio fœderis, ſive *Signatum*, niſi aliquâ inſtantiâ in inſtitutione excludantur, ut fœmellæ à Circumciſione, ratione ſexûs; Infantes à Cœnâ ratione probationis & recordationis, *Act.* 2. 39. & 10. 47. 1 *Cor.* 7. 14. 1.

Circumcidebantur Infantes in Vet. Teſt. ergò baptizandi ſunt in Novo; Baptiſmus enim ſucceſſit Circumciſioni, *Col.* 2. 11, 12, 13. non in ſingulis circumſtantiis ſexûs & ætatis, ſed Re ſignificata, fine & uſu. Gratia tum Juſtificationis, *Act.* 22. 16. *Rom.* 4. 11. tum Regenerationis, *Tit.* 3. 5. *&c.* utroq; Sacramento obſignabatur, jusq; introitûs in Eccleſiam & communionis cum Eccleſiâ. 2.

Integræ familiæ baptizabantur non excluſis infantibus, *Act.* 17. 15. 33. 1 *Cor.* 1. 16. 3.

Priùs docendi ſunt quàm baptizandi, *Matt.* 28. 19, 20. Infantes autem doctrinæ incapaces. **Obj.**

Μαθητεύσατε propriè non ſignificat *docete*, ſed *diſcipulos facite.* **Sol.**

Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvabitur, Mar. 16. 16. Infantes non credunt. **Obj.**

Major de *Adultis* intelligenda eſt, ut indicant Verba ſequentia; *qui non crediderit damnabitur.* Num omnes Infantes damnandi? Ità 2 *Theſ.* 3. 10. *qui nolit operari nè edito*, ad Infantes non ſpectat. **Sol.**

Dein in *adultis* requiritur fides Actualis; Sufficit Infantibus Semen fidei, imò quod poſteri ſint Fidelium.

Adde quod regenerari poſſint infantes aliàs ſalvi non fierent, *Joh.* 3. 5. quamvis non planè iſtimuſmodi ſit in iis Regeneratio quæ in *Adultis* ſe exerit, viam tamen ſalutis per Baptiſmum intrant & juſtificari poſſunt, & cum Chriſto ſunt confœderati.

Liberis aperte improborum in Eccleſiâ non denegandus eſt Baptiſmus, neq; ex Adulterio natis, aut excommunicatis; Parentum enim Proximorum pietas non tantum reſpicienda eſt, ſed & Eccleſiæ in quâ nati, & Majorum; ſed per alios non ſolum ad Baptizationem offerantur per parentes apertè impios, & excommunicatos.

Papiſtarum Parvuli etiam baptizandi ſunt, quia Eccleſia licet occulta in Papatûs ſordibus reſidere præſumitur. Antichriſtus ſedet in Templo Dei; & in ipſo Papatu multi dogmata illius maximè exitialia non imbibunt.

Partus etiam Monſtroſi (ſi Veſtigia humanæ naturæ in iis ſuperſint) & Expoſititii (quos Reip. aut Eccleſiæ erit adoptare) baptizandi ſunt, non verò rebus inanimatis, ut Campanis, Navibus, adhibendus eſt Baptiſmus.

Chriſtus, qui nec Remiſſione peccatorum nec ad Regenerationem Baptiſmo indigebat, baptizari voluit, ut impleret omnem Juſtitiam, tum Moralem tum Ceremonialem. Subjici voluit & Legi Judæorum & iis quæ Deus in Miniſterio *Joannis* facienda præcepit; ut confirmaret, & ſibi probari Baptiſmum teſtaretur, uſumq; illius ſuo Exemplo nobis commendaret.

Mos erat olim quarundam Eccleſiarum Chriſtianos baptizari ſuper cadavera Martyrum & Sanctorum, ut ſe paratos mori propter Chriſtum, & Reſurrectionem credere profiterentur; unde illud S. *Pauli*, 1 *Cor.* 15. 29. *Quid facient baptizati* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ſi mortui non excitentur; νεκρὸς enim propriè ſignificat *cadaver hominis*, & ὑπὲρ (cum genitivo) *ſuper*.

Fructus Baptiſ. Fructus Baptiſmi, etiam Infantum varii ſunt. Servit Parentum conſolationi, promiſſionem confirmans de ſemine illorum; in Eccleſiam & in Chriſtum viſibilitèr inſeruntur. Bonorum à

Chriſto

Chriſto partorum per Baptiſmum participes fiunt & ubi adoleverint ad pietatem inde ſtimulantur.

SECTIO III.

De Sacrâ Cœnâ.

VARIIS Appellationibus inſignitur hoc Sacramentum. Vocatur *Corpus* & *Sanguis Chriſti*, Matth. 26. *Novum Teſtamentum per ſanguinem*, 1 *Cor.* 11. *Luc.* 22. *Cœna*, quia veſperi inſtituta, & *Dominica*, 1 *Cor.* 11. 20. Etiam *Menſa Domini* ab Autore, 1 *Cor.* 10. 21. *Fractio panis* à Ritu, *Act.* 20. 7. *Panis & poculum Domini*, à Signo, 1 *Cor.* 11. 27. *Communio corporis*, & *Sanguinis Chriſti* à Signato 1 *Cor.* 10. 16. Patribus Græcis *σύναξις* à Conventu fidelium, & *εὐχαριστία* quià cum Gratiarum actione celebranda, vel à Fine, ſcil. Recordatione Euchariſticâ. A Latinis *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti* ; *Memoria Domini* ; *Sacrificium memoriale, ſcil. unici illius Sacrificii Chriſti* ; *Sacramentum Altaris*, & *Miſſa*. *Voces Synonymæ.*

S. Cœna eſt alterum Novi Fœderis Sacramentum, quo per participationem panis fracti & vini effuſi, communio corporis & Sanguinis Chriſti crucifixi, in remiſſionem peccatorum, fidelibus ſignificatur & obſignatur. *Quid ſit.*

Author hujus Sacramenti fuit ipſe Chriſtus, *Matth.* 26. 26. 1 *Cor.* 11. 23, &c. *eâ nocte quâ proditus*, v. 23. ut Teſtamenti loco illud commendaret, Novum Teſtamentum morte ſuâ inchoari indicans, *Matth.* 26. 20. *Heb.* 9. 16. ut *mortis illius eſſet Memoriale*, Luc. 22. 19. & quia ex occaſione, & in locum Paſchatis. *Efficiens princip.*

Adminiſtr. Adminiſtrandum eſt per *Miniſtros Verbi*, 1 Cor. 4. 1.

Materia. Materia ejus eſt, vel { *Externa*, *Interna*.

Externa eſt, vel { *Elementaris*, *Ceremonialis*.

I. *Elementaris*, ſcil. *Panis*, & *Vinum*, quæ conjunctim unum conſtituunt Sacramentum.

1. *Panis*, & quidem *communis*; nam quod *azymus* erat in *primâ Cœnâ* fuit *per Accidens*, ob feſtum Paſchæ, aliàs *fermentatus* quandoq; in uſu fuit, *Act.* 2. 42. Panis autem ſit *verus* & *cibarius*. *Hoſtiæ Orbiculares* in uſu apud *Pontificios* & *Lutheranos*, ab aliis non approbantur, quia

1. Minus aptæ vim illam alendi ad vitam Æternam ſignificare & obſignare, quæ eſt in corpore Chriſti fide Apprehenſo, eo quod vix ſalutarem vim habeant ad alenda corpora, imparem certè pani quo confortari Cor hominis dicitur, *Pſ.* 104. 15.
2. Panis vocabulo indignas eas cenſet *Caſſander*, Liturgicis F. 66. quamvis Scriptor Pontificius.
3. Poſtquam Pontificii Doctores perſuaſerant Populo, Panem in corpus Domini tranſmutatum eſſe, harum uſum in Eccleſiam, dogmati ſuo aptiorem duxerunt, ſi non tum primum introduxerunt.
4. Ab Inſtitutione Divinâ non recedendum eſt, nec pro iis quæ à Chriſto præcepta ſunt, ſimilia pro arbitrio proponenda.

2. Materia S. Cœnæ eſt & *Panis* & *Vinum*, unde peccant, qui Poculum à Laicis detinent, nam ab Inſtituto Chriſti recedunt, aliter evangelizant quam Apoſtoli, & recens eſt Sacramenti mutilatio *Matth.* 26. 27. Mar. 17. 23. *Bibite ex eo omnes.*

Nullum

Nullum extat præceptum aut Exemplum de Laicis communicantibus ſub utrâque ſpecie. Chriſtus quidem dicit *bibite*, ſed 12 Diſcipulis non plebi; & Apoſt. 1 *Cor.* 11. 25. idem dicit, & ad ſingula Eccleſiæ Membra applicat *repetitionem Inſtitutionis*, non autem novum aliquod mandatum; ergò ſi verba illa Chriſti in Inſtitutione non ad plebem ſpectabant, tum nec Apoſtoli verba in 1 *Cor.* 11. 25. *Obj.*

Si *Vinum* Plebi denegandum, tum & *Panis*, nam in Inſtitutione Chriſtus *& panem & Vinum* iiſdem exhibuit. 1 *Sol.*

Ex aliis locis conſtat fractionem Panis ad Plebem pertinuiſſe, de Calice altum Silentium. *Inſt.*

In iis locis partem Cœnæ pro totâ exprimi pateat ex hoc ſequente Reſponſo. *Sol.* 2.

Apoſt. Inſtitutionem & repetit, & ad Corinthios accommodat, v. 29. qui *manducat & bibit indignè*, &c. ergò bibere pariter ac manducare ſingulis permittendum eſt.

Joh. 6. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in Æternum*; ergo Panis ſufficit. *Obj.*

Chriſtus ibi loquitur non de manducatione Sacramentali, ſed Spirituali, & de Pane *Significato* non *Significante*. *Sol.*

Quidam Chriſtiani *Nazaræatûs* voto ſe obſtringebant, inter alia abſtinere à Vino, ità *Paulus*, Act. 18. 18. quotidiè tamen, ſaltem frequenter communicabant. *Obj.*

Non credibile eſt Chriſtianos *Nazaræos*, aut votum ſuum antetuliſſe Sanctioni ipſius Chriſti, aut Votum violatum fuiſſe hauſtu Euchariſtico. *Sol.*

Genuino Symbolo uti voluit Chriſtus in S. Cœnâ, ut tum Corporis traditionem tum Sanguinis effuſionem quaſi ante oculos ſtatueret, ſola autem ſpecies Panis non repræſentat Chriſtum ut mortuum & Sanguinem effundentem, unde colorem non habet Pontificiorum Concomitantia.

Dein *Nutritio* noſtra (quæ hic figuratur) tum *Cibum* tum *Potum* poſtulat.

II. *Ceremonialis* Materia hujus *Sacramenti* eſt *Actio*,

nempe { *Miniſtrantis*, ut *Benedictio*, *Fractio panis*, & *Effuſio Vini*; non Elevatio, Oblatio, Aſſervatio, Circumgeſtatio.
Communicantium Acceptio, *Comeſtio*, *Bibitio*; non Adoratio. }

Fractio Panis non habenda eſt pro Ceremoniâ mediâ & Indifferenti, nam ad Finem & Scopum adeóque ad Formam S. Cœnæ pertinet, ſicut & Vini in poculum infuſio, quippe quibus Chriſtum cruciatibus laceratum, & adhuc ſanguinem emittentem fideles intuentur.

Ritus Fractionis S. *Pauli* tempore obtinuit, *Panis quem frangimus*, &c. 1 *Cor*. 10. 16. habetque ſignificationem Materiæ internæ apprimè congruam, 1 *Cor*. 11. 24. *Panem fregit*——*Corpus eſt quod fractum pro Vobis, hoc facite in mei commemorationem.*

Non quidem in Chriſto debuit Os frangi quemadmodum in typo Agnus paſchalis adumbravit, fractum autem dicimus quia convulſum, latus apertum eſt, confoſſæ manus & pedes, & verberibus laceratum corpus ab animâ ſeparaur.

Materia Interna S Cœnæ, ſive *Res ſignata*, Signo reſpondet tum Elementari tum Ceremoniali quoad omnes illius partes. *Pani, corpus Chriſti*; *Vino, Sanguis*; *Fractioni, vulnera, dolores, & Mors. Effuſioni Vini, Sanguinis Effuſio*; *Pani & Vino Separatis, Sanguinis à Corpore ſeparatio. Manducationi & Bibitioni, Spirituales Paſtus*, mediante fide, non modo Capernaitico, ſcil. *Credere in Chriſtum*, Johan. 6. 35. 40. 47. *& uniri cum Chriſto*, v. 56. *Spiritu illius vivificari*, 1 Johan. 3. 24. & 4. 13. 1 Cor. 6. 17.

Forma

Forma hujus Sacramenti conſiſtit non in mutatione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, nec eorum incluſione in illis, ſed in *Signi* & *Signati* σχέσει & Relatione, quâ hoc per illud ſignificatur & obſignatur; adeoque applicatur & præbetur; ſive in Analogiâ Signi & Signati. *Forma.*

Hinc *Forma loquendi* de S. Cœnâ alia eſt *Propria*, alia *Figurata* & *Tropica*.

- *Propria*, ut *hoc facite in Commemorationem*, *Luc.* 22. 19. 1 *Cor.* 11. 24. *quoties ederitis panem hunc, mortem Domini annunciatis*, v. 26. Sic *Panis* & *Vinum* quandoque à Patribus vocantur *Figuræ, Signa, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti.*
- *Figurata*, quando *Signo* tribuitur nomen *Rei Signatæ*, ut *hoc eſt Corpus meum; hoc Poculum eſt novum Teſt. in meo Sanguine*, &c. *Panis eſt communio Sanguinis Chriſti*, 1 Cor. 10. 16. Locutio hæc oritur ex aptâ inter *Signum* & *Signatum* Analogiâ, & certitudine conjunctæ Exhibitionis

Hinc Manducatio Sacramentalis eſt, tum
- *Externa* & *Oralis*, nempe Symbolorum;
- *Interna* & *Spiritualis*, nempe Rerum ſignatarum; ſive

duabus quaſi partibus conſtat,

Manducatione, ſcil.
- *Panis*, quæ non niſi Oralis, & Corporalis eſt,
- *Chriſti corporis*, quæ (uti aſſerunt Orthodoxi)

Spiritualis eſt, & fidelis Animi Exercitium, *Johan.* 6. 63. Chriſtus Spiritualem manducationem Carnis ſuæ fidelibus commendat; *Oralem* ſeu *Capernaiticam* abnegat.

Spiritualiter manducare corpus & bibere ſanguinem Chriſti,eſt *Credere in Chriſtum*, Johan. 6.35. *i. e.* Univerſam Chriſti doctrinam animitùs amplecti. Non modò aſſenſu ſpeculativo, quo cunctis verbi Divini revelationibus (ſive Hiſtoriæ ſint, ſive dogmata, ſive minæ, ſive promiſſa) tanquam veriſſimis aſſentimur; ſed aſſenſu practico & operativo, quo fidelis quiſque adeò afficitur, ut quod verum eſſe agnoſcit, illud ad praxin referat, & diligentiam adhibet, ut quod in mente radices ſatis altas egit, debitos, tum internè in affectibus, tum externè in operibus fructus edat.

Quæſt. *Num propriè an figuratè ſumenda ſint illa Verba* [*Hoc eſt corpus meum*]?

Reſp. Propriè volunt accipi tum Pontificii, tum Ubiquitarii.

Pontificii dum vi conſecrationis fieri ſtatuunt μετουσίαν, tranſubſtantiationem Elementorum in Carnem & Sanguinem Chriſti; ideoque pronomine *Hoc* non intelligunt Panem nec Corpus, ſed Subſtantiam vagam, q. d. eatenus cum Ubiquitariis Contentum ſub ſpeciebus Panis & Vini. Ubiquitarii enim συνουσίαν *Conſubſtantiationem* aſſerunt, ſeu *Coexiſtentiam Corporis & Sanguinis* in, cum, & ſub Pane & Vino, penetrationem dimenſionum admittentes. Utrique gloriantur ſe τὸ ῥητὸν retinere. Statuuntque *Oralem Manducationem*, Pontificii etiam Adorationem.

Nos Verborum formam Sacramentalem ità reſolvendam eſſe aſſerimus; *Panis* & *Vinum* ſunt *Signa* & *Sigilla Corporis* & *Sanguinis Chriſti.* Realem præſentiam in S. Cœnâ ſano ſenſu intellectam non negamus, Corpus enim & ſanguis Chriſti cum Pane & Vino uniuntur unione Pactionali,ſeu Relativâ, non autem coporalitèr & localitèr ſub ſpeciebus tanquam unicum earum ſuppoſitum

ſive

ſive ſubjectum, etiam extra Uſum, idque donec ſpecies intereant, ut docent Pontificii; Nam in Sacramentis Res ſignificatæ non ſolent in ſignis deliteſcere, ſed per ea ſignificari & obſignari, *Gen.* 17. *Exod.* 12. 1 *Cor.* 10. 16. *Panis, quem frangimus.* *Panis* poſt Conſecrationem revera *Panis* manet, & 1 Cor. 11. 26. *quoties ederitis Panem hunc*, &c.

Arg. 1. Niſi Diſcipuli exiſtimaſſent Panem vocari à Domino Corpus ſuum, eò quod ejus erat *Symbolum*, horrore proculdubiò perculſi fuiſſent ad talem ἀνθρωποφαγίαν invitati, ſed paulo ante comederant *Agnum* qui eodem ſenſu *Paſcha* i. e. *Tranſitus* appellabatur, *Exod.* 12. 43.

Converſio, μεταβολὴ quædam propriè dicta tribuitur Symbolis, non autem Converſio *Materiæ & formæ naturalis*, ſed *Officii*, *Conditionis*, *Finis*, & *Uſus*; uti ex communi cerâ fit authenticum publici inſtrumenti Sigillum.

2. Si Panis Subſtantia mutaretur, Sacramentum nullum eſſet: recedente enim Pane nihil relinqueretur quod ſignum eſſet. Res enim *Signata* ſola Sacramentum non eſt.

3. In primâ cœnâ Chriſtus aſſedit Apoſtolis viſibilitèr, panem fregit, vinum fudit, ipſe etiam comedit & bibit. Meritò delirare videantur qui credunt Chriſtum tunc inviſibilitèr ſub ſpeciebus illis delituiſſe, Corpus ſuum fregiſſe, Sanguinem effudiſſe, & ſemet ipſum comediſſe & bibiſſe.

4. In Sacramentis *Symbola* ſive *Signa* percipiuntur corporalitèr, *Signatum* ſpiritualitèr; at ſi manducatio ſit Oralis, nec *ſignum* eſt; quia aliud quid non ſignificatur; nec *Signatum*, quia non eſt quid Spirituale.

5. Verba Promiſſionis in Inſtitutione ſunt Sacramentalia, ergò ſecundum Subjectam materiam intelligenda. Sic Circumciſio eſt *Fœdus*, Gen. 17. 10. exponitur *Rom.* 4. 11. *Circumciſio eſt Signum Fœderis.*

Fœderis. Agnus eſt Paſcha, Exod. 12. 11. exponitur *Luc.* 22. 7, &c. & 1 Cor. 5. 7. *Agnus eſt ſignum & memoriale Tranſitûs*, Exod. 12. 13. & 13. 9. Verba etiam præceptiva docent Finem S. *Cænæ*, nempe *Commemorationem Mortis Dominicæ*, non autem eſt Recordatio ejus qui corporaliter adeſt.

6. *Corporalis Comeſtio* Chriſti, tum in Cœnâ, tum extrà Cœnam, tanquam inutilis & abſurda rejicitur, *Johan.* 6. 63.

7. Patres eundem comederunt Cibum Spiritualem 1 *Cor.* 10. 3. non tantùm inter ſe, ſed nobiſcum; at illi comederunt per fidem (corpus & ſanguis Chriſti nondum erant) Scopus enim Apoſt. eſt probare fideles V. Teſtamenti Corinthiis fuiſſe nequaquam inferiores quoad ſubſtantiam fœderis.

8. Omne Corpus eſt quantum, & finitum, & neq; plura eodem loco, neq; idem ſimul in pluribus locis eſſe poteſt. Neque poſſunt Accidentia extra Subjectum inhæſionis exiſtere.

Excep. Deus ſupplere poteſt defectum ſubjecti, ſicut & omnis cauſæ.

Reſp. Deus non ſupplet vicem Materiæ & Formæ in genere materiæ & formæ, ſed in genere Efficientis; Neq; ſe exerit Potentia Dei in Contradictoriis.

Eccleſia ad 6 Sæculum nec *Corporalem præſentiam*, nec *Oralem manducationem* defendit; Patres autem docent Panem & Vinum in Euchariſtiâ eſſe *Signa, Symbola, Figuras* & *Mnemoſyna*, Corporis & Sanguinis Chriſti. *Theodor. dial.* 5. ait, Chriſtum viſibilia Symbola Corporis & Sanguinis Appellatione honorâſſe non naturam mutando, ſed naturæ gratiam adjiciendo. *Auguſt.* & *Chryſoſt.* teſtantur, impios manducare Panem Domini non Panem Dominum.

Tertul. l. 4. *contra Marcion. c.* 40. Acceptum Panem & diſtributum Diſcipulis, Corpus ſuum illum

illum fecit, *Hoc eſt Corpus meum* dicendo, i. e. *Figura Corporis mei. Aug. contra Adimantium, c.* 12. Non dubitavit Dominus dicere *Hoc eſt corpus meum*, cum daret *Signum ſui corporis. Idem Epiſt.* 23. *ad Bonifac.* Si Sacramenta earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent, *&c.*

Objiciunt Pontificii pro *Tranſubſtantione.* *Obj. Pontific.*

Quandoq; reverà converſus fuit Panis in Carnem, ipſis ſenſibus obviam, ut in manibus *Gregorii* factum fuiſſe legimus.

Sol. Si non ſit merum commentum, factum fuiſſe credimus vel ad arcendos indignos à tanto Sacramento, vel ad commendandam ejus dignitatem, non ad confirmandam Tranſubſt.

Obj. Loca Scripturæ, quæ ſunt *Sedes Articulorum Fidei*, & *Mandatorum Dei*, abſq; figuris, &, ſicut verba ſonant, accipienda ſunt.

Sol. Non, quoties haud minus certitudinis eſt in Figuratâ locutione quæ ad Naturam Rei, de quâ agit, accommodata eſt, quam in propriâ adhibeatur; Sic locutio Sacramentalis de Sacramento, & Doctrina de Perſonâ Chriſti, figuratè traditur, *Johan.* 1. 4, 5. *Vita illa erat Lux hominum, & Lux illa in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Obj. Omnipotentia Dei tollit incommoda quæ *Tranſub.* & *Conſubſt.* ſequuntur.

Sol. Non niſi præceſſerat Voluntas Dei verbo ſuo disertè patefacta de rebus illis præſtandis.

Obj. Cur non corpus Chriſti, quod in Cœlis eſt, poſſit ſimul eſſe in Euchariſtiâ, æquè ac cum *Paulo*, cui aſtitit? *Act.* 23. 11.

Sol. Erat ſolummodo *Viſio nocturna*, & aliàs cum è cœlo *Paulo* occurrens in itinere eum allocutus eſt, potuit vel ſine voce more corporeo formata Sermonis conceptum potentèr imprimere, vel auditum corrobare, ut è Cœlo loquentem audiret,

æquè

æquè ac viſum *Stephani*, qui Chriſtum dextræ Dei adſtantem proſpexit, *Act.* 7. 56.

Evaſ. Corpus Chriſti eſt in Cœlo circumſcriptivè, & ſecundum naturales Corporis proprietates; in Cœnâ verò illocallitèr, miraculoſo quodam modo.

Sol. *Modi contrarii ſe mutuo perimunt*, nec modus fingendus eſt qui rei Eſſentiam deſtruit.

Obj. Corpus Chriſti glorioſum non ſubjicitur naturæ Legibus.

Sol. Gloria illa veritatem corporis non abolevit.

Obj. Patres quidam dicunt panem non effigie, ſed naturâ mutatum, omnipotentiâ Verbi factum eſſe Carnem, Linguam ſanguine Chriſti incruentari, corporaliter, naturaliter, & ut Cera liquefacta alii ceræ miſcetur.

Sol. Non propriè & ſine tropo loquuntur; nec poſſunt hæc propriè dici ſine *Capernaiticâ* Blaſphemiâ: Carni ejus ut Membra capiti coaleſcimus, ſed per fidem: Caro Chriſti aliàs in Cœlo eſt, & non alibi, *Cyril. l.* 11. *c.* 21. &c.

Qui pro *Manducatione Orali* contendunt, etiam objiciunt,

Obj. Verba Inſtitutionis propriè ſumenda ſunt, quia Verba ſunt Teſtamenti & Præcepti.

Sol. Verba Tropica non ſemper ſunt obſcura: *Locutio Sacramentalis* non aliena eſt ab inſtitutione Sacramenti, imò in ipsâ inſtitutione *Poculum* dicitur *Novum Teſtam.* non ſine tropo.

Obj. *Sacramenta V. Teſt.* figurabant *Gratiam*; *Sacramenta Novi conferunt*, Col. 2. 17. quæ ſunt umbra rerum futurarum, at *Corpus eſt Chriſti.*

Sol. Utrobiq; eadem erat *Eſca Spiritualis*, 1 Cor. 10. 3. & dicto loco ad *Coloſſ. Sacramenta* non *Sacramentis*, ſed *Chriſto*, tanquam *ſignato*, opponuntur.

De Significatione vocabulorum in Inſtitutione contendunt inſuper,

Per

Per demonſtrativum *Hoc* Orthodoxi *panem* intelligunt, ſcil. illud ipſum quod Chriſtus accepit, fregit, diſtribuit, & quod jubemur ore comedere *in memoriam* Chriſti. **Hoc *in Inſtitut. quid ſiig.***

Objiciunt autem; *Hoc* & Græcum τῦτο eſt neutrius generis, *ἄρτος panis* eſt maſculini: neq; poteſt abſolutè ſeu ſubſtantivè dici *Hoc* de re *monſtratâ* & *cognitâ*, niſi ſit neutrius generis. Nemo enim demonſtrato fratre diceret *Hoc eſt Frater*; aut de Imagine Cæſaris, *Hoc eſt Cæſar*. ***Obj.***

Ipſa Pontificiorum Verſio *Zach.* 1. 9. de iiſdem equis enunciat, Quid ſunt *iſti* & Quid ſunt *Hæc*? & *c.* 4. 4. de Olivis, Quid ſunt *Hæc*? Verſionibus quamplurimis, etiamſi hæc phraſis non tam frequenter uſurpari ſolet de Perſonis, ac de rebus inanimatis. ***Sol.* 1.**

Cum ſubjectum non eſt probè notum niſi in univerſali, efferri poteſt per titulum univerſalem, fatente *Bellarmino*; ut cum Objectum obumbratum haud diſcernitur an Arbor ſit, an lapis, an homo, dici poteſt Quid *Hoc* eſt? *Illud* eſt Homo. Et Myſterium *Panis* non tum probè notum erat Diſcipulis niſi in Univerſali, panem videbant, ſignificationem illius nondum ſciebant. **2.**

Illud ſignificatur per articulum *Hoc* quod Chriſtus accepit, fregit, juſſit manducari, *&c.* ***Obj.***

Nunquam juſſit Corpus ſuum propriè & non figuratè dictum, *Oraliter*, quaſi panem, manducari, *Johan.* 6. 35. &c. Perindè eſt, ſive per alia Inſtitutionis Verba [*Eſt corpus meum*] intelligamus [*Significat corpus*] ſive [*Eſt ſignum corporis mei*,] Phraſis enim Sacramentalis tribuit *Symbolis Nomina* rerum *ſignatarum*, quia ſignant & obſignant res ſignatas. Sic Circumciſio eſt Fœdus Dei, *Gen.* 17. 10, 13. *Agnus* eſt *Paſcha* ſeu *Tranſitus*, Exod. 12. 11. *Petra erat Chriſtus* 1 *Cor.* 10. 4, &c. *Septem Vaccæ*, ſeptem *anni* ſunt, *Gen.* 41. 26. ubi per copulam [*ſunt*] non aliud intelligi poteſt ***Sol.***

quam

quam quod [*Significant*] ſive rerum ſignatarum ſigna ſunt; atq; etiamſi textu *Hebræo* copula non exprimatur, neceſſariò tamen ſubintelligitur, ſequenti enim V. 27. exprimitur, *Septem Spicæ exhauſtæ erunt ſeptem anni famis.*

Obj. Illud per [*corpus*] in hâc propoſitione [*hoc eſt corpus meum, quod pro Vobis traditur*] intelligendum eſt, *quod pro nobis in mortem traditum erat*; ſed Chriſti corpus propriè dictum in mortem pro nobis traditum erat.

Sol. Qui tropum in Prædicato collocant, reſpondent, quod [*Corpus meum quod pro vobis traditur*] non eſt integrum prædicatum, ſed quoties explicatur, itâ ſupplendum [*Signum corporis mei quod pro vobis traditur*] verum & propriè dictum Corpus Chriſti non excluditur, ſed per relationem, quam Signum habet ad rem ſignatam, includitur.

Obj. Si Corpus Chriſti non aliâ ratione prædicetur de *Pane*, quam ſub ratione *Signati*, tum nullâ firmâ ratione prædicari poteſt de *Pane*; nam *Signatum* prædicari de *Signo*, eſt contra naturam Relatorum.

Sol. Falſum eſt, *Signatum* non poſſe prædicari de *Signo*, ſacramentalitèr & figuratè, ut patet ab Exemplis ſupra allatis, 7 *ſpicæ ſunt* 7 *anni*, &c.

Obj. Quum Chriſtus dicit, *Hoc eſt corpus meum*, vel loquitur de *pane mutato in corpus Chriſti*; & tum habent Pontificii quod velint; vel de pane, quâ panis eſt, & tum falſa eſſet Propoſitio, quia panis triticeus non eſt corpus Chriſti.

Sol. Inſufficiens eſt Enumeratio, addi debet membrum, vel de Pane ut eſt Sacramentum, & quemadmodum Symbolis Sacramentalibus tribuuntur nomina rerum ſignatarum.

Finis & Effectus. *Finis* & *Effectus* hujus Sacramenti multiplex eſt.

Imprimis

Imprimis *Recordatio Mortis Chriſti*, 1 *Cor.* 11. 24, 25. *hoc facite in mei commemorationem.*

Confirmatio fidei, de Remiſſione Peccatorum, Mat. 26. 28.

Communio cum Chriſto, 1 *Cor.* 10. 16. non ex opere operato ſive phyſicâ & inſitâ vi beneficia hæc S. Cœnæ conferuntur (ut opinantur, qui moribundis pro viatico Cœnam offerunt) ſed quatenus ſignificando & obſignando, fidem ulteriùs corroborant, & quaſi de novo applicant. Hinc inſupèr renovatur Obligatio noſtra, quatenùs noſtrum quaſi Sigillum (quoties cœnâ communicamus) Fœderi apponimus.

Meditatio propriæ infirmitatis, & ad idonea, illi ſubveniendæ, remedia applicatio.

Publica Profeſſio Fidei Chriſtianæ, 1 Cor. 10. 16. 21. & Teſtificatio Communionis noſtræ cum aliis Corporis Chriſti membris quibuſcunq;.

Uſus Cœnæ legitimus eſt, cum in legitimo Eccleſiæ conventu tum Signa tum Ritus ejus, à Chriſto inſtituti, retinentur, & in finem ab eo præſcriptum iis, qui jure admittendi ſunt, adminiſtratur. *Uſus legitimus.*

Jure Admittendi, qui per Baptiſmum in Eccleſiam recepti ſunt, *Exod.* 12. 43. Qui ad probationem ſui capaces, & ex Confirmatione (ſi fieri poſſit) id conſtet, alias qui Verbis & factis fidem profitentur, licet forſan Hypocriticè, de *Occultis enim non judicat Eccleſia.* Ideoq; *non admittendi, qui impios ſe declarant*, Iſa. 66. 3. Nec Infantes, mente alienati, nondum baptizati. *Qui admittendi;*

Ut ad S. Cœnam dignè accedamus, requiruntur, *Qui dignè acced.*

1. *Diſcretio Corporis Domini*, quæ conſiſtit in rectâ notitiâ & judicio de Sacramenti hujus naturâ, aliiſq; Chriſtianæ Religionis Capitibus, ſcil.

de

de Peccato, Miſeriâ, Chriſti Gratiâ, Obſequio noſtro & Gratitudine.

2. *Exploratio noſtri* juxta Verbi normam; num tales per omnia ſimus, quales eſſe deceat Auguſtum hoc *Myſterium* accedentes.

3. *Diſpoſitio* quâ fert animus cujuſq; peccata ſua agnoſcere, & verè de iis dolere, ſperare, & aliquouſq; credere propter Chriſtum, eadem ſibi reſipiſcenti fore remittenda; quâq; inſupèr tum in Fide, tum in Pietate, tum in Charitate, magis magiſq; proficere firmitèr apud ſe ſtatuit.

Quid recipiunt Indigni. *Indignè accedentes* non Rem ſignatam recipiunt; nam *manducare Chriſtum* eſt *participes* fieri Chriſti & Beneficiorum illius, *Joh.* 6. 35.

Obj. Si fiunt Rei Corporis & ſanguinis Chriſti, tum corpus illius edunt & ſanguinem bibunt, quamvis indignè.

Sol. Rei fiunt, qui panem indignè manducant ſine Chriſto, ſicut qui violant Sigillatum Indulgentiæ Regiæ diploma rei fiunt; recipiunt, ſed *in ipſorum judicium* 1 Cor. 11. 32.

Adiaphor. Inter Ἀδιάφορα numerantur *Tempus, Locus, Situs, Jejuni an Pranſi, Panis triticeus,* an *alius* modò *Cibarius, Vinum* quoad ſpeciem indifferens, nec neceſſariò aquâ dilutum eſſe; quod autem, quoad colorem, Sanguini ſimilius, præferendum eſt. Ordinationes interim cujuſq; Eccleſiæ, à privatis non temerè ſunt violandæ.

De Miſſa Pontificiorum.

Miſſa. Pontificii hoc Cœnæ Sacramentum in Sacrificium *Miſſæ* (uti vocant) tranſmutarunt; quo Sacerdos dicitur *ipſum Chriſtum* offerre Deo in remiſſionem pœnæ & culpæ pro vivis & defunctis.

Vox unde. Quod ad Vocem [*Miſſa*] petunt eam nonnulli ab Hebræo *Miſſath* Tributum aut Oblatio. Sed licet voces Hebrææ per Eccleſiam Græcam ad

Latinam

Latinam pervenerunt, non tamen legitur vox *Miſſa* apud Græcos Patres. Quare à *Miſſione* potiùs derivatur. Apud veteres Romanos, peractis Sacrificiis & Judiciis, Præco quidam clamabat *ilicet*, i. e. *ire licet*. Et ad eundem modum Sacerdos *Chriſtianus* olim ante *S. Cænam* miſſos fecit Catechumenos hâc formulâ, *Ite, Miſſa eſt*.

An Celebratio Cœnæ Domini ſit Sacrificium, aut proprio ſenſu ità nominetur? Quæſt.

Sacrificia alia ſunt *Spiritualia*, & Reſp.

- Metaphoricè ſic dicta; ut omnis cultus divinus, *Preces*, Heb. 13. 15. *Eleemoſynæ*, Heb. 13. 16. *Corpora noſtra*, Rom. 12. 1. *Prædicatio Evang.* Rom. 15. 16.
- Alia propriè dicta, cum res oblata conſumitur in honorem Dei. Inter veteres, Paſcha erat & Sacrificium & Sacramentum.

Celebratio Cœnæ non eſt Sacrificium propriè dictum; in eâ enim Chriſtum à Deo oblatum accipimus, non Deo offerimus; attamen ob commemorationem Mortis Chriſti, & Ritûs illius repræſentationis, Fractionem panis, *&c. Sacrificium memoriale* ſatis aptè dici poſſit.

Imò ipſe Chriſtus Crucifixus hic offertur, dum fide excitatâ ipſum Chriſtum per preces inter Deum Patrem & noſmet ſiſtimus, ut eum acceptet in propitiationem pro peccatis noſtris & aliorum. *Obj.*

Hoc paritèr ab aliis communicantibus fit, ac à Paſtore, idq; per fidem ſpiritualitèr, ſed neq; à communicantibus nec à Paſtore offertur Chriſtus in ipſis Signis tanquam ſacrificium propriè dictum. *Sol.*

Quod fecit Chriſtus, & præcepit faciendum, illud eſt à Succeſſoribus continuandum. Sed *Obj.*

Chriſtus in Inſtitutione ſe obtulit Patri, de præſenti enim loquitur, *Hoc eſt corpus meum, quod traditur*; non dicit quod *tradendum eſt*: & *Hic eſt ſanguis qui effunditur*, non qui effundendus eſt.

Sol. 1. Vox de præſenti poteſt denotare actionem paulo poſt futuram. Vetus Interpres explicat per Enallagen temporis, tradetur & effundetur.

2. Dein, Si ſanguis Chriſti in Euchariſtia verè effunditur, ſenſu Papiſtico, quomodò ſit incruentum (uti notant) Sacrificium?

Evaſ. Frangitur & funditur, non in ſe, ſed in Speciebus, ait *Bellarm.*

Sol. Tum corpus & ſanguis Chriſti non in ſe, ſed eorum ſpecies ſunt in Euchariſtiâ.

Obj. Menſa Domini dicitur *Altare.* Heb. 13. 10. ergò in eâ eſt ſacrificium.

Sol. Non Sacrificium *propitiatorium* propriè dictum. Quidam eo loco per *altare* intelligunt *Ipſum Chriſtum.*

Obj. Non nobis prodeſt Sacrificium Chriſti niſi applicetur, & per Miſſæ Sacrificium nobis applicatur.

Sol. 1. Uti Satisfactio per Satisfactionem non applicatur, ità nec Propitiatio per Propitiationem.

2. Scriptura nobis alia inſtrumenta proponit, quibus applicetur, ſcil. *Verbum, Sacramenta, Fidem, Preces.*

Obj. Prædictum legimus *Veteri Teſtam.* Sacrificia & Sacerdotes fore in *Novo*, Iſa. 56. 7. *Holocauſta eorum accepta erunt in Altari meo*, &c.

Sol. Sub figuris veteri Teſtam. uſitatis ſubinde innuitur Cultus ſpiritualis Novi, *Zach.* 14. 16. *Relicti ——— venient ut celebrent Feſtum Tabernaculorum* dicitur de fidelibus ſub Evangelio.

Inſt. Mal. 1. 11. *in omni loco offeretur Nomini meo ſuffimentum, & munus purum.*

Illa

Illa fuerunt Euchariſtica, non Propitiatoria, ſcil. Oratio pura, & Cultus noſter rationalis intelligitur, *Rom.* 12. 1. *Heb.* 13. 15. *Sol.*

Oportet Sacerdotes eſſe in Novo Teſt. *Heb.* 5. 1. *Omnis Sacerdos ex hominibus aſſumitur, ut offerat victimas pro peccato.* *Obj.*

Habetur in textu Ἀρχιερεὺς, cui ſolus Chriſtus comparandus. *Sol.*

Heb. 7. 12. *Mutatur* Sacerdotium, non prorsùs tollitur. *Inſt.*

Damus, *Mutatur*; & habemus *Sacerdotem Chriſtum* ſecundum Ordinem *Melchizedechi*; ut apertè oſtendit Apoſt. ſed de aliis Sacerdotibus altum eſt ſilentium. *Sol.*

Manet Ordo *Melchizedechianus*; Ergò oblationes hodiè à Sacerdotibus offerendæ; de illo dicitur, quod *obtulit panem & vinum*; erat enim *Sacerdos.* *Obj.*

Non dicitur quod obtulit, niſi *Abrahamo*, Et ſi figura fuit, tum in Chriſto completa erat, & in eo abolita. *Sol.*

Argumenta contra Miſſam Papiſticam.

Ex ipſis verbis *Miſſæ* conſtat Sacerdotes Romanos in munus Sacerdotale Chriſti irruere, ſibiq; arrogare quod Chriſti ſolius eſt, & incommunicabile. Ipſius enim Canonis verba ſunt, [*Suſcipe, Sancta Trinitas, hanc Oblationem quam Ego indignus Peccator offero tibi vivo & vero Deo pro peccatis totius Eccleſiæ vivorum & mortuorum.* *Arg.* 1.

Si excipiunt quod ſolius Chriſti eſt offerre Sacrificium propitiatorium, Sacerdos offert ſolummodò commemmoratiuam, tum Sacrificio Miſſæ Propitiatario nuncium remittunt.

Arg. 2. Dato, Miſſam eſſe Sacrificium, ſequeretur Sacerdotes horrendos eſſe Chriſticidas : Nam ad Sacrificium proprie dictum requiritur *Hoſtiæ* deſtructio, fruſtrà reſpondent deſtrui panis Eſſentiam ; quia juxta eorum Sententiam, panis ibi non eſt, ſed corpus Chriſti *Hoſtia* eſt, quod offerunt.

Arg. 3. Pontificiorum Sacrificium incruentum & ſimul propriè dictum propitiatorium, merum commentum eſt, nam *Heb.* 9. 22. *Sine effuſione ſanguinis non eſt Remiſſio* ; & Rom. 5. 9. *Juſtificati ſanguine illius.*

CAPUT

Caput XI.

De Beneficiorum Fœderis ſive *Redemptoris Applicatione.*

Sectio I.

De *Redemptoris* Perſonâ, Statibus, & Officiis hactenùs: reſtat illius *Applicatio. Redemptoris Applicatio* eſt quâ Beneficia Redemptoris nobis accommodantur & noſtra fiunt; aliàs vulgò appellatur, *Vocatio*, nimirum.

Gratioſa Dei Actio, quâ peccatores *è mundi & peccati tenebris, ad cognitionem ſui accerſit.* Hujus obſervare convenit ſequentes haſce diſtinctiones, *Vocatio quid.*

Prima. Vocatio eſt, vel { *Univerſalis*, *Specialis*;

Secunda. Vocatio, interdum { *Activè* *Paſſivè* } uſurpatur.

Vocatio Univerſalis eſt, quâ Deus omnes & ſingulos (modò ætatis maturæ & ſanæ mentis ſint) per opera Creationis & Providentiæ, in quibus Potentia, Sapientia, & Bonitas illius inſigniter elucent, ad ſe, tanquam Creatorem & Benefactorem agnoſcendum quodammodò & colendum accerſit, Act 17. 27. *fecit ex uno Genus omne* —— quærere ſi forte *attrectent eum & inveniant*, Job 38. 39, 40, 41. Rom. 1. 20, &c. *Inviſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur*; æterna ſcil. *Diſtinctio Prima Univerſalis.*

 Virtus

Virtus & *Divinitas*. Loquitur de Gentilibus, nondum lumine Evangelii illuſtratis; & c. 2. 14. *Qui ſine lege peccârunt ſine lege ſunt perituri. Gentes quæ Legem non habent, Naturâ, quæ Legis ſunt, faciunt.*

Obj. Illud τὸ γνωστὸν Θεοῦ Gentibus patefactum erat; non, ut ad Deum accedant; ſed ut redderentur inexcuſabiles, c. 2. *i. e.* non conſtat quòd ſufficiens erat quo ad veri Dei cultum adducerentur.

Sol. Longè alienum eſt à Dei Bonitate, in eum finem hominibus ſe patefacere, ut inde occaſionem arriperet eos graviùs puniendi, quam ſi ipſum planè ignorâſſent. Quale Beneficium, ſi ad earum (ſcilicet Gentium) perniciem illud conceſſiſſet? *Rom.* 1. 20.

Obj. Per Opera Creationis & Providentiæ non poterant Gentes ad Notitiam Chriſti pervenire; aliud enim nomen non eſt præter Jeſu Chriſti, quo nos ſalvos fieri oportet, *Act.* 4. 12. Et *qui non habet filium nec vitam habet*, Matt. 16. 18. Joan. 3. 36. &. 17. 3.

Sol. 1. Etiamſi nemo ſalutem æternam conſequatur, niſi propter *Sacrificium* quod pro peccatis totius mundi Chriſtus obtulit, Notitia tamen explicata *Perſonæ* cujus Mediatione Beneficium iſtud impetretur, non videtur unicuique neceſſaria ad illius participationem, niſi per eum ſteterit, quo minus autorem nôrit.

De ſal. Ethnic. De ſalute Æternâ Ethnicorum, tacente Scripturâ, nihil temerè ſtatuendum eſt. *Socratem, Senecam, Ariſtidem, Numam*, &c. [ſeorſum à Chriſto] in Cœlum admiſſos fuiſſe, ne quidem *Zuinglius* docuit, quamvis illo ipſo nomine multorum Autorum ſtylo confoſſus eſt. Nam ex egregiis eorum Virtutibus probabile duntaxat *Zuinglio* videbatur illos aliqualem veræ Religionis ſive Fidei Chriſtianæ cognitionem habuiſſe, modo quodam extraordinario indicatam, ut teſtantur ipſa illius Verba ad Urbanum Regium; Quî

Quî ſcimus, quid fidei quiſque ſuo corde Dei manu ſcriptum habuerit, aut teneat?

Loci ex Scripturis in Objectione citati, de iis præcipuè intelligendi ſunt, quibus Chriſtus revelatus eſt; Qui enim ſine Evangelio ſunt, non ſunt ex Evangelio judicandi, *Rom.* 2. 12. *Joan.* 15. 24. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Neque Evangelii contemptores propriè habendi ſunt, qui Chriſtum ſibi non revelatum merè ignorant. 2.

Quidam exiſtimant *Credentes* vitam Æternam aſſecuturos; *Impœnitentes* & *Chriſtum aſpernantes* igni Æterno adjudicandos: *Ignorantes* Chriſtum, præmia & pœnas factis ſuis quodammodò convenientes accepturos, prout aliàs benè aut malè vixerint. In hâc Sententiâ fuerunt multi veterum. Quæ quidem Sententia (quatenùs intenſiores aut remiſſiores fœlicitatis gradus innuit) veriſimilior eſt, quam ſi de Animis defunctorum ad triplicem ſtatum, loco pariter & præmiis, ſive ſpecificè diſtinctum, amandandis exponatur. 3.

Imò, quis, niſi cœcâ temeritate abreptus, exiſtimat eandem notitiam, fidem, aliaſque conditiones ad ſalutem Ethnicorum eſſe neceſſarias, quæ ab iis juſte exiguntur, qui in Eccleſiâ, tanquam Chriſti Scholâ, educantur. *Rahab* aliique in Vetere Teſt. ut ut inter Fideles numerati, haud æſtimantur credidiſſe, aut nôſſe peccata ſua fore Chriſti Sanguine purganda, tali ſaltem fide, quæ ſub Evangelio juſtificare dicitur. Fides enim Morte Chriſti fundata, & Dilectione, Spe, Obedientiâ, aliiſque Virtutibus Evangelicis vivificata, vix aut ne vix in ipſis Apoſtolis radices egerat, tùm cum offendebantur iis quæ de morte ſuâ Chriſtus prædixerat; nedum iſtiuſmodi conditiones ab Ethnicis, qui parum de Chriſto aut nihil audiverunt, Deum requiſiturum, arbitramur. 4.

 Quod

Quod ad menſuram cognitionis diſtinctæ; variabilis videtur illius neceſſitas, pro ſtatu quo quiſque verſatur; & revelationis gradu.

Voc. ſpec. *Specialis Vocatio* eſt, quâ homines per Verbum Dei, ſive ſit *vivâ Voce* annunciatum, ſive *Scripto* traditum, è mundi tenebris & inquinamentis ad Salutis media evocantur, *Act.* 16. 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ* ut attenderet iis quæ à *Paulo* dicebantur.

Quæ ad vim & efficaciam hujus Vocationis propiùs ſpectant, paulo poſt clariùs explicabuntur, quando de Vocationis Effectibus edifferam.

Diſtinctio Secunda. *Vocatio* interdum { *Activè* / *Paſſivè* } uſurpatur.

Vocatio interdum *Activam* habet Significationem, & innuit *Vocationem à parte Dei*, ſive patefactionem mediorum Salutis, & quamcunque Gratiæ Efficientiam illi viſum fuerit exerere in convertendis peccatoribus.

Interdum *Paſſivam* inſupèr Significationem ſortitur, & non tantum *Vocationem à parte Dei propoſitam & adhibitam*, verùm etiam *à parte Hominis illius Receptionem* complectitur adeo ut ſit *Vocatio*, Fide admiſta, *Heb.* 4. 2. Non quod Peccator ſolis Naturæ Viribus illam vocationem fauſtis ſalutiferiſque ſucceſſibus excipere, eique parere poſſit, ſed quod Vocatio à parte Dei ſive *Activè* ſumpta, in ſe efficax ſit, & quæ tranſibit in Vocationem *Paſſivè* ſumptam, & valebit ad Obſequium, ſi ab ipſo Peccatore non pertinaciter oppugnetur.

Vocatio hæc potiùs *Obſequium, Acceptatio Redemptoris, Auſcultatio Deo vocanti, Conceſſio, Non-oppugnatio, Sui ipſius deditio*, aut quid ſimile, à Theologis appellari poterat; ac debuerat, quoties obedientiam Vocationi Divinæ præſtitam intelligi velint; ſin de Re conſtet, de Voce, Serra non eſt reciprocanda; & voce haud propriâ, aùt nimis obſcurâ uti mallem quam à communi more lo-

quendi

quendi (niſi neceſſitate coactus) recedere. Nec tamen ſolus ſum in hac Nomenclaturâ. Vide *Wendel. Theolog. c.* 19. *Theſ.* 2. quamvis ſit Gratiæ irreſiſtibilis propugnator induſtrius.

SECTIO II.

Hujus *Vocationis Paſſivè* ſumptæ conſideranda ſunt, *Inſtrumentum* & *Effectus.*

INſtrumentum, quo *Doctrinam Salutis*, ſive *Vocationem* à Deo propoſitam amplectimur eſt *Fides*, de quâ hoc loco nonnulla dicenda ſunt, iterumque ſub alia ratione nobis occurret. C. *de Juſtificatione.*

Fides interdum ſumitur, pro *Acceptatio Vocis.*

Veracitate & *Fidelitate*, ut *Rom.* 3. 3. *Incredulitas hominum Fidem Dei non vacuat.* 2 *Theſſ.* 3. 3. *Heb.* 3. 2.

Objecto Fidei per Metonymiam, & intelligitur Fides, quæ creditur. 1 *Tim.* 4. 1. *quidam deficientâ Fide.* 2.

Credendi Habitu vel *Actu*, ità hoc loco *Fidem quâ creditur*, deſignat; eſtque in genere, *Aſſenſus Teſtimonio adhibitus.* Fides humana quæ Teſtimonio humano, Divina quæ divino nititur. 3.

Diverſimodè diſtinguitur; { Alia enim eſt *Hiſtorica*, Alia *Miraculorum*, Alia *Temporaria*, Alia *Juſtificans*, Alia *Salvifica*. } *Diſtin:*

Hiſtorica

Hiſtoric. *Hiſtorica* eſt nudus Aſſenſus, quo vera eſſe credimus quæ à Deo ſunt; ſicut ea quæ in Scripturis habentur; ſive ſint *Hiſtoriæ*, ſive *Dogmata*, ſive *Comminationes*, ſive *Promiſſiones*, &c. unde etiam *Fides Dogmatica* quandoque appellatur. Ab hâc (quoties hominibus tribuitur) non differt *Fides Dæmonum* ex parte *Objecti*, *Jac.* 2. 19. ſed ex parte *Subjecti.*

Quæſt. *Eſtne Hæc Hiſtorica vera Fides?*

Reſp. *Vera* dici poteſt, ut *Rex Verus* eſt qui *Legitimus*, etiamſi Officio non fungatur; & Chriſtianus, qui Doctrinam Chriſti agnoſcit, ſed Operibus carnis indulget. Ità *Fides vera* dici poteſt, quatenus Aſſenſus eſt, non fictè, ſed verè Dei Verbo exhibitus, non autem *vera* ac ſi eſſet *Aſſenſus Efficax*; Neminem ſalvat, aut juſtificat.

Miracul. Fides *Miraculorum* eſt

vel { *Activa*, quæ peculiare Dei Donum eſt; quo ex promiſſione Divinâ Agens credit ſe opus quoddam divinâ potentiâ miraculoſe effecturum, 1 *Cor.* 13. 2.
Paſſiva, quâ quis ſtatuit ſe participem fore Beneficii cujuſdam ſingularis, modo extraordinario, ex ſpeciali promiſſione divinâ, eventuri, *Act.* 14. 9. }

De Juſtif. l. 11. *c.* 5. *qu.* 15. Errat *Bellarm.* aliique aſſerentes Fidem *miraculorum* à *Catholicâ* non differre. Fides enim *Miraculorum* eſt Gratia merè data, & inter *Chariſmata* numeratur, 1 *Cor.* 12. 9. & 13. 2. etiam Hoſtibus Chriſti communis eſt, *Matt.* 7. 22. nec omnibus ineſt qui *Fide Juſtificante* imbuuntur, *Joan.* 10. 41. *Joannes nullum ſignum edidit.*

Tempor. *Temporaria* mentem practicam afficit; ſed leviter adeo, ut non ſatis alte radices agat. Ejuſdem ſpeciei eſt cum *Fide Juſtificante*; nam ad Eſſentiam fidei non facit Duratio.

Juſti-

Juſtificans eſt Aſſenſus *Practicus* & *Operativus*, quo Mens practica ità afficitur, ut quæ in Scripturis revelantur, præcipuè de Redemptione & Salute noſtrâ per Chriſtum, non modo propter Teſtimonium Divinum, veriſſima eſſe ſtatuit, ſed etiam ad praxin refert. *Juſtific.*

Fides Salvifica virtutem *Hiſtoricæ* & *Temporariæ* includit; ad quas ſe habet, ut Anima Rationalis ad Senſitivam & Vegetativam in homine quarum vires exerit. *Salvific.*

Fides alia eſt *Mortua*, alia *Viva*. *Diſt.* 2.

Mortua infructuoſa eſt, & ad bona opera inutilis, Jac. 2. 20. *fides ſine operibus mortua eſt.*

Viva operatur per *Charitatem*, Gal. 5. 6.

Fides interdum ſumitur *Præciſe*, interdum *Aggregatè*. *Diſt.* 3.

Præciſè, quando per ſe conſideratur, ſeorſum ab aliis virtutibus Evangelicis, ità contradiſtinguitur à *Spe*, *Charitate*, *Fiduciâ*, aliiſque id genus morum bonorum Fontibus; eſtque Aſſenſus merus (quamvis in potentia Efficax) cujus Objectum eſt *Verum*. 1.

Pro quodam *Aggregato*, quod ex pluribus Actibus vel Habitibus conſtat, prout includit Dei Dilectionem, Fiduciam, Spem, &c. Fides *Viva* ordinariè hoc ſenſu aggregato ſumitur, & Subjectum illius non eſt Mens ſola, ſed & Voluntas. 2.

Fidei *Vivæ* ſive *Salvificæ* Natura Generica, variè à variis effertur, ab aliquibus dicitur *Notitia*, ab aliis *Fiducia*, ab aliis *Aſſenſus*, à nonnullis *Apprehenſio Chriſti*, *in eum Recumbentia*, aut *in eo Acquieſcentia*, &c. quæ quidem Varietas inde oritur, quod dum fidem definiunt, alii *Communem* ejus *Naturam*, non *Genus proximum* reſpiciunt; alii ex unâ aliquâ proprietate, alii ex aliâ; alii ex Effectis, *Fidei Genus.*

eam

eam deſcribunt. Verſimillima autem Sententia eorum eſt, qui eam *Aſſenſum practicum* eſſe ſtatuunt; ut ſuprà in definitione *Fidei Juſtificantis* videre eſt.

Cauſa Efficiens. *Efficiens* Fidei principalis eſt *Deus*, Gal. 5. 22. *Fructus Spiritus S. eſt Fides*, &c. *Dei Donum eſt*, & ſummâ tribuendum gratitudine Gratiæ Dei cum neque hoc obſtat quin (uti ipſa acceptatio Chriſti Mediatoris) Fides ſit ſimul Donum Dei, & Actio hominis, quoties de Fidei actu loquimur.

Inſtrumentalis. *Inſtrumentalis Cauſa* fidei eſt impulſiva, ſive autoritas Veritatis Dei Revelatæ, quâ mediante proponuntur, & nonnunquam tum Rationibus tum miraculis confirmantur, quæ ad ſalutem nobis creditu neceſſaria ſunt, *Rom.* 10. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, 2 Pet. 1. 19. A verbo Dei in hoc negotio non ſejungenda ſunt Sacramenta, quæ faciunt ad Fidem alendam & augendam, neque Verbum Dei ἄγραφον, cui ante *Moſen*, tribuenda eſt inſtrumentalitas ad fidem (ſicut in *Abele*, *Noah*, aliiſque) productam aut producendam. Miniſtri etiam Verbi inter Cauſas Inſtrumentales cenſendi ſunt, 1 *Cor.* 3. 5. *Quis Paulus? quis Apollos? niſi Miniſtri per quos credidiſtis*, & 4. 15. *in Chriſto Jeſu per Evangelium Ego vos genui.*

Materia. *Materia* circa quam, ſive *Objectum*, eſt vel

Commune & Generale, nempe quæ Verbo continentur, quod *Paulus Timotheo* in præceptis dedit de *Pallio Troæ* relicto, aliaque iſtiuſmodi (quatenus teſtimonio Divino confirmantur) ab Objecto fidei, eo ipſo nomine, non ſunt ableganda, Vide C. 2. §. 2.

Principale Objectum fidei, quodque præ aliis fideles reſpicit, quoad actum Juſtificandi ſunt Articuli qui de Chriſto Redemptore revelantur.

Perſona Chriſti non niſi impropriè, & figuratè dicitur *Objectum* fidei ab *Ameſio*, aliiſque. Quid enim

enim aliud eſt *ad Chriſtum confugere, in eum recumbere, eumve recipere,* &c? quam iis, quæ de Chriſto revelantur Aſſenſum firmum & practicum præbere, atq; eadem more debito ſibi applicare.

Num quilibet tenetur ſibimet applicare promiſſiones generales in Scripturis factas; v. gr. *de Remiſſione peccatorum & Vitâ æternâ?* Quæſt.

Non niſi ſub Conditione quâ promittuntur: alias ſibi applicaret quod non promittitur. *Reſp.*

Pontificii Fidem aliam *Explicitam* eſſe volunt, quando quis novit & intelligit illud ipſum cui aſſentitur; aliam *Implicitam*, quando quis aſſentit Verbo Eccleſiæ quamvis neſciat quid illud ſit; ideoq; apud illos Fides eſt *Aſſenſus* abſq; *Notitiâ.* *Fid. implic. Pontific. rejiciend*a.

Nos quidem damus, quædam Scripturis tradita eſſe, quæ nondum intelligimus, & credenda eſſe, eo quòd teſtimonio infallibili intelligimus ea certiſſima eſſe quoad *Veritatem exiſtendi,* non autem quoad *modum Eſſendi,* cujus non facta eſt Revelatio. Sic Deum Unum *Eſſentia,* eſſe *Patrem, Filium,* & *Spiritum* S. *Divinam* & *Humanam* Naturam in Perſonâ Chriſti *unitas,* quoad *modum* neſcimus. Non autem ſine notitiâ credimus, ſed ſcientes ea Veriſſima eſſe, iis aſſentimus, *Rom.* 10. 14. *Quomodo crederent in eum de quo non audiverunt?*

Utrum ſufficiat, ut quæ Verbo Dei continentur, fide implicitâ (non Eccleſiæ, ſed ipſi Deo atteſtanti) credantur; ſive num unaquæq; verbi Dei Aſſertio ſit diſtinctè & explicitè credenda? Quæſt.

Præcipua Fidei Capita ſive Dogmata diſtinctè & explicitè credenda ſunt; Satis eſt ſi reliqua implicitè juxta præmiſſam fidei verbo divino exhibendæ deſcriptionem; numerus autem eorum *Reſp.*

non facilè aſſignari poteſt, varia enim fuerunt ſecundum varia temporum diſcrimina quibus Doctrina Redemptionis obſcuriùs aut clariùs revelata fuit; Revelatio enim eſt Menſura Fidei.

Quæſt. *Utrum Evidentia an in evidentia ſive Obſcuritas requiritur ad Objectum Fidei?*

Si oportet objectum Fidei conſpicuum & evidens eſſe, unde eſt quod Apoſt. ait, *Heb.* 11. 2. *Fides eſt eorum quæ non Videntur?* Sin Obſcurum dicimus, in Caſtra Pontificiorum recedere videmur.

Reſp. *Evidentia, i. e.* Ratio credendi ſive unde res credibilis exiſtit, eſt

Vel { *Intrinſeca,* cum in ipſis Credendis elucet Credibilitas, quæ mentem in Aſſenſum neceſſariò pertrahit; hæc ad Objecta Scientiæ potius quam fidei requiritur; & *Fides eſt eorum quæ non ità videntur.*
Extrinſeca, & aliunde exhibetur Ratio credendi; & ſic nihil prohibet *Ea,* quæ Fidei ſunt, eſſe *Evidentia,* quemadmodum ex Chriſti & Apoſtolorum miraculis, aliiſq; externis Criteriis manifeſtum erat fidem ipſorum ſermonibus adhibendam eſſe, licet ex quovis dogmate ab iis tradito non eluxit iſtiuſmodi Evidentia. Ità etiam ex teſtimonio Divino liquidò conſtat, *Myſteria S. Trinitatis* & *Incarnationis* ejuſmodi eſſe ac in Literis S. perhibentur.

Materia in quâ, ſive Subjectum. *Materia in quâ,* ſive *Subjectum Fidei,* nec *Solus Intellectus* eſt, nec *Sola voluntas.*

Nonnulli *Fidem* in *Intellectu* locant; ſed haud ſatis cautè, nam *Incredulitas* eſt peccatum *Voluntarium*; *Non vultis ad me venire,* Joan. 5. 40.

Quidam in *Voluntate*; ſed non eſt *Fides,* niſi ubi ſit *Aſſenſus,* qui in *Intellectu* formatur: neq; eſt *Habitus* aut *Actus* purè Arbitrarius & rationibus deſtitutus.

Quidam

Quidam exiſtimant Fidem eſſe à *Voluntate*, eo quòd *Voluntas* movet *Intellectum* ad rationes expendendas, quæ Aſſenſum eliciunt, etſi fides quatenùs eſt *Aſſenſus*, non ſit in *Voluntate*.

Clarius alii, ſcil. *Fides* ſumpta

Strictè & præcisè, pro ut ab aliis virtutibus diſtinguitur, eſt *merus Aſſenſus*, in *Intellectu* ſolo, & ejus Objectum eſt *Verum*.

Aggregatè, prout cum Dilectione, Fiduciâ, aliiſq; Virtutibus connectitur, & ſicut *Fides Viva* rite diſtinguitur, ejuſq; ſubjectum non eſt *Mens ſola*, ſed & *Voluntas*.

Nullus Habitus ſimul eſſe poteſt in Subjectis genere diverſis, ut ſunt *Intellectus* & *Voluntas*. *Obj.*

Non ſi propriè & præcisè ſumatur, ſed alitèr ſi aggregativè. Hâc enim acceptatione (quæ in Scripturis frequentior eſt) pro diverſitate Partium e quibus aggregatur in diverſis facultatibus Creſidere poteſt. *Sol.*

Intellectus neceſſariò aſſenſum præbet Veritati ſufficientèr exhibitæ, ergò non *liberè* & *voluntariè*. *Obj.*

Intellectus non ſanum de *Vero* fert Judicium in ordine ad bona opera, ſine piâ inclinatione *Voluntatis*, quæ poteſt Electionem ſuſpendere; unde *Aſſenſus* & *Diſſenſus* ſæpiſſimè *Voluntati* tribuuntur, *Joan.* 6. 40. *Noluiſtis ad me venire.* *Sol.*

Num Infantes fidem habere cenſendi ſint? Quæſt.

Non *Actualem*, quia Fidei Actus ob infirmitatem facultatum exerere nequeunt. *Reſp.*

Non *Infideles* cenſendi ſunt, quia Infantibus ſalvandis non imputatur peccatum Originale, aut innata aliqua Incredulitas, ergo *Fideles* ſunt. *Obj.*

Propriè loquendo, nec *Fideles* dicendi ſunt, nec *Infideles*; ſed diſpoſitionem quandam, quaſi Semen aut Radicem Fidei iis innaſci, aut in eos infundi poſſe non negamus. *Sol.*

Formal. *Formalem Rationem* Fidei, quam plurimi inter Reformatos ſtatuunt *Fiduciam*; aliter autem forſan ſentirent, ſi naturam *Fiduciæ* diſtinctiùs perpenderent.

Fiducia enim interdum ſumitur, pro

1. *Spirituali fortitudine*, cum quâ periculis confligimur.
2. *Tranquillitate Conſcientiæ*, & *Spirituali Securitate*. Harum verò utraq; eſt fructus ſive Effectus *Fidei*, non Pars conſtituens.
3. *Perſuaſione* de *Remiſſione peccatorum*, ſive *Gratiâ* jam *acceptâ*.

Multi *Fidem* definiunt per *Fiduciam*, hoc poſtremo ſenſu, acceptam; & eam vocant *partem* fidei *primariam*. *Urſin. Rivet. Rob. Baron.* Alii *Fiduciam* eſſe dicunt *Proprium Fidei roboratæ* non infirmæ, aut Fidei, quâ talis; ideoq; *Fructum* eſſe potiùs quàm *partem* fidei. *Perkinſ. Ameſ. Daven. Witic. Wind.*

Facile eſt hinc colligere, quod *Fides* non eſt *Fiducia*, ſeu *perſuaſio Gratiæ* ſeu *Remiſſionis acceptæ*. Nemo enim poteſt id ſibi verè perſuadere qui non priùs *Vivam* Fidem in ſe perſpexerit. Nec piorum afflictas conſcientias erigere poſſumus, niſi doceamus *Fidem*, per quam ad Deum confugiunt, & Gratiam ſitiunt, illam eſſe cui Deus remiſſionem promiſit.

Neq; *Fides* eſt *Fiducia* Remiſſionis *obtinendæ*; hæc enim eſt *Fiducia Spei*, quæ ex Fide naſcitur, *Eph.* 3. 12. in quo *habemus fiduciam & acceſſum in confidentiâ* per Fidem. Adde, quòd Fides non eſt reſtringenda ad *Fiduciam* quomodocunq; ſumptam; ſed extendenda eſt ad conſiderationem totius *Verbi divini*, per quam *Fideles ſingulas Verbi partes ad uſum referunt*; etiamſi, quatenùs juſtificat, illas præcipuè *partes Verbi* amplectitur, quæ Redemptionem & Salutem per Chriſtum propiùs reſpiciunt.

Quoniam

Quoniam igitur Fides *Viva* eſt quæ juſtificat, atq; *Fides* non ſtrictè & præcisè ſumpta, ſed quæ vel aliarum *Gratiarum* ſodalitio gaudet, vel earum ſaltem productiva eſt; inde colligimus, quod illius *Ratio formalis* conſiſtat in eo gradu modoq; operandi, quibus *Aſſenſus practicus*, *Dilectio*, *Deſiderium*, *Spes*, aliæq; virtutes Evangelicæ fidem vivificent, eamq; aptam reddant ad fructus & Effectus, qui paſſim illi tribuuntur, quales ſunt *Unio cum Chriſto*, *Juſtificatio*, *Sanctificatio*; omnia etiam *Bona opera*. Fides enim perſuaſa argumentis, quibus Scriptura nos ad omnium virtutum exercitium hortatur, omnes Virtutes ad Actus ſuos exercendos urget & extimulat.

CAPUT XII.

De Vocationis Effectu communi, Acceſſione ad Eccleſiam.

DE *Inſtrumento Vocationis* paſſivè ſumptæ, ſive cujus miniſterio Vocatio ritè recipitur & applicatur, Fide ſcil. ſuperiori Capite actum eſt. Sequitur *Effectus Vocationis*,

Qui eſt, vel { *Communis*, *Specialis*. }

Communis Effectus Vocationis in morigeris & ei auſcultantibus, eſt *Acceſſio ad Externam Societatem Eccleſiæ*.

Hanc Vocationem non, pro more vulgato, *Inefficacem* appello; Vocatio enim Evangelii,

Fide *Hiſtoricâ* recepta, effectum hunc ſæpe obtinet, tam in *Reprobis* quam verè *fidelibus*, ideoq; *communem* eam voco, eſtq; in ſe ſufficiens & efficax ad fœliciores progreſſus, nempè non modò ad Externam Eccleſiæ Societatem, ſed ad Unionem cum Chriſto, & Redemptionis in Chriſto participationem vocatos ducere ; ſed quoniam Peccatores ſæpè *Gratiam* ſibi oblatam reſpuunt, eiq; obſtinatè renituntur ; Deus non vult, aut cum iis perpetuò contendere, aut Eligendi & Reſiſtendi facultatem, illis congenitam penitùs adimere ; unde *Vocatio Activè* ſumpta Effectum ſinceræ Reſipiſcentiæ & Regenerationis non ſemper aſſequitur *Pſ.* 81. 12, 13. *Non paruit populus voci meæ, & Iſrael noluit mihi intendere, dimiſi ergo illos duritiei cordis eorum.*

Vide cauſam deſertionis *c.* 13. §. 1. Poſit. 6, &c. & *c.* 8. §. 1. partic. 3. *c.* 5. §. 2. prope finem.

SECTIO I.

De Eccleſia.

VOX Eccleſia derivatur, ἀπὸ τοῦ Ἐκκαλεῖν *evocare* ; unde *Cœtum Vocatorum* in generè deſignat ; ſin ſtrictiùs ſumatur, diverſimodè pro Varietate rerum deſignatarum definienda eſt. In Scripturis enim uſurpatur interdum

Pro

Pro
- *Cœtu politico*, Act. 19. 32. *Civium conventio*, ἐκκλησία, erat confuſa.
- *Cœtu Eccleſiaſtico*, idq; vel
  - pro
    - *Cœtu* vere piorum, *Heb.* 12. 23. *Ad Eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in Cœlo, acceſſiſtis*, &c.
    - *Senatu Eccleſiaſtico*, ſive pro iis qui præſunt in Eccleſia. *Matth.* 18. 17. *Dic Eccleſiæ.*
- *Eccleſiolâ*, ſive *Fidelibus domeſticis*, *Rom.* 16. 5. *Col.* 4. 15. *Eccleſiam quæ in domo illius.*
- *Societate Vocatorum* è mundi tenebris & inquinamentis ad communionem cum Chriſto capite, membriſq; Corporis illius Myſtici univerſis.

Hujus conſideranda ſunt
- *Diſtributio*,
- *Partes*,
- *Notæ*,
- *Adminiſtratio.*

Diſtributio, ex diverſis, quos Eccleſia ſuſtinet, reſpectibus hæc ſumpta eſt quemadmodum enim frumentum idem eſt quod colligitur, cum eo quod poſteà trituratur, & à ſtramine purgatur, in horreis coacervatur, *&c.* Ita Eccleſia propriè loquendo *Una* eſt, ſed *alia* atq; *alia* pro diverſo conſiderandi modo, nimirum **I. *Diſtrib. ratione.***

Ratione
- *Statûs*;
- *Ætatis*,
- *Viſibilitatis*,
- *Latitudinis.*

Ratione *Statûs*, Eccleſia eſt vel *Triumphans*, vel *Militans*. ***Status.***

{ *Triumphans in Cœlis*, Heb. 12. 23. *Acceſſiſtis ad Hieruſalem cæleſtem*, &c.
{ *Militans in Terris*, quæ adverſus *Satanam, Mundum* & *Carnem* adhuc militat *Eph.* 6. 12. *Non eſt nobis pugna adverſus Carnem & Sanguinem*, i. e. homines, quorum fragilis & caduca eſt natura, *ſed adverſus Poteſtates*—— *ſpirituales malitias in Sublimi*.

Quæſt. *Num Angeli ſint Membra Eccleſiæ propriè dictæ?*

Reſp. Generali & laxiore loquendi modo, dicuntur à quibuſdam *Membra* Eccleſiæ, nempè quatenùs pertinent ad Societatem Creaturarum rationali cultu & obſequio Deo inſervientium ſub Chriſto; Non autem propriè loquendo, quâ ſanguine Chriſti redempti è mundo, ad Communionem cum Chriſto, membriſq; vocati, & illius auditione Verbi & uſu Sacramentorum uniti ſunt.

Obj. Col. 1. 20. *Patri placuit per Sanguinem illius omnia ſibi reconciliare ſive in Terris ſive in Cœlis*, & Eph. 1. 20.

Sol. 1. *Chryſoſt.* quidem voluit *Omnes* Creaturas iis locis intelligi; attamen licet Creaturæ inferiores, quæ in terris eſſe dicuntur, quodammodò per Chriſtum liberandæ ſunt à ſervitute *Vanitatis*, Rom. 8. 21. Non tamen *Membra* Eccleſiæ fiunt.

2. *Angeli* utcunq; *reconciliari, recolligi, liberari* dicantur per Chriſtum (forſitan quia multi eorum per Chriſtum liberantur à prævaricandi periculo, & in unam Societatem Deo inſervientium colliguntur) non tamen exponenda ſunt verba Apoſtoli de *Reconciliatione* propriè dictâ, ubi nullum fuerat diſſidium, neq; potuit Chriſtus ſenſu proprio dici *Mediator Angelorum*.

3. Neq; neceſſe eſt, ut per [*Omnia in cœlis*] intelligamus Angelos; Conſtat enim Apoſtolum ibi locutum fuiſſe de Reconciliatione Judæorum & Gen-

& Gentilium quorum quidam in Cœlis erant. Adde quod Neutrum genus [*Omnia*] pro maſculino poſitum ſæpè legimus. Sic *Gal.* 3. 22. *Reconciliavit Omnia*, i. e. Omnes. Et *Matth.* 18. 11. τὰ ἀπολωλὸς, i. e. *Omnes perditos.*

Eſtne præter Eccleſiam Triumphantem in Cælis, & Militantem in Terris, alia etiam Laborans in Purgatorio? Quæſt.

Cottonus Jeſuita (ut refert *Thuanus* l. 133.) ab ipſo Diabolo textum Scripturalem petiit, *purgatorio* firmando idoneum. Sed hucuſq; Pontificii nè unum ſatis Evidentem reperire potuerunt. Nam duo tantum ſtatus aut loci defunctorum inibi memorantur; *Cælum*, ubi ſperanda eſt *Fœlicitas*, & *Infernus*, ubi formidanda eſt *perditio*, eaq; *Æterna.* Mar. 16. 16. Luc. 16. 22. *Fideles ex hâc vitâ decedentes ſunt in pace.* Iſa. 57, *&c.* 2 Cor. 5. 1. *Scimus, cum hæc terrena domus diſſoluta fuerit, habere nos ædificium in cælo.* *Reſp.*

Poſt mortem nullus eſt *operandi* locus, *Joan.* 9. 4. *Eccl.* 9. 10. ſed recepturi ſunt omnes *ſecundum opera*, Apoc. 14. 13. *Sanguis Chriſti nos purificat ab omni peccato*, 1 Joan. 1. 7. Apoc. 1. 5. Heb. 10. 14.

Peccata purgantur per ſanguinem Chriſti, ſed non ſequitur, omnem pœnam tolli, nempe *Temporariam.* *Excep.*

Gal. 3. 13. *Redemit nos à maledictione Legis, factus pro nobis Maledictio*, non à parte tantum Maledictionis *Rom.* 8. 1. *Nulla nunc eſt Condemnatio iis qui in Chriſto*; nec à morte modò, ſed & *Heb.* 2. 15. *à metu mortis liberamur.* *Sol.*

Applicandum eſt Meritum Chriſti nobis ipſis. Applicatur autem in hâc vitâ per Satisfactiones noſtras, in futurâ per ignem purgatorium. *Excep.*

S. Scriptura non niſi *Fidem* agnoſcit eſſe Inſtrumentum quo meritum Chriſti nobis applicetur. *Sol.*

Obj. *Zachar.* 9. 11. Eccleſia *ſanguine fœderis tincta* dicitur *emitti è Ciſternâ in quâ nulla eſt aqua.*

Sol. Propheta ibi loquitur de Eccleſiâ liberatâ è Captivitate *Babylonicâ*, & per Chriſti ſanguinem è poteſtate Diaboli liberandâ. Nullas eſſe aquas in igne, levior & vanior videtur Purgatorii Periphraſis, quam ut Spiritui S. tribuatur.

Obj. Peccata quædam dicuntur remitti *futuro Sæculo*, Matth. 12. 32.

Sol. i. e. *Non remittentur omninò*; ità enim *Mar.*3.29. effertur, *Non habent remiſſionem in ſæculum*; aliàs ſequeretur Blaſphemiam, adeoq; peccatum mortale remitti in Purgatorio; quod negant ipſi Pontificii.

Obj. 1 Cor. 3. 13. *Uniuſcujuſq; opus manifeſtum fiet —— quia per ignem revelabitur —— ita tamen ut per ignem.*

Sol. Formula hæc proverbialis indicat difficultatem; per *ignem*, i. e. *difficulter*, Jud. 23. *alios ſervate, ex igne eripientes.* Alii de Igne Spiritûs S. locum intelligunt, quoniam opera tam bona quam mala ab eo di judicanda ſunt.

Obj. 1 Pet. 3: 19. Chriſtus *vivificatus Spiritu —— per quem etiam Spiritibus qui in carcere, profectus prædicavit immorigeris quum ſemel expectabat Dei lenitas, diebus Noæ*, &c.

Sol. Ex Occaſione Vocabuli [*Spiritus*] quo clauditur præcedens comma, digreditur Apoſtol. ad narratiunculam de Spiritibus hominum, in diebus *Noæ*, immorigeris Chriſto prædicanti per Spiritum ſuum in *Noâ*, qui inde Juſtitiæ Præco appellatur. Non dicitur quod Chriſtus ſtatim à morte Spiritibus prædicabat; ſed iis inobedientibus in diebus *Noæ* prædicabat; qui tum cum *Petrus* iſtam Epiſtolam ſcripſit in carcere detenti erant.

Spiritus eorum qui à morte ſuſcitabantur, ut *Lazari*, *Filii Viduæ Nain*, aliorumque non erant in Inferno, inde enim non eſt regreſſus; nec in Cœlo, nulli enim vellent inde egredi, ergò in purgatorio. *Obj.*

Potuit eos Deus ſervare ubi ſibi placuerit, quia reſtitutio eorum ad vitam illi præviſa fuit: imò quidni, reſervaret eos in propriis corporibus, quamvis non iis *Hypoſtaticè* unitos. *Sol.*

Concilia, *Carthag*. tertium, *Bracarenſe* primum, *Cabilonenſe*, *Wormatienſe*, *Lateranenſe*, *Florentinum*, *Tridentinum*, purgatorium aſſeruerunt. *Obj.*

Priora iſta Concilia particularia erant, & de commemoratione mortuorum nonnihil ſtatuerunt, non de *Purgatorio*: Tria ſequentia decreverunt quod ſuo commodo maximè conveni-re arbitrabantur. *Sol.*

Patres quidam mentionem faciunt *Orationum* & *Oblationum* pro defunctis, ſed vel ad teſtificandum pium erga mortuos affectum, vel ad exoptandam illis Beatam Reſurrectionem; vel ad Deum laudandum pro mortuis in Domino, vel de Igne tribulationis in hâc vita, vel conflagrationis in die Judicii, vel hæſitanter quia [*forſan verum*] ut Aug. nunquam quod urgeant tanquam *Fidei dogma*.

Animarum apparitiones, Purgatorium variis indiciis & ſingultibus monſtrârunt, patet ex *Gregor. dialog. Gregorio Turonenſi, Petro Damiano, Beda, Bernardo, Anſelm.* *Obj.*

Aniles iſtæ fabulæ produnt Impoſturam potius quàm ſolidum *Fidei Chriſtianæ* fundamentum ponunt. *Sol.*

Ratione *Ætatis*, Eccleſia eſt, vel { *Veteris* / *Novi* } Teſtamenti. *II. Diſt.*

3. *Diſt.* Ratione *Vocationis Internæ* vel *Externæ*, ſive *Notitiæ*, quam de[illegible]â habere vel non habere poſſumus, eſt

vel { *Invisibilis*, / *Viſibilis.* }

Inviſibilis ſic dicta, quòd vincula quibus fideles cum Chriſto Capite & ſecum invicèm uniuntur (ſpiritus ſcil. Chriſti, eorumque fides & Dilectio) ab hominibus non videntur, 1 Reg. 8. 39. *Solus ſcrutatur corda.* 2 Tim. 2. 19. *Deus novit qui ſunt ſui.*

Hujus Eccleſiæ Forma eſt *Membrorum* propriè *dictorum Unio* cum Chriſto Capite per fidem ſuam, illiuſque Spiritum & inter ſe per mutuam Charitatem.

Viſibilis, cujus Membra per verbi præconium & legitimum Sacramentorum uſum in Corpus Chriſti (ſaltem κατὰ δόξαν) coâluerunt, & in iis externa *Viſibilis Eccleſiæ forma* conſiſtit, tanquam notis, quibus, non tantum homines ipſi, ſed eorum Ordo & Communio in oculos incurrunt.

Quæſt. *Num Soli Fideles ſint veræ Eccleſiæ Membra propriè dicta?*

Reſp. Eccleſiæ Status eſt

vel {
1 *Externus*, qui reſpondet *Vocationi Externæ*, cujus *Forma* poſita eſt in *Profeſſione Fidei*, & *Communione* Sanctorum *viſibili*.
2 *Internus*, qui reſpondet *Vocationi Internæ*, cujus *Forma* conſiſtit in *Communione Fidei*, & *Unione Myſticâ* Fidelium cum Chriſto per *Fidem*, & inter ſe per *Charitatem*.
}

Infideles & Hypocritæ pertinere poſſunt ad Statum *Externum*, non *Internum*; non enim ſunt *Membra Chriſti*, Eph. 5. 23. Col. 1. 18. 1 Cor. 15. 23. *Non*

23. *Non corporis, quod creſcit in Incrementum Dei,* Eph. 4. 16. non *Membra inquibus Christus habitat per fidem,* Eph. 3. 17. & que *Spiritu reguntur,* Rom. 8. 9. Chriſtus non concipi poteſt habere Membra damnata, *Aug. contra Creſc. l.* 2. *c.* 21.

Eccleſia eſt *Communio Sanctorum,* Credimus Eccleſiam ſanctam; Sanctitas eſt proprius & genuinus Eccleſiæ Character, Iſa. 35. 8. & 52. 11. Epheſ. 5. 27. *Cant.* 4. 7.

Non coincidit hæc ſententia cum Errore *Novatianorum, Catharorum,* & *Donatiſtarum,* &c. qui Eccleſiam ex *perfectè Sanctis* conſtare volunt. Ipſi enim fideles quamdiù in terris verſantur, peccatis ſunt Obnoxii, 1 *Joan.* 1. 8.

Eccleſia comparatur Agro, in quo *Zizania cum frumento creſcunt*; *Areæ in quâ palea cum tritico* miſcetur. *Domûi magnæ* qua *Vaſa* tum in *honorem* tum in *contumeliam,* &c. **Obj.**

Aliud eſt eſſe *inter Membra* Eccleſiæ, aliud eſſe *Membra Eccleſiæ*; ſic *Aug. contra Donatiſt. l.* 7. *c.* 51. *quædam ſunt in domo quæ non ſunt domus.* **Sol.**

Judas erat Epiſcopus in Eccleſiâ, & Apoſtolus, *Act.* 1. 20. Ergo *Membrum Eccleſiæ,* quamvis *Filius perditionis.* **Obj.**

Externâ profeſſione & titulo, non autem *Membrum Chriſto Myſtice* unitum. **Sol.**

Qui Chriſtum induunt ſunt vera Eccleſiæ Membra, ſed omnes *Baptizati Chriſtum induunt,* Gal. 3. 27. & 1 Cor. 12. 13. *baptizantur in unum Corpus.* **Obj.**

Chriſtum induunt quoad *externam profeſſionem,* non *internam Veritatem,* niſi renati ſint, & abluantur à *ſordibus Carnis*; ſed non omnes ad *purgationem peccati,* 1 Pet. 3. 21. **Sol.**

Omnis pars partis eſt pars totius; Hypocrita eſt *pars partis,* i. e. pars *particularis Eccleſiæ,* ergo *pars Catholica.* **Obj.**

Pars

Sol. Pars eſt *Viſibilis*, i. e. videtur. Eſt autem revera tantum particeps externorum Rituum, potius quam *Pars Eccleſiæ*, niſi quoad *Externum ſtatum* & *apparentiam*.

Obj. Juſtè *Excommunicati* (ut *Inceſtuoſus*, 1 Cor. 5. 5.) ab Eccleſiâ ejiciuntur; ergò prius erant Eccleſiæ *Membra*.

Sol. Privantur *viſibilis* & *particularis* Eccleſiæ privilegiis, quibus ut reſtituantur conari oportet.

Obj. Si ſoli verè Fideles eſſent Eccleſiæ Membra, nullus ſcire potuit ubinam eſſet vera Eccleſia cui ſe adjungeret; nec Paſtor Oves ſuas. *Deus enim ſolus novit, qui ſunt ſui.*

Sol. Eccleſiæ *Inviſibili* adjungitur & unitur quiſque fidelis, per fidem & veram pietatem, ſive noverit fratres ſuos, ſive non. *Membra Viſibilis* æſtimandi ſunt ex judicio Charitatis, qui Chriſtianiſmum probabiliter profitentur, nec evidens & infallibilis notitia ad hoc requiritur ſed probabilis & credibilis. Eccleſia particularis ex notis veræ Eccleſiæ dignoſcenda eſt, §. 3. & intra quamvis *Viſibilem* Membra quædam *Inviſibilis* contineri ex Charitate judicare licet, ità enim Apoſtolus Hebræos alloquitur qui ad particularem *Viſibilem* acceſſerant, *Heb.* 12. 22. *Acceſſiſtis ad civitatem Dei vivi, Jeruſalem cœleſtem, ad Cœtum Primogenitorum qui conſcripti ſunt in Cœlo*, &c. Iſ. 2. 2. Dan. 2. 44.

Obj. Quidam dicuntur exiiſſe ab Eccleſia; quod verum non eſſe videtur, ſi non fuiſſent in Eccleſiâ.

Sol. Ab externâ Communione abierunt; internâ forſan nunquam fruebantur.

Quæſt. *Num Eccleſia in terris ſemper ſit duratura?*

Reſp. Hæc vel illa particularis deficere poteſt, per mortem fidelium, perſecutionem, doctrinæ vel morum corruptionem, *&c.* fieri tamen non

poteſt

poteſt ut Univerſa Militans deficiat, ità ut nulli ſint in terris qui Deum rite colant. *Deus eam fundavit in Æternum*, Pſ. 48. 8. *Portæ inferorum in eam non prævalebunt*, Matth. 16. 18. *Eſt Corpus & Sponſa Chriſti*, Eph. 1. 23. & 5. 32. *eam ſibi in æternum deſponſavit*, Hoſ. 2. 9. *Chriſtus* ejus *Rex* eſt *Æternus*, Luc. 1. 33. *Regnum ejus in æternum non diſſipabitur*, Dan. 2. 44. *Verbi prædicatio, & uſus Sacramentorum in finem Sæculi durabunt*, Eph. 4. 11. 1 Cor. 11. 26. Manebit itaq; Eccleſia, & Viſibilis erit, etiamſi non ſemper in eodem ſtatu, & modo à nobis conſpiciatur, cum *tota terra* dicitur *adorare Beſtiam*, Apoc. 13. 3. *Fuga Mulieris in deſertum*, denotat *Eccleſiæ obſcuritatem* modò, *non interitum*.

Num Eccleſia ſemper ſit conſpicua, & illuſtrè Viſibilis? Quæſt.

Eccleſia quoad ſtatum externum, ſcil. ipſi Homines eorumq; Profeſſio, Conventus Publici, & Exercitia Eccleſiaſtica, ex quibus de veritate Eccleſiæ & ſinceritate Membrorum Chriſti Charitativè judicare licet, interdum conſpicua & illuſtris fuit: *Ex. gr.* ſtatim à Vocatione Gentilium; & cum Principes erant illius nutritii, & quoties inſignem aliquam reformationem accipiat; nec dubium, quin illuſtris erit in Converſione Judæorum; ſæpè tamen, ſicut Luna ſua habet decrementa, & ſæpè latere cogitur, Cant. 2. 14. *tanquam Columba in fiſſuris petræ degens.* *Reſp.*

In Veteri Teſt. *Omnis caro corruperat viam ſuam*, Gen. 6. *Relicto Deo Diis alienis ſerviebant*, Jud. 2. 11, 12. *Eliah queritur ſe ſolum relictum eſſe*, &c.

In *Novo Teſt.* ex Chriſto & paucis obſcuris hominibus conſtitit, & poſtea latuit ſub perſecutione *Paganorum*, *Arianorum*, &c. Apoc. 12. 14. *Mulier puerpera adigitur in Deſertum.*

Synago-

Excep. ad Teſtimon. Synagoga (itâ Eccleſiam *Vet. Teſt.* appellant) non iiſdem privilegiis gaudebat, quibus Eccleſia Chriſti in *Novo.*

Sol. At Synagoga iſta erat Eccleſia Dei.

Excep. *Eliah* deflet ſtatum Eccleſiæ *Iſraeliticæ* non *Judaicæ*, 7 millia tunc temporis Veræ Eccleſiæ Membra extiterunt.

Sol. Rom. 11. 3, 4. *Paulus* ab illâ Inſtantiâ totius Eccleſiæ conditionem depingit, & quamvis 7 millia alicubi delituerint, *Eliæ* tamen non innotuerunt.

Dein *Antichriſtus* ſeſſurus eſt in Templo Dei; & tunc temporis Eccleſiam non retenturam ſplendorem ſuum agnoſcunt *Bellarm. l.* 3. *de Rom. Pontific. c.* 7. *& Staplet. l.* 13. *princ. doctr. c.* 2. *Rhemenſ. in* 2 *Theſſ.* §. 10. *& in c.* 12. *Apoc. Greg. de Valen. analyſ. ex Hieron.*

Obj. Veritas S. Prophetiarum de ſplendido Eccleſiæ ſtatu ſub Meſſia in dubium vocaretur, niſi illuſtris ſit Eccleſiæ ſtatus, *Iſa.* 60. per totum, & 61. 9. *quicunq; eos viderint cognoſcent quòd ſit generatio cui Deus benedixerit in æternum.*

Sol. 1. Res ſpirituales & cœleſtes ſæpè per terrenas & corporeas in Vet. Teſt. adumbrantur, & prophetiæ illæ de Eccleſiâ *Viſibili* non niſi de lucidis ejus Intervallis (de quibus ſuprà) intelligendæ ſunt.

2. Statum potiùs *Spiritualem* ſub *Meſſiâ* per res quaſcunq; pretioſiſſimas adumbrant.

Obj. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum*, Pſ. 19. 4.

Sol. Parum ad rem; ſi Textus verè reddatur, ſcil. in eis (i. e. in Cœlis) *Soli tabernaculum* poſuit; utcunq; Sol ſæpè nubibus occultatur, quandoq; eclipſin patitur, nec ſub nocte ſplendet noſtro Hemiſphærio.

Obj. *Matth.* 5. 14. *Civitas ſupra montem poſita non poteſt abſcondi*, talis autem eſt Eccleſia, *Iſa.* 2. 2. *Micha* 4. 1. *Dan.* 2. 44.

Locus

Locus iſte *Matth.* non Eccleſiam ſed Apoſtolos reſpicit, qui mundi cenſuris erant expoſiti, & hortationis eſt appendicula potiùs quam Prophetia, ut indicant verba ſequentia, *Sic luceat, &c.* *Sol.* 1.

Dan. 2. 35. comparatur Eccleſia Monti magno; ſed mons quandoq; nubibus obvelatur. 2.

Veræ Eccleſiæ noſmet adjungere tenemur, quod fieri non poteſt niſi ſit conſpicua. *Obj.*

Eccleſiæ *Univerſali* & *Inviſibili* noſmet adjungere tenemur per Fidem & Sanctitatem; *Sol.*

Particulari etiam alicui cum per notas externas diſcerni poſſit, non aliter. Privatio enim Communionis cum Eccleſiâ (dum parati ſumus ei aggregari quum innotuerit) non damnat, ſed contemptus. Neque eſt Eccleſia particularis, extra quam non eſt ſalus, neq; cum eâ latente communicare poſſumus.

Act. 20. 28. *Attendite vobis & gregi*, & Matth. 18. 17. *Dic Eccleſiæ*; ibi finiendæ ſunt lites: Eccleſia etiam debet eſſe Columna & Firmamentum Veritatis, 1 *Tim.* 3. 15. Ergo nôſſe oportet, ubi ſit. *Obj.*

Idem reſpondere ſufficiat, quod præcedenti Objectioni. *Sol.*

Si *opertum ſit Evangelium, iis qui pereunt opertum eſt.* *Obj.*

Aliud eſt Evangelium, aliud Eccleſia. *Sol.*

Qui fidem palam profitentur Viſibiles ſunt, qui fidem celant, non veram conſtituunt Eccleſiam; ergo qui veram conſtituunt Eccleſiam viſibiles ſunt. *Obj.*

Membra Eccleſiæ, quâ homines, & quâ fidem Orthodoxam externè profitentes, viſibilia ſunt; interdum autem occultè ſervatur fides, abſcondendo, ab Idololatriâ, ut à centum prophetis factum quos *Obadias*, tempore *Jezabelis*, in ſpeluncâ occultaverat. *Sol.*

Confeſſio

Inſt. Confeſſio Oris, quæ externa eſt, cum fide cordis eſt conjungenda, *Rom.* 10. 10.

Sol. Confeſſio coram hominibus non æq; neceſſaria eſt ac fides, ſed quoties Gloria Dei, & Vocatio noſtra exegerit; quoties legitimè & ſerio poſtulatur, 1 Pet. 3. 15. & fides noſtra probanda eſt, aut ſalus proximi per eam profeſſionem promovenda.

4 *Diſt.* Ratione *Latitudinis* ſive *Extenſionis*; Eccleſia eſt,

Vel { *Univerſalis*, *Particularis*.

Univerſalis ſive *Catholica*, idq;

Vel { *Abſolutè*, ex fidelibus omnium temporum, & locorum, qui fuerunt, ſunt, aut futuri ſunt. *Certo* reſpectu univerſalis, ex omnibus eodem tempore vocationem acceptantibus.

Particularis eſt Societas Fidelium, qui eodem tempore & certo aliquo loco, ad Cultum Dei ritè celebrandum, in unum coaleſcit; ut *Judaica*, *Corinthiaca*, *Anglicana*, &c.

Quæſt. *Num Particularis unaquæq; poſſit errare & deficere?*

Pontificii agnoſcunt omnes viſibiles Eccleſias, exceptâ *Romanâ*, errare poſſe, & deficere; at cum propius urgentur, ſolum Pontificem infallibilem eſſe docent, quando dictat è Cathedrâ.

Arg. 1. At omnis homo mendax ſive Errori obnoxius, Rom. 3. 4. *Noli altum ſapere, ſed time*, 11. 20. In *Veteri Teſt.* Eccleſia ad Idololatriam defecit *Exod.* 32. diu manſit ſine vero Deo, & abſq; Sacerdote & Lege, 2 Chron. 15. 3.

Except. Eccleſia *N. Teſt.* melioribus nititur promiſſionibus *Matth.* 16. 18. *Inferorum portæ in eam non prævalebunt.*

Promiſſio

Promiſſio non facta eſt Eccleſiæ alicui particulari, certè non Romanæ præ aliis, nedum præ aliis ab ipſo *Petro* fundatis. *Sol.*

Factæ erant iſtiuſmodi promiſſiones *V. Teſt.* non autem de Eccleſiâ aliquâ particulari intelligendæ, *Pſ.* 132. 13, 14. *Elegit Zionem Jehova, Hæc eſt requies mea in Æternum,* 2 Sam. 7. 16. Iſa. 49. 15. Earum verò promiſſionum complementum in ſpirituali ſemine quærendum eſt eodem ſenſu quo promiſſiones factæ *Novo Teſt.* ſumendæ ſunt.

Fatemur ſemper fuiſſe pios inter alios, ſed qui multitudine impiorum obſcurati erant.

Prædicta eſt Apoſtaſia communis à fide *Matth.* 24. 24. *Luc.* 18. 8. 2 *Theſſ.* 2. 3. Non Apoſtaſia à *Romano Imperio,* ſed *à Fide*; ut teſtantur alii Textus qui hos explicant. 1 *Tim.* 4. 1. *Deficient à fide,* Apoc. 12. 6. & 17. 2. & 18. 3. *Arg.* 2.

Agnoſcunt Pontificii Eccleſiam viſibilem ſub Antichriſto, eouſq; defecturam, ut multò maxima pars mundi ſit Antichriſto paritura. *Arg.* 3.

Iſa. 61. 9. *Omnes agnoſcent quòd ſint Generatio cui Deus benedixit,* Iſa. 60. 14. *vocabitur Civitas Jehovæ,* &c. *Obj.*

Loci illi de Spirituali Benedictione & ſplendore interno intelligendi ſunt, quo ſenſu ſponſa Chriſti erit glorioſa non habens *maculam aut rugam* Eph. 5. 27. *Sol.*

Matth. 16. 18. *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam, & portæ Inferorum non prævalebunt,* &c. *Obj.*

Eccleſiæ *Univerſali* & *Inviſibili* facta eſt promiſſio. *Sol.*

Agitur de Eccleſiâ ædificata ſupra *Petram,* i. e. *Petrum.* *Inſt.*

Super Confeſſionem *Petri*; vel ſuper Chriſtum, quem *Petrus* confeſſus erat. *Sol.* 1.

Si concederetur perſonam *Petri* ſic intelligi; alias tamen Eccleſias fundavit præter *Romanam,* 2.

nempe

nempe *Antiochenam*, *Babylonicam*, &c. quæ tamen omnes defecerunt & perierunt.

Obj. Matth. 28. 20. *Ero vobiſcum ad conſummationem ſæculi.* Hæc promiſſio facta eſt Eccleſiæ *viſibili*, ad illius enim Paſtores dirigitur.

Sol. Chriſtus ibi promiſit ſe, per Gratiam & tutelam adverſus Diaboli, Mundiq; furores adfuturum Eccleſiæ, quæ utcunq; *Viſibilis*, non tamen propriè Chriſti Eccleſia eſt, niſi quatenùs Membra inviſibilia in illâ contineantur, ſive quamdiù fidem Chriſti retineant, *Rom.* 11. 20. & in Nomine illius coaleſcant, *Matth.* 28. 20.

Obj. Eph. 4. 11. *Conſtituit Apoſtolos, Doctores, Paſtores, &c. ad Conſummationem Sanctorum.* Hæc conſummatio promovetur in Eccleſiâ *Viſibili*, quæ idcirco *indefectibilis ſit*.

Sol. Ordinariè promovetur in Eccleſiâ aliquâ *Viſibili*, non tamen neceſſe eſt, ut ſit unica aliqua determinata, nedum ſola Romana.

Obj. Si Eccleſia Romana defecit, indicetur quando errare cœpit, ſub quo Pontifice, *&c.*

Sol. Quando Ruinæ ſunt manifeſtæ, fruſtrà negatur domum dilapidatam eſſe, niſi indicari poſſit quæ columna, aut quod tignum primò cœperit ruinam trahere. *Inimicus zizania ſeminat hominibus dormitantibus*, Matth. 13. 25. tectè ſcil. & *occultè hæreſes introducuntur*, 2 Pet. 2. 1.

Obj. Si Eccleſia *Romana* diù aut aliquot annos erravit, non ſemper fuit Eccleſia in terris; aut dicendum, ubi fuit.

Sol. Fuit in terris, non quidem ſemper conſpicua, ſed aliquando in locis ſecretis, *Apoc.* 12. 6. multæ fuerunt in Oriente & alibi Eccleſiæ *Viſibiles* extra *Romanam*, & eâ longè puriores: neq; *Romanam* eſſe Eccleſiam negamus, licèt corruptam. *Antichriſtus ſedebit in Templo Dei*, non *Hieroſolymitano* (ut volunt Pontificii) illius enim *deſolatio* dicitur in finem duratura, *Dan.* 9. 26. *Matt.* 24. 2. *Iſta*

Iſtæ Orientales, aliæq; Eccleſiæ extra *Romanam* Erroneæ fuerunt, etiam in capitibus neceſſariis. *Inſt.*

De omnibus probari nequit; ſed quamvis Eccleſia *Viſibilis* in ipſis fundamentis erret, non tamen dubium eſt, quin Deus quoſdam tum privatos fideles tum paſtores ſibi reſervet Chriſto Capiti adhærentes. *Sol.*

Sectio II.

De Partibus Eccleſiæ, Capite & Membris.

Partes Eccleſiæ ſunt *Caput* & *Membra*, *Chriſtus* & *Fideles*. II.

Inter Chriſtianos dubium non eſt, quin Regimen Eccleſiæ ad Chriſtum pertineat, ut Metaphoræ Scripturales indicant. Eſt enim *Eccleſiæ fundamentum*, 1 Cor. 3. 11. *Caput unde fideles vitam, ſenſum, & motum ſpiritualem accipiunt*, Eph. 1. 22. *Ipſum dedit Deus Caput ſuper omnia Eccleſiæ*, & 5. 23. *Illius eſt caput & ſponſus*, Joan. 10. 11. *Illius Paſtor*, Apoc. 19. 16. *Hoc nomen habet in Veſtimento Scriptum, Rex Regnum, & Dominus Dominantium*; Eſtq; omnibus attributis ornatus ad Eccleſiam regendam requiſitis. Quæritur autem *Caput Chriſtus.*

Num præter Chriſtum ſit Caput Subalternum, & totius Eccleſiæ Paſtor univerſalis qui Chriſti vicem in terris gerat? Quæſt.

Non legimus Chriſtum quenquam Eccleſiæ Monarcham conſtituiſſe; & *Heb.* 5. 4. *Nemo ſibi ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut Aaron. Eph.* 4. 11. & 1 *Cor.* 12. inter munera à Chriſto in Cœlos aſcenſuro data non invenitur. *Reſp.* 1.

2. Apoſtolis de primatu certantibus omnem dominationem interdixit, *Matth.* 20. 26. *Luc.* 22. 25, 26.

Except. Chriſtus ibi prohibet tyrannidem, non dominatum.

Sol. Κατακυριεύειν non ſemper in deteriorem partem ſumitur; de primo homine, *Gen.* 1. 26. imo, de ipſo Deo uſurpatur.

Nec aliter ſoluta fuiſſet Apoſtolorum diſceptatio; non enim de Tyrannicâ dominatione contendebant, ſed de Primatu ſimplici, hanc Opinionem confirmat, *Cyprianus Epiſt.* 55. *Hieron. Epiſt.* 85. *Gregor. Maurit. Auguſt. l.* 6. *Epiſt.* 30.

3. Non eſt hujuſmodi munus Eccleſiæ conſtitutioni congruum. Inter homines non eſt, qui malis ſalubriter conſulere, & ad ea, quæ ſæpe præſentaneum Remedium poſtulent, in Eccleſiis, toto forſan Hemiſphærio ab eo diſſitis, medelam parare poſſit.

Obj. Voluit Chriſtus proculdubiò Eccleſiam ſuam optimâ ratione & modo gubernari, optima verò gubernationis forma eſt *Monarchia*; maximè cum propter humanam Infirmitatem ex *Ariſtocratiâ* & *Democratiâ* fuit temperata, taliſque eſt ubi Pontifex eſt Monarcha, Epiſcopi Optimates, iique non Succeſſione Hæreditariâ, ſed ex univerſo populo ad Epiſcopalem dignitatem evehuntur.

Sol. Periculoſum eſt ex hiſce Ratiociniis de voluntate Dei concludere, cujus viæ tantum diſtant à viis hominum, quantum Cœlum à Terrâ, *Rom.* 11. 33. *Iſa.* 55. 8, 9. *Luc.* 16. 15.

Optimum nobis ſæpè videtur; ut bonis melius ſit, & ut Mali ſeverius tractentur; non autem neceſſe eſt, ut Mundum Deus ita gubernaret.

Obj. Etiamſi Deus ſolus ſit Mundi Monarcha, cui Vicarium adjungere opus non eſt; vult tamen in Terris Reges tanquam vicarios ejus conſtitui.

Nun-

Nunquam Deus unicum totius Orbis viſibilem Monarcham eſſe voluit; ſed Regimen Univerſi in plurimos Principatus diſtribuit, & ex Tyrannorum libidine (propter fines ſapientiſſimos permiſſâ.) Non ex conſtitutione Divina eſt, ſi quando *Monarchiæ* in immenſum extendantur. Imò quaſdam Provincias *Ariſtocratico*, quaſdam *Democratico* regimine gubernari ſinit, pro diverſâ Gentium indole. *Sol.*

Quemadmodum in *Monarchia Angelorum*, præter ſummum Regem, Unus Archangelus *Michael* omnibus aliis præeſt, *Apoc.* 12. 7. Sic in *Eccleſiâ Militante unum Principem Eccleſiaſticum* ſupra alios eminere oportet. *Obj.*

Diverſos eſſe gradus Angelorum non diffitemur; ſed num unus ſit præter Chriſtum, qui caput Angelorum ſit, non certò conſtat. Nonnulli potius plures eſſe colligunt ex *Rom.* 8. 83. *Col.* 1. 16. *Sol.*

Eccleſia *Vet. Teſt.* figurâ erat Chriſtianæ, 1 *Cor.* 10. 11. in eâ autem *Aaron* Pontifex ſupremus fuit; eique omnes Sacerdotes & Levitæ ſubjecti, & inde ad Chriſti tempora non defuit Princeps Sacerdotum, qui omnes Synagogas totius mundi gubernaret. *Obj.*

Illa Eccleſia *Paleſtinæ* finibus continebatur, nec difficulter ab uno regi potuit; Hæc per totum Orbem eſt diſperſa. *Sol.* 1.

Nec dicit Apoſt. omnia ſine limitatione illis eveniſſe in figuram, ſed illa quæ ibi recenſuit. Pontifex Iſraeliticus erat quidem Typus Chriſti Pontificis *Novi Fœderis*; ſed aſſerere illum fuiſſe figuram Romani Pontificis, ſomniare eſt. In prolixâ illâ comparatione inter *Vet.* & *Novi Fœderis* Pontificatum in Ep. ad *Hebr.* nè verbum quidem invenimus de Pontificis Romani perpetuâ Succeſſione, quam tamen Chriſtiani ſub periculo damnationis (uti docent) agnoſcere tenentur. 2.

Obj. Exercitus Ordinatus, Corpus Humanum, Ovile, Domus, Navis, quibus Eccleſia comparatur, uni ſubſunt Imperatori, Domino, Gubernatori, cui etiam alii ſubalternantur.

Sol. Similitudines iſtæ ſatis apte ſunt, quatenus Eccleſiam & Chriſtum referunt: ille enim Eccleſiæ Imperator, Caput, Paſtor, &c. exiſtit; at in terris nullus eſt qui Eccleſiam redemit, Sanguine eam acquiſivit, ut pro ipſius peculio haberi debeat.

Obj. Quando Chriſtus primò Eccleſiam collegit, viſibiliter eam adminiſtravit, illiuſque Regimen erat *Monarchicum* & *Externum*; ergò continuandum eſt iſtiuſmodi Regimen. *Mutato enim communi gubernationis modo mutatur Civitas*, Ariſt. polit. 3. c. 2.

Sol. Chriſtus, dum in terris agebat, externum Eccleſiæ regimen non aſſumpſit, *Aaronico* Pontificatu nondum ſublato; erat enim *Iſraëlita*, & ſub lege, *Gal.* 4. 4. Errores qui in Munus Pontificum irrepſerant reprehendit, quâ Propheta à Deo miſſus, eique ſe ſubmiſit, dum leproſos à ſe ſanatos ad Pontificem miſit, ut de eorum munditie judicium ferret, poſtquam autem ſublatus eſt in Cœlos, omnem adeptus eſt poteſtatem, ut Eccleſiam perfectiùs gubernaret. Nec tamen mutatur Eſſentialis Regiminis *Forma*, quia idem manet *Rector*, & eædem *Leges*, diverſitas tantum eſt in Circumſtantiis.

Obj. Epiſcopi Paſtoribus præficiuntur; in Provinciis, *Metropolitani* qui Epiſcopis præſideant; *Patriarchæ* inſuper, qui curam habeant ampliorem, quidni unus ſit, cui *Patriarchæ* ſubjiciantur?

Sol. Qui par eſt regendæ Provinciæ, non idem par toti orbi regendo. Homo centum librarum pondus forſan geſtare poteſt; num ideo & mille librarum?

Evange-

Evangelium per totum orbem propagandum eſt per prædicationem Verbi. Nemo prædicare poteſt, niſi mittatur. Epiſcopi mittere non poſſunt in alienas Provincias, nec ad eos cura pertinet, niſi gregis ſibi aſſignati. *Obj.*

Ad prædicandum Evangelium inter Infideles auſcultare volentibus ſufficit, ut quis facultatem à ſummo Eccleſiæ Monarchâ impetret, & charitate præditus ſalutem eorum ardenter ſitiat, ſic *Philippus*, Act. 18. *Apollos* in Synagogâ *Epheſina*, *Edeſius* & *Frumentius*, Socrat. l. 1. C. 15. Ergo Clauſula iſta [*quomodò prædicabunt niſi mittantur*] indicat neminem poſſe doctrinam Evangelii aliis prædicare, niſi in eâ priùs à Chriſto inſtructus ad alios docendos mittatur, atque in Eccleſiâ, jam conſtitutâ, ab iis ad quos regimen illius ſpectat. *Sol.*

Oportet fideles idem ſentire in Rebus fidei, Eph. 4. 5, 6. *Unus eſt Deus, una fides*, &c. hoc autem fieri non poteſt, niſi unus ſit ſummus Judex, cui omnes acquieſcere teneantur. Etiam in Concilio major pars errare poteſt, ſi deſit autoritas ſummi Paſtoris; nec cogi Concilia legitimè poſſunt, niſi illius autoritate. *Obj.*

Laborandum eſt, ut idem omnes ſentiant; præcipuè in fundamentalibus; ſed ad iſtam unitatem non neceſſe eſt, ut ſit *Viſibilis* ſummus Princeps; Nec Papa eam aſſequi potuit; ſed contrà *Monarchia*, quam uſurpavit, cauſa erat quod Græci à Latinis receſſerint. *Sol.*

In Conciliis etiam pars ſanior multitudine Suffragiorum ſæpe obruta non acquieſcit; unde Schiſmata oriuntur. *Ad pacem verò & ordinem, non abs re erit, haſce obſervari Regulas.*

Quoad *Communionem in fide*, requiratur *Agnitio* non niſi eorum quæ in Scripturis perſpicuè traduntur, aut ex iis neceſſariò conſequuntur, ſaltem ut ad ſalutem neceſſaria. 1.

2. Quoad *Communionem in cultu*, nulla imponatur conditio niſi quæ admitti poteſt abſq; periculo peccati.

3. Toleratio concedatur in dogmatibus minùs neceſſariis, modò privatorum Conceptus, publicis Eccleſiæ Confeſſionibus adverſantes, non palam ſpargantur, ad Proſelytos faciendos, & turbandam Eccleſiæ pacem.

4. Nec præſumat quiſquam Unitatem Eccleſiæ labefactare, aut ab eâ ſe ſeparare, multo minus cœtus ſegregatos erigere, iis ſemet adjungere, aliòve quopiam modo fovere, propter nævos in Ritibus, aut ad ordinem externum ſpectantes, ſive prætenſos, ſive reverà iſtiuſmodi, nedum merè ſuſpectos, quamdiu cum Eccleſiâ conſtitutâ communicare poſſit abſq; peccato.

5. Noſcat intereà quiſq; Prælatos tum ſingulos in propriis ſuis Diœceſibus, tum conjunctim in Conciliis, Autoritate ſacra ad Eccleſias particulares regendas munitos eſſe. Namq; *Præpoſitis obediendum*, Heb. 13. 17. de Præpoſitis Eccleſiaſticis ibi loquitur Apoſtolus: autoritatem enim habent, etiamſi Miniſterialem tantum, quæ à Verbo Dei pendet. Articulos fidei non licet iis condere, ſed declarare, *Gal.* 1. 8. 1 *Theſſ.* 5. 21. & Canones eorum vim legum habere, quæ valeant ad Ordinem communionis, non negant ulli pacis & pietatis cultores; & quamvis Canones Eccleſiaſt. non obligent quoad Fidem & Conſcientiam immediatè, directè, & per ſe; mediatè tamen, & Virtute præcepti, ad eorum obſervationem divinitùs aſtringimur; ita ut, niſi Verbo Dei contrarientur, Nemo poſſit per eorum deſpectum vel Eccleſiæ unitatem rumpere, vel pacem conturbare illæsâ Conſcientiâ.

Utrum

Utrum Petrus *fuerit Oecumenicus ſub Chriſto Eccleſiæ Monarcha, ſeu Chriſti in terris Vicarius?* Quæſt.

Petrum Quodamodo primum fuiſſe ſeu principem inter Apoſtolos, *e. g.* ætate & zelo, non negamus, eo ſenſu quo princeps Senatus apud Romanos dicebatur, qui primus in illo cœtu erat; ſed de Autoritate & jure imperandi reliquis hic quæritur; talemq; autoritatem illum non habuiſſe colligitur ex Scripturis. Cum de alio in locum Judæ ſufficiendo ageretur, id negotii non ſibi arrogavit; ſed Communi Eccleſiæ conſenſu duo pro ponuntur, &c. *Act.* 1. *Reſp.*

In primâ, Diaconorum Electione nullæ illius præ cæteris erant partes, *Act.* 6.

Ipſe cum *Joanne* à cæteris mittuntur *Samariam*, Act. 8. at nè quidem Univerſali Concilio Papam aliquò mittendi permittitur Autoritas.

De evangelizando incircumciſis Gentilibus rationem reddere coram Eccleſiâ cogitur.

Paulus ſe *nihilo inferiorem eſſe aſſerit ſummis Apoſtolis* 2 Cor. 11. 5. Gal. 2. 6.

Paulo Evangelium præputii concreditum fuit, ſicut *Petro Circumciſionis.*

Petro non recto pede incedenti *reſtitit in os, & coram omnibus reprehendit* Gal. 2. 11. quod non ſubditi fuit in Principem.

Matth. 16. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam; tibi dabo claves Regni, & quod ligaveris*, &c. *Obj.*

Si reliqui Apoſtoli *Primatum* his verbis *Petro* conceſſum fuiſſe intellexiſſent, de eodem paulò poſt inter ſe non contendiſſen. Poteſtas Clavium hîc *Petro* promiſſa, poſteà & aliis Apoſtolis cum eo concreditur, *Matth.* 18. 18. *Joan.* 20. 23. *Sol.*

Aliquid peculiare hic promiſſum fuit *Petro*, quod non aliis Apoſtolis. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, &c. *Inſt.*

Sol. *Petrus* tanquam reliquorum os reſponderat interrogationi à Chriſto propoſitæ, ad eum ergo Chriſtus verba ſua ſingularitèr direxit; quod tamen dixit, ad omnes ſpectabat. *Chriſtus* Syriace locutus eſt, quâ linguâ *Petrus* & *Petra* unicâ voce *Cephas* exprimuntur. *Matthæus* ſic reddidit σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ; & ſimilitèr Latinus Interpres vulgatus, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram.* *Matthæus* cùm diverſis vocibus & diverſi generis utitur, indicat petram, ſupra quam Chriſtus dicit ſe ædificaturum Eccleſiam, aliam eſſe à *Petro* Apoſtolo, nempe *Veritatem* reſponſo illius [*Tu es Chriſtus Filius Dei viventis*] incluſam; *Chriſtus* enim *ſolus eſt Eccleſiæ fundamentum*, 1 Cor. 3. 11.

Vox prior eſt maſ. & perſonam Petri denotat, poſterior fæm. & Confeſſionem Petri de Chriſto.

Singularem quidem honorem *Petro* deberi propter eximium illius Zelum in fundandâ Eccleſiâ haud reclamabimus; non tamen *Oecumenicum Pontificatum & dominium illi tribuendum*, ex S. Literis colligere poſſumus.

Obj. Soli *Petro* dicit Chriſtus *paſce Oves*, Joan. 21. 15, 16, 17.

Sol. 1. Aliud eſt paſcere Oves Chriſti, aliud ſummum in eas dominium obtinere.

Ipſe *Petrus* dicit aliis, 1 Epiſt. 5. 2. *Paſcite gregem Dei non ut dominantes Clero*, Reges quandoq; ποιμένες λαῶν vocantur; ſed voces Metaphoricæ ſecundum ſubjectam materiam reſtringi debent; & alitèr Epiſcopum Gregem Chriſti, alitèr Regem ſubditos paſcere oportet.

Ter illi oves paſcendas Chriſtus commendat, forſan ut trinæ *Petri* abnegationi trina reſtitutio reſpondeat: majorem certè illi poteſtatem inde collatam eſſe, quam reliquis Apoſtolis, non liquet: non *ſumma* ſaltem poteſtas, quum alii ex Chriſti præſcripto conſtituti erant Paſtores & Epiſcopi *Eph.* 4. 11.

Si

Si *Petrus ſummus* Eccleſiæ *Monarcha* conſtitutus 2.
fuiſſet, non Pontificiorum cauſam juvaret ; gratìs ſibi ſumunt *Petrum Romanum* Epiſcopum aliquamdiu fuiſſe, ibi diem obiiſſe, & Principatum ſuum jure ſucceſſionis ad Romanum Epiſcopum tranſtuliſſe.

Petrum Romæ fuiſſe Epiſcopum haud veriſimile videtur, eo quod ex ſortitione illâ inter *Petrum* & *Paulum*, Gal. 2. 9. quâ *Petrus* Judæis, *Paulus* Gentibus, Evangelium annunciaturi, multo commodiùs in *Judæâ* habitans poterat munere iſto defungi ; maximè, quòd *Claudius* præceperat *Judæis* omnibus *Româ* diſcedere : Nec *Paulus* in Epiſt. ad *Eph. Philip. Coloſſ.* 2 ad *Tim.* ad *Philem*, *Româ* ſcriptis meminiſſe illius omitteret. Fides itaq; *Chronico Euſebiano* hâc de re vix habenda eſt, nec *Juſtino* & *Tertul.* qui *Romæ* eum fuiſſe aſſerunt. Sin ibi docuiſſet, non ſequitur eum illius Urbis fuiſſe Ordinarium Epiſcopum, cum Apoſtoli munus nulli certo loco erat alligatum. Imò, ſi Univerſalis Eccleſiæ Monarcha ibi obiiſſet, non conſtat ipſum aliquem muneris illius ſucceſſorem reliquiſſe.

Moſes fuit *Princeps*, *Legiſlator*, & *Sacerdos* ; ſed nullum in eo munere ſucceſſorem habuit, ſicut Deus in Pontificatu conſtituerat.

Dein quamvis ſucceſſorem habuiſſet quà Epiſcopus, non tamen qua Monarcha ; Chriſtum autem ad Apoſtolatum illius reſpexiſſe putant, in locis, quibus Eccleſiæ Monarcham illum conſtituiſſe ſomniant.

Primatus ergò qui Veteribus Canonibus Epiſcopo *Romano* conceſſus fuit, in Romanæ civitatis dignitate (quæ Imperii caput erat) fundamentum habuit, & in eo tantum conſtitit, quod primus honore inter Epiſcopos haberetur, non quod poteſtatem in eos haberet, aut Juriſdictionem ; ità decrevit *Concil. Conſtantin.* 1. *Anno Chriſti* 383.

Can. 3. *Conſtantinopolitanæ* Civitatis Epiſcopus habeat privilegia honoris poſt *Romanum* Epiſcopum, eò quod ipſa ſit *Nova Roma.* Epiſcopi *Romani* Autoritas ſub Eccleſias ultra Urbicarias non pertigit, juxta Concil. *Nicænum* Can. 6.

Quæſt. *Num Epiſcopus Romanus in Controverſiis Fidei ſit Judex Infallibilis, ſive poteſtatem habeat in iis dijudicandis?* Vide etiam C. 2. §. 4.

Reſp. *Omnes ſumus erroribus obnoxii: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus* 1 Cor. 13. 9. *Aaron* conſenſit in fabricam Aurei vituli *Exod.* 32. 2. *Urias altari Æreo remoto alind exſtruxit ad exemplar illius quod erat Damaſci* 2 Reg. 16. 11. *Annas & Caiaphas Jeſ. C. ad mortem damnârunt.* Res ipſa loquitur, *Liberius Arianæ* hæreſi ſubſcripſit, teſte *Athanaſ. Epiſt. ad Solitarios. Fœlix* 2. *Arianus* fuit teſte *Hieronymo, Vigilius* Hæreſin *Eutychianam* approbavit, teſte *Liberato Carthaginenſi Diacono in ſuo Breviario. Honorius* 1. fuit *Monothelyta. Leo* 2. docuit Euchariſtiam eſſe infantibus neceſſariam, quæ ſententia damnatur à Concil. *Trident.*

Obj. Chriſtus oravit pro *Petro* ne fides ejus deficeret, *Luc.* 22. 32. conſequenter pro Succeſſoribus.

Sol. 1. Fruſtrà trahitur privilegium *Petri* ad omnes ſucceſſores.

2. Pontificii fatentur Papas ſuos poſſe habere fidem mortuam, bonis ſcil. operibus deſtitutam; Chriſtus autem eo loco pro fide vivâ orabat, ſcil. per Charitatem efficaci.

Obj. *Urim* & *Thummim* ſignificabant Pontificem Aaronicum errare non poſſe.

Sol. Præter inſtantias præmiſſas addi poteſt exemplum *Ananiæ*, Act. 23. qui Sadducæus erat, Reſurrectionem & Immortalitatem animæ abnegans, &c.

Sacerdotum quidem Officium erat cuſtodire ſcientiam, *Mal.* 2. 8. ſed ſæpè receſſerunt è viâ.

Si

Si Papa erraret, tota Eccleſia erraret; cujus ductum ſequi tenetur. *Obj.*

Nihil impedit, quin tota Eccleſia in aliquibus errare poſſit, cum ſit compoſita ex membris errandi periculo obnoxiis; etiamſi fidem Chriſtianam non prorſus abnegare. *Sol.* 1.

Quandoque membra ſaniora ſunt quàm iſtiuſmodi Caput, nec omnes eum agnoſcunt pro capite infallibili. 2.

Si Papa non ſit ſummus Controverſiarum Judex, nec Concilium, indeciſæ manebunt in æternum. *Obj.*

Quod ad Conciliorum æque ac ad Romani Pontificis determinationem, ad hunc modum reſpondent Remonſtrantes, *Epiſcopius, Curcel.* aliique, Præſtat plurimas indeciſas relinqui, & credendi libertatem unicuique permitti, quàm à Judice errori obnoxio dirimi, & neceſſitatem falſa credendi Eccleſiæ imponi. *Sol.*

[Vide Concluſ. præcedentis Controverſiæ penultimæ].

Controverſiæ de rebus mundanis, quamvis ad ſalutem æternam non neceſſariis, (quâcunque ratione determinatio fiat) dirimendæ ſunt juxta leges & conſtitutiones Reipub. alias nulli certa eſſet Bonorum ſuorum poſſeſſio; vis mera dominaretur, & infirmior à potentiore opprimeretur, ſed in Controverſiis fidei Regulam divinam habemus, cujus autoritas eſt divina & infallibilis, unde unuſquiſque haurire poteſt quantum ad ipſum in viâ tutâ dirigendum ſufficiat.

Plurimi ad privatam determinationem tutò faciendam non ſunt idonei, & pro bonis cibis caperent venena. *Inſt.*

Periculum illud non evadere poſſumus, noſmet alieno judicio ſubjiciendo. *Sol.*

Si

Si eandem diligentiam adhibeamus ad viam ſalutis inveniendam, quâ in rebus Sæculi utimur; articulos neceſſarios ab iis, qui ſalutem eripient, diſcernere poſſimus, clarè enim in Scripturis traduntur, & Deus qui ſalutem omnium vult, non permittet ut tales, cum ſalutis periculo, aberrent.

Inſt. Sed unitas fidei in Eccleſiâ non ita retineri poteſt, & quot Capita tot Sententiæ reperientur.

Sol. Unitas Fidei ſufficenter retinebitur, ſi in Neceſſariis ſit Conſenſus, & ſalvo fundamento, in aliis ſe mutuò tolerent Chriſtiani.

Obj. Papæ ſaltem concedi poteſt Autoritas Canones de externo Eccleſiæ Regimine condendi eoſque executioni mandandi.

Sol. Eandem cum reliquis Epiſcopis, in diœceſi propriâ, poteſtatem habeat (quæ qualiſve ſit poſtea patebit) quam ulteriùs ſine manifeſtâ tyrannide extendere nequit. Poteſtatem in mundanis, non directè ſed indirectè, & in ordine ad bonum Eccleſiæ cauſari, ridicula eſt diſtinctio, & merum effugium, ad offuſcandam veritatis lucem inventum, inde nunquam deeſſet ambitioſis Epiſcopis prætextus, omnibus ſæcularibus negotiis ſeſe immiſcendi.

SECTIO III.

De Notis Eccleſiæ.

DAntur indicia quibus Vera Eccleſia (ſi juſta cautio adhibeatur) à falſâ diſcerni poſſit, 1 *Cor.* 1. 11. 19. *Oportet eſſe hæreſes*, ut *qui probi ſunt, manifeſti fiant.* Sacræ Scripturæ eſt, de Naturâ Eccleſiæ nos edocere, quare ubi Scriptura obtinet, ibi natura Eccleſiæ innoteſcet.

Dein

Dein dubia prorſùs & incerta eſſet fidelium Communio hiſce terris, niſi conſtet iis, quibus ſe tutò poſſint ad cultum divinum aggregare.

Hypocritas à ſinceris infallibiliter diſcernere non poſſumus. *Obj.*

Alia eſt ſingulorum Chriſtianorum notitia, alia Eccleſiæ integræ. Notæ Eccleſiæ *Inviſibilis*, eo ipſo quòd inviſibilis ſit, à nobis diſcerni nequeunt; ſed Eccleſia *Viſibilis*, cum ſit eo nomine, vel *Impura* vel *pura*, ad hunc modum innoteſcat. *Sol.*

Quælibet impuritatis Species ſatis apertum erit indicium Eccleſiæ, quæ ab eâ denominatur, *Ex. gr.*

- *Simplex Error*, fundamentum (nempe Chriſtum aut Officia illius) non evertens, 1 Cor. 3. 12, &c. Nota erit Eccleſiæ *Simpliciter* errantis.
- *Error in Articulis fundamentalibus* pertinaciter retentus, & correctionem reſpuens, Nota eſt *Hæreticæ*.
- *Violatio Charitatis*, Communionem Chriſtianam abrumpens, propter nævos, ſive in factis, ſive in ritibus, ſine errore in fide, eſt Nota Eccl. nudè *Schiſmaticæ*. Cum errore autem in fide, eſt Nota *Schiſmaticæ mixtæ*.

Notæ Eccleſiæ Puræ ſunt

Pura Verbi Divini prædicatio, quæ eſt puræ Eccleſiæ nota Eſſentialis, Joan. 6. 67, 68. & 10. 4. *Vultis & vos abire? reſpondent, ad quem ibimus? tu habes verba vitæ æternæ.*

Legitima Sacramentorum Adminiſtratio, & *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Exercitium*, quæ Notæ poſteriores ad *benè* eſſe Eccleſiæ ſpectant.

Num Veritas Eccleſiæ, an Doctrinæ, ſit priùs Exquirenda? Quæſt.

Temerè Cardin. *Perronius* (replic. ad Regem *Angliæ*, l. 1, C. 4. & 5.) cum Pontificiis, ſtatuit, *Reſp.*

Fidem

Fidem ex Eccleſia, potiùs quam *Eccleſiam ex Fide* cognoſci.

Aliter docemur, Act. 2. 42. *Adjungebantur Eccleſiæ qui priùs edocti erant*, & 8. 12. *In adultis fides præcedit Baptiſmum*, Matt. 28. 19. & *Baptiſmus eſt introitus in Eccleſiam.*

Admitti non poteſt Eccleſiæ Autoritas, neque eam Eccleſiæ *Romanæ* appropriatam eſſe, niſi Veritas utriuſque verbo Dei reveletur. Neque poteſt fidelis ullorum cœtui tutò ſe adjungere (præcipuè partibus de veritate & puritate fidei contendentibus) niſi Regulam veritatis & puritatis priùs noverit.

Obj. Examen *Fidei* & *Doctrinæ* rudibus & imperitis eſt periculoſum, & illius inveſtigatio iis haud poſſibilis.

Sol. 1. Non requiritur Examen & Cognitio diſtincta doctrinarum omnium quæ in Scholis diſceptantur; ſed quæ ad Salutem ſunt neceſſariæ, & in Scripturis apertè ſatis traduntur; unde S. *Paulus* jubet *omnia probare*, 1 Theſſ. 5. 21. Nec difficilius eſt Senſum Scripturæ, quàm determinationum Eccleſiaſticarum capere.

2. Facilè quidem Eccleſia cognoſci poteſt; quâ Cœtus hominum iiſdem Sacris utentium, non autem quâ cœtus fidelium Doctrinam Chriſti retinentium, niſi priùs nota ſit iſta Doctrina.

Obj. Qui in Eccleſiâ eſt, certus eſſe poteſt de fide Chriſtianâ, etiamſi articulos ejus diſtinctè non teneat; ſed Qui fidem habet, non poteſt certus eſſe quid ſit in Eccleſiâ extra quam non poteſt ſalutem expectare.

Sol. Argumentum ſupponit hominem poſſe verâ ſive ſalvificâ fide imbui, & non eſſe in Eccleſia; quod falſum eſt, quia fides nos inſerit in Chriſtum & Corpus ejus Myſticum. Vacillat etiam Antecedens.

Num

Num Veritas Doctrinæ Chriſtianæ ſit certa Eccleſiæ nota? Affirm. Quæſt.

Error in Doctrinâ & pertinaciâ in eodem, eſt *Nota Eccleſiæ Hæreticæ*; ergo *Veritas Doctrinæ* eſt *Nota Eccleſiæ veræ*. Matth. 16. 6. 12. *Cavete à fermento Phariſæorum*, & 1 Joan. 4. 1. *Reſp.* *Arg.* 1.

Jubemur ab Errore cavere, non ab Eccleſiâ. *Excep.*

Jubemur cavere à Pſeudoprophetis, *Matth.* 7. 15. 2 *Joan.* 5. 10. non *ulli eorum Ave dicere*; multo magis cavere ab Eccleſiâ fundamentali Errore vitiatâ, cui pertinaciter adhæret, adeoq; incorrigibilis exiſtit. *Sol.*

Falſa Doctrina quandoque obtinet in Eccleſiâ verâ, ut in *Corinthiacâ*, 1 Cor. 15. 12. Gal. 1. 6. *Obj.*

Eccleſiæ illæ non totaliter infectæ fuerunt, ſed quædam earum membra. *Utinam exſcindantur* (ait Apoſt.) *qui vos turbant*, nec omnes, qui errant, pertinaciter errant. *Sol.*

Illa eſt *Veræ Eccleſiæ* nota, ad quam, quaſi normam, Eccleſiæ primitivæ formabantur, & ad quam reformandæ ſunt hodiernæ, ſed ad normam *Verbi* olim erigebantur, Matth. 28. 19. *Baptizantes doceto obſervare quæcunque præcepi*, Rom. 10. 17. &c. & *ad eandem Normam reformandæ ſunt*, Joſ. 24. 24. 2 Reg. 23. 21. 2 Chron. 34. 30. 1 Cor. 11. 23. *Arg.* 2.

Hâc notâ diſcernuntur oves Chriſti, Joan. 8. 31. *Si permanſeritis verbo meo, &c.* & 10. 4, 5, 6. *Arg.* 3.

Doctrina Orthodoxa poteſt eſſe in Eccleſiâ Schiſmaticâ, quæ vera non eſt. *Obj.*

Quòd liceat Eccleſiam ſcindere propter res indifferentes, aut ejuſmodi prætextus, eſt *Error in Doctrinâ*. Quidam verò ſeparatos cœtus interdum fovent ex infirmitate, qui propterea ab omni ratione Eccleſiæ non ſunt prorſùs excludendi, diſtinguendi ergò ſunt merè ſeducti à Seductoribus, & quamvis neutri ſint extra culpam, unde *Dathanis* Aſſeclæ cum eo perierunt; Sperandum tamen, *Sol.*

tamen, quòd ſicût Rex ſæpè parcit ſeductis, ſeveriùs autem animadvertit in Seductores & Obſtinatos, ità Deum in Schiſmate inter infirmos & contumaces diſcreturum.

Obj. Notæ, quas omnes Sectæ ſibi vendicant, non poſſunt eſſe veræ Chriſti Eccleſiæ indicia.

Sol. Videndum quid ſibi *jure* vendicant, aliàs nullæ eſſent notæ rei de quâ diſceptatur; intereà certior videatur Nota, quam omnes verâm eſſe judicant.

Obj. Ignotior eſt ipsâ re aut æq; ignota; non enim minus controverſum eſt, Ubi ſit veritas, quàm Ubi ſit Eccleſia.

Sol. Etiamſi Veritas, ipſa ſcil. Scriptura, ſit controverſa, non tamen æq; ac Eccleſia; quia Eccleſia nulla dignoſci poteſt niſi ex Scripturâ (unde ipſi Pontificii ſuam ex Scripturâ probare conantur) Scriptura verò ex inſitis ſibi notis innoteſcit.

Neq; inter Chriſtianos de Veritate Scripturarum diſceptatur.

Dein quamvis interpretatio Scripturæ controvertatur, certior tamen eſt modus inquirendi veritatem ex Scripturâ, per comparationem ſcil. locorum, aliaſq; interpretationis leges, quam Eccleſiam abſq; Scripturâ.

Inſt. Quî poteſt Idiota comparare Scripturæ veritatem cum Doctrinâ quæ recepta eſt in Eccleſiâ?

Sol. Chriſtiani receperunt Spiritum Diſcretionis quoad fundamentalem veritatem ex Compendiis Evangelii, nempe *Symbolo*, *Decalogo*, *Oratione Dominicâ*, & ex claris Scripturæ locis; atq; Veritas neceſſaria inde hauſta in cordibus eorum per Sp. S. obſignatur.

Quæſt. *An Notæ quas aſſignant Pontificii pro certis & indubiis habendæ?*

Reſp. Notæ, quas pleriq; Pontificii aſſignant, ſunt *Antiquitas*, *Multitudo*, *Succeſſio perſonalis* & *localis*, *Miracula*, *Revelationes*, *Unitas*, *Sanctitas*, *Firmitas*, *Victoria*.

Hæ

Hæ autem *Antichriſtianiſmo* etiam convenire obſervantur.

Eccleſiam indicat

Non {
Antiquitas, nam operabatur myſterium iniquitatis ipſorum Apoſt. tempore.
Multitudo, nam *totus mundus* eſt *Beſtiam* ſecuturus.
Succeſſio, Seſſurus enim eſt *Antichriſtus in Templo Dei*, & Urbe ſepticolli.
Miracula, & *Revelationes*, veniet enim *Antichriſtus* cum Efficaciâ Signorum.
Unitas, nam *totus mundus adoraturus* eſt *Beſtiam*; & *Meretrix inebriabit Reges Terræ*, &c.
Sanctitatis Species, *Antichriſtus* enim habet *cornua ut Agnus*.
Firmitas, nam ſedebit ut Regina, & *Viduitatem* non metuet.
Victoria, nam pugnabit adverſus *Sanctos ad tempus*, & *prævalebit*, Apoc. 11. 2. & 3. 15.
}

Num liceat Chriſtianis ſeparare à communione Eccleſiæ ſuæ particularis propter Scandala? Quæſt.

Si Muneri ſuo deſit Eccleſia aliqua particularis, non ſummovendo Scandala, monenda eſt, & à Membris ſanioribus, pro ratione cujuſq; ſtatûs & conditionis laborandum eſt, ut Legitima fiat Reformatio. Intereà, dum ibi ſit *Verbi* & *Sacramentorum* Adminiſtratio, non adeò deficit ut Fideles, ſed obſtinati Scandali Autores ſeparari debeant 1 *Cor.* 5. 5. *Reſp.*

Prophetæ olim, tum Principes tum Sacerdotes æq; ac Populum admonuerunt Officii *Iſa.* 1. 10. *Joel.* 2. 17. Chriſtus etiam & Apoſtoli monebant hos neglecti Officii; ſed nec nomen Eccleſiæ iis adimebant, nec ſeparationem ſuadebant,

Apoc. 2. 14. & 3. 9. tolerantiam Malorum perſtringit Chriſtus, non, ut ab Eccleſiâ recedant, hortatur.

Sectio IV.

De Adminiſtratione.

A*Dminiſtratio Eccleſiæ* eſt,

Vel { *Eccleſiaſtica*, *Politica.*

Eccleſiaſtica, ubi ſpectanda ſunt { *Poteſtas Eccleſiæ*, *Miniſtri*, quibus Chriſtus iſtam credidit *Provinciam.* *Ipſius Adminiſtrationis Partes.*

De Poteſtate Eccleſiæ.

Quæſt. *Num Eccleſiæ competit Poteſtas aliqua diſtincta à Politicâ?*

Reſp. Noluit certè Chriſtus Eccleſiæ Societati præſtantiſſimæ in neceſſariis deeſſe, ſed poteſtate muniri ritè ac commodè diſponendi ea quæ ad Bonum illius commune ſpectabant, & eliminandi quæ ruinam illi minabantur. Hinc *Claves cælorum* dedit *Eccleſiæ Miniſtris*, tanquam Domûs illius

Arg. 1. *Oeconomis*, i. e. poteſtatem claudendi aut aperiendi, ligandi aut ſolvendi peccatores prout res poſtulet, Matth. 16. 19. & 18. 18. 2 Cor. 10. 8. *Poteſtatem dedit Dominus ad Ædificationem*, per Diſciplinam ſcil. ut patet v. 6, &c.

Obj. *Quod ligaveritis in terris, ligatum erit in cælis*, &c. Apoſtolis dictum fuit, non Succeſſoribus.

Sol. De Eccleſiâ quæ perpetuò duratura eſt dicuntur, *Matth.* 18. 18.

Ibi

Ibi agitur de privatis & levioribus injuriis, que ſi privatim componi non poterant, adeundum erat Synedrium. Eccleſia enim Chriſtiana nondum erat collecta; & clauſula illa [*ſit tibi tanquam Ethnicus*] eodem redit, ac [*ad Magiſtratum Gentilem deferatur*]. *Except.*

Tum voluit Chriſtus fidelem quemlibet offenſum *Hieroſolymam* aſcendere, ubi hoc Synedrium convenire ſolebat, illiq; hanc ligandi ac ſolvendi poteſtatem, ejuſq; ſententiam in Cœlis ratificandam. *Sol.* 1.

Nec de privatis & levioribus tantum offenſis ibi agitur, ſed de peccatis Cœlo excludentibus; dicitur enim [*ligatum erit in Cœlis*] & ſi *audiverit, lucrifeciſti fratrem, non modò pacatum reddidiſti.* 2.

Neq; jam extat Synedrium illud *Judaicum.* 3.

Adde quod Apoſt. 1 *Cor.* 6. 1. objurgat Chriſtianos, quod *coram judicibus Gentilibus lites haberent adverſus fratres.* 4.

Vobiſcum & meo Spiritu, & poteſtate Domini Jeſu Chriſti talem *tradatis Satanæ ad interitum carnis*, 1 Cor. 5. 4, 5. *Arg.* 2.

Ipſe Chriſtus non excluſit *Judam* à S. Cœnâ, multò minùs ampliorem poteſtatem ſucceſſoribus Apoſtolorum largiretur. Non enim egreſſus eſt ante Cœnam peractam, *Luc.* 22. 21, 22. ſaltem non ante Cœnam Paſchalem quod ex offulâ illi datâ infertur. *Obj.*

Impietas *Judæ* tum temporis ſoli Chriſto nota erat, nullus autem à Sacris arcendus eſt, niſi ſcelus idoneis teſtibus probari poſſit, quamvis Paſtori innoteſcat, *Deut.* 19. 15. *in ore duorum aut trium Teſtium ſtabiliendum eſt omne Verbum.* Neq; Chriſtus, quâ Deus, ſed quâ Homo & Miniſter Patris in eo negotio comparuit. *Sol.*

Poteſtas extraordinaria, & per proviſionem tunc data erat Eccleſiæ ad tempus, donec Magiſtratus Chriſtiani ſuſcitarentur. *Obj.*

 Chriſtus

Sol. Chriſtus ordinem in Eccleſiâ inſtituit abſq; limitatione cujuſdam temporis; & reprehenduntur Eccleſiæ quæ illum neglexerunt 1 *Cor.* 5. 1. *Apoc.* 2. 14.

Obj. *Poteſtas Eccleſiaſtica* præjudicat *Politicæ*; Imperium in Imperio erigit, & diverſas Poteſtates coordinatas in eundem gregem, quandoq; contraria jubentes; unde diſcordiæ, contentiones, &c.

Sol. *Contraria* forſan quandoq; jubeant, ſed hominum vitio; intereà verò unica eſt obligatio; illi ſcil. Poteſtati obedire quæ juſta & juſtè jubet, ut à replicatione Apoſtolicâ Magiſtratibus conſtat, Act. 4. 19. *An juſtum ſit vobis potius auſcultare quam Deo, ipſi videte.*

Diverſæ quidem ſunt Poteſtates, ſed Objecto, Fine, & Mediis differunt, ideoq; non pugnant.

- *Politica* habet pro Objecto Perſonas, quoad Vitam Animalem, & Actiones quoad Societatem Civilem, ſive Hominem Externum;
- *Eccleſiaſtica*, Perſonas & Actiones ſacras, ſive homines quoad Spiritum & conſcientiam, & quâ ordinari poſſint ad Unitatem cum Chriſto, & vitam æternam.

Quamvis *Politica* verſetur quodammodo *Circa Res ſacras*, & earum curam habere debeat, ipſa tamen *Rerum ſacrarum* Adminiſtratio ad *Eccleſiaſticos* pertinet.

Finis
- *Politicæ* eſt Pax & tranquillitas publica, ſive Bonum Sæculare Reip. & Media illius ſunt Leges civiles, Præmia & Pœnæ ſæculares.
- *Eccleſiaſticæ*, Lex Dei, & Arma Spiritualia, Claves ſcil. Regni Cœlorum.

Obj. Poteſtas *Politica* eſt *Architectonica*, cui omnes aliæ, etiam Eccleſiaſtica ſubordinatur.

Sol. Eccleſiaſtica Subordinatio alia eſt per Se, quæ ſpiritualis eſt, quam in Sacris celebrandis Politicæ

liticæ Poteſtati negamus; alia per Accidens, ſeu quâ Corporalis & Secularis & rei aut Actioni adjuncta, quam Politicæ Poteſtati tribuimus; unde, non pugnant, ſed amicè conſiſtunt, & ſibi invicem inſerviunt.

Apoſtoli ut plurimum loquuntur non tanquam Eccleſiæ Domini, Poteſtate armati, mandando; ſed ſuadendo, & hortando, ut Miniſtri & Conſervi. *Obj.*

Ità humilitatis & manſuetudinis Specimina exhibent; quandoque autem perquam aperta autoritatis oſtendunt indicia, ut 1 Theſſ. 4. 11. *Sicut vobis præcepimus*, Col. 4. 10. *De quo accepiſtis Mandata*, Act. 15. 28. *Ne quid amplius imponeremus præter neceſſaria iſta*, Heb. 13. 17. *Obedientia illis præcipitur*, Phil. 2. 29. 1 Theſſ. 5. 12. 1 Tim. 5. 17. *Sol.*

Nec Apoſtolis ſolummodò, ſed aliis Paſtoribus vendicatur hæc Poteſtas, Tit. 2. 15. *Argue cum Omni imperio. Nemo te deſpiciat.*

Poteſtatis hujus Aſſertio Tyrannidem Papalem ſtabilire videtur. *Obj.*

Autoritatis limites tranſgreditur iſta Tyrannis, mandando quæ in mandatis non habent, & cœcam inſuper Obedientiam exigendo. *Sol.*

Miniſtri Eccleſiæ ſunt, vel { *Extraordinarii*, *Ordinarii.* }

Extraordinarii qui immediate à Deo *vocantur*, & *inſtruuntur*, fueruntque

{ In *Veteri* Teſt. Prophetæ,
In *Novo* (præter Chriſti præcurſorem *Baptiſtam*) Apoſtoli, Evangeliſtæ, & Prophetæ. }

Apoſtoli, ſenſu latiori vocati fuerunt, qui legatione aliquâ Eccleſiaſticâ fungebantur, ſic ipſe Chriſtus à Patre miſſus, Heb. 3. 1. *Duo Socii Tito adjuncti ad ferendam Judæis Eleemoſynam*, 2 Cor. 8. 23. *Epaphroditus*, Phil. 2. 25. præcipue vero *duodecim*

decim à Chriſto *Electi qui cum eo fuerunt, ut per orbem Evangelium annunciaturi de Vitâ, Morte, Reſurrectione, Aſcenſione illius,* &c. *Teſtimonium indubitatum, perhiberent*; ad quorum numerum D. *Paulus* inſuper aſcriptus erat.

Ab Errore in Evangelio annunciando *immunes* erant, Joan. 16. 13. *Petri* enim Error quem *Paulus* culpavit, *Gal.* 2. non fuit in Doctrinâ; ne quidem in Doctrinâ de moribus.

Prophetæ dati erant Eccleſiæ, In *Novo T.* Eph. 4. 11. eiſque cum Apoſtolis tribuitur *fundamen* Eccleſiæ, *Eph.* 2. 20.

Prophetæ autem appellantur; tum, qui futura prædicebant, quales erant *Agabus*, Act. 11. 28. *quatuor Filiæ Philippi*, Act. 21. 9. *Paulus* 2 Theſſ. 2. 1 Tim. 4. 2 Tim. 3. *Autor Apoc.* tum, qui occulta revelabant; ut *Baptiſta*, Chriſtum Judæis cœcutientibus quaſi digito monſtrans; quamvis nihil futurum prædixerit: unde inter eos qui *nati erant ex mulieribus non majorem fuiſſe Prophetam* legimus, Luc. 7. 28. *Judas* etiam & *Silas*, Act. 15. aliique, 1 Cor. 14.

Quæſt. *Utrum cuivis Fideli* (qui forſan idoneus ſit ad Ædificationem ſermocinari) *attendere teneantur Chriſtiani æque ac Paſtori proprio, ſicut mos olim fuit in Synagogis Judaicis?*

Reſp. Nullâ præcepti divini obligatione tenemur, ex quo conſtitutum fuit Miniſterium in Eccleſiâ Chriſtianâ, Communionem cum Paſtoribus noſtris ſub iſtiuſmodi prætextu deſerere, aut neglectui habere, mutua enim ſunt *Paſtoris* & *Gregis* Officia; adeò ut non magis illius eſt iis Sacra miniſtrare, quam Gregis cum eo in Sacris communicare. Quod de Conſuetudine prophetarum legimus, 1 *Cor.* 14. ex dono Spiritûs S. extraordinario habuit Originem. *Chariſma* erat quod dudum deſiit; verſu enim 5to dicitur *Major eſt qui prophetat quàm qui linguis loquitur.* Cognitio

tio autem quæ nunc dierum ſtudio acquiritur non major eſt dono iſto miraculoſo.

Quomodo concilientur, 1 Cor. 11. 5: Mulier orans aut Prophetans non velato Capite detrpat Caput ſuum, & non licet in Eccleſiâ mulieribus loqui? Quæſt.

Quidam locum intelligunt de mulieribus prophetias ſeu laudes Dei cantantibus ab aliis compoſitas, ita Vox [*prophetare*] quandoque ſumitur, ut 1 *Chron.* 25. 1. 2. Filios *Aſaph. Heman* & *Jeduthun prophetare* oportebat in *Citharis* & *Cymbalis.* *Reſp.*

Alii reſpondent, illicitum fuiſſe Mulieribus *Vulgaribus* in Eccleſiâ loqui, atque ipſis prophetiſſis niſi velato capite.

De Evangeliſtis.

Evangeiſtæ erant Apoſtolorum Adjutores in annunciando Evangelio, & ſubinde miſſi, quo ire non poterant ipſi Apoſtoli, tales erant *Philippus*, Act. 21. 8. *Timotheus*, 2 Ep. 4. 5. *Clemens*, *Soſthenes*, *Silas*, Donis erant inſignes, inferiores autem Prophetis, eo quòd ad dona excitanda ſtudio & diligentiâ opus habebant, 1 *Tim.* 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii.* Vulgo autem appellatio iſta tribuitur Scriptoribus Hiſtoriæ Jeſu Chriſti, *Matthæo*, *Marco*, *Lucæ* & *Joanni*, nec impropriè.

De Paſtoribus & Doctoribus.

Hos Chriſtus dedit Eccleſiæ, *Epheſ.* 4. 11.

Quidam illos dictos fuiſſe Doctores exiſtimant, qui Veritatem ex Scripturis confirmabant, & errores confutabant, quales hodiè in Academiis Theologiam profitentur, vel antiquitùs in Eccleſiâ *Alexandrinâ* fuerunt *Pantænus*, *Clemens*, *Origenes*, etiamſi non *Doctores* vocabantur, ſed *Catechiſtæ*,

 quo-

quorum erat recens converſos inſtituere priuſquam baptizabantur. *Paſtores* eo loco dictos exiſtimant, qui ad mores formandos, ad redargutionem, conſolationem, alioſque uſus practicos Doctrinam Evangelicam applicabant.

Alii verò duobus iſtis titulis unum & eundem Ordinem miniſtrorum deſignari arbitrantur, maximè cum non *diviſim* efferuntur, ſicut anteà [*dedit Alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas*] ſed *conjunctim alios Paſtores & Doctores*, & quidem *Boni Doctoris* eſt, ad praxin dirigere *Documenta* quæ ſalutaria fore monſtravit; & *Boni Paſtoris* eſt, Mentem priùs Documentis informare, quàm ad Praxin voluntatem excitare conetur.

Ordinarii Eccleſiæ Miniſtri in *Vet. T.* erant
- *Principes Sacerdotum*,
- *Sacerdotes*,
- *Levitæ*

In *Novo T.*
- *Epiſcopi*, Apoſtolorum Succeſſores;
- *Presbyteri*, qui iidem cum Paſtoribus; *Act.* 14. 23. *Tit.* 1. 5. quibus acceſſerunt,
- *Diaconi*, Act 6.

Quæſt. *Utrum Epiſcopatus & Presbyteratus* ſint *Diſtincti Ordines?*

Reſp. Diſtinctos eſſe Ordines hinc conſtat, quod viventibus adhuc Apoſtolis, Unus erat aliis Presbyteris in eadem Eccleſia præpoſitus, ſcil. *Timotheus Epheſinis, Titus Creticis, 7 Angeli 7 Aſiaticis*; atque autoritatem *Epiſcopalem* ſupra eoſdem *Presbyteros* habuerunt.

Timotheus autoritatem habuit exercendi cenſuras per totam Eccleſiam *Epheſinam*, 1 Tim. 5. 20. *peccantes coram omnibus argue ut cæteri timeant. Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.*

Habuit

Habuit etiam autoritatem *Sacros Ordines* conferendi, v. 22. *Manus citò nemini impoſueris.* *Titus* etiam haud abſimili autoritate dignatus eſt, Tit. 1. 5. ex. gr. *Juriſdictionem exercendi*, c. 2. 15. *Hæc argue cum ſummo imperio. Nemo te contemnat*, & falſis Doctoribus *ſilentium imponendi*, c. 1. 11. *quorum oportet os obturare.* Hæreticos *excommunicandi*, c. 3. 10. *Hæreticum poſt unam & ſecundam admonitionem devita.*

Non conſtat *Timotheum* abſq; aliis habuiſſe poteſtatem *Ordinandi*, eo quòd Apoſtolus mandet, *nè manus cuiquam temerè imponeret*; nam pari ratione ſequeretur eum ſolum habuiſſe poteſtatem prædicandi Evangelium, eo quòd Apoſtolus moneat, ut *opportunè, importunè prædicaret*. *Excep.*

Impar ratio; nam diſertis verbis monet, ut ipſe *alios verbi Miniſtros inſtitueret.* *Sol.*

Apoſtolus non commiſit *Timotheo* poteſtatem *Ordinandi* abſq; aliis; ipſe enim Apoſt. non Ordinavit, niſi aſſumptis ſibi *Presbyteris*, 1 Tim. 4. 14. *Inſt.*

Illi *Presbyteri* forſan etiam *prophetæ* erant; vel Apoſt. Princeps erat inter illos *Presbyteros*, & à *Presbyterio* ordinabatur, cujus Caput erat Apoſt. Quibuſdam videtur bis *Ordinatus*, ſemel à ſolo Apoſt. 2 Tim. 1. 6. *Sol.*

Paulus miſit *Timotheum* ad Eccleſiam *Corinthiacam, Philipp.* & *Theſſal.* æq; ac ad *Epheſinam.* *Evaſ.*

Non conſtat quod eâdem poteſtate munitum. *Sol.*

Autoritas *Timothei* ſuper *Presbyteros*, non inde conſtat, quod *accuſationem recipere non debuit, niſi duobus aut tribus teſtibus confirmatam*: Æquales enim accuſationem contra Æquales recipere poſſunt. *Inſt.*

Timothei erat recipere accuſationes in ordine ad corripiendos & corrigendos delinquentes, non tantum ad eaſdem accuſationes Eccleſiæ denunciandas; Hoc enim ei ſub unico teſte licebat. *Sol.*

Æquales

Inſt. Æquales jure poſſunt ab æqualibus judicari; ſic Epiſcopus peccans ab Epiſcoporum Synodo.

Sol. Unus Epiſcopus non æqualis eſt Epiſcoporum Synodo, quamvis unius & ejuſdem Ordinis.

Obj. *Ignatius* hortatur *Polycarpum* ſingulos *exquirere*, ſervos & ancillas non negligere. Arcta ergò erat Epiſcopi Diœceſis quâ ſinguli, etiam infimi Ordinis illi innoteſcerent.

Sol. 1. Ζητεῖ Novo Teſt. ſignificat *converſionem infideli-um conari*, Luc. 19. 10. *Filius hominis venit quærere & ſalvare quod erat perditum.*

2. Si *anguſta* adeò Diœceſis, quorſum Epiſcopo tot Presbyteri & Diaconi ei inſervientes?

3. Dein non exquirendi erant virtute illius hortaminis ſinguli generum, etiamſi qui Ordinis infimi fuerunt non erant contemnendi.

Hactenùs de Poteſtate Eccleſiæ in genere; & de Perſonis *Adminiſtrantibus*, *reſtant Adminiſtrationis Partes*, Sive *Adminiſtrantium Munera*; quæ ſunt *Prædicatio Evangelii*, *Sacramentorum Adminiſtratio*, *Ægrotorum viſitatio*, *in mores*, eorum, quibus præſunt, *Invigilatio*, *Aliorum ad Miniſterium Vocatio*, *Synodorum* & *Conciliorum celebratio*, & *Uſus clavium*. Quorum hoc loco retuliſſe nomina ſatis eſſet, niſi quòd Pauca de tribus hiſce ultimis explicatiùs dicenda ſint.

1. *De Vocatione Miniſtrorum.*

Vocatio Miniſtrorum eſt quâ Eccleſia viros ad eorum munera idoneos, poſt exploratam eorum vitam & eruditionem, præviaſq; preces & jejunia, eligit, ſolenniq; ritu confirmat, *Act.* 13. 3.

Vocationi cognata ſunt *Delegatio ad Synodos celebrandas* Act. 15. 2. & *Deputatio* ad *alia Negotia Eccleſiaſtica*, 2 Cor. 8. 19. Act. 15. 20.

Eſtne

Eſtne aut Vocatio ad Miniſterium, aut ipſius Miniſterii Functio neceſſaria ſub Evangelio? Quæſt.

Vocationis neceſſitas patet primò ex *Inſtitutione Divinâ*, uti *Aaronis* Sacerdotii Levitici in *Veteri Teſt.* & Apoſtolorum aliorumq; in *Novo*; quorum Succeſſio ad uſus neceſſarios eſt perpetuò duratura, *Eph.* 4. 11, 12, 13. *Eos dedit Chriſtus ad Ædificationem Corporis ſui, donec perveniamus omnes ad Unitatem fidei*, &c. *Reſp.* 1.

Ex Non-miſſorum prophetantium increpatione Jer. 23. 21. *Non miſi Prophetas, ſed*, &c. & Joan. 5. 43. Heb. 5. 4. 2.

Ex Naturâ *Miniſterii. Paſtores legati ſunt* 2 Cor. 5. 20. *Diſpenſatores in domo Dei* 1 Cor. 4. 1. *Milites Chriſti* 2 Tim. 2. 3. 3.

Ipſum prædicandi munus ceſſâſſe debuit ſub Evangelio juxta Proph. Jer. 31. 34. *Non docebit aliquis proximum ſuum ultra, ſed omnes erunt* θεοδίδακτοι. *Obj.*

Hoc vult propheta. Fideles non ſolum externè per Miniſterium Verbi, verum etiam (quod dignius & utilius eſt) internè doceri à Deo per Spiritum S. Sic *Non Jacob dicetur nomen tuum ſed Iſrael.* *Sol.* 1.

Vel prædictio intelligenda eſt comparatè. *Veteri Teſt.* pleraq; obſcurè & ſub umbris proponebantur; & neceſſe erat quærere, quid vellent illæ figuræ, donec in *Novo* Typica iſta manifeſtanda erant. 2.

1 Joan. 2. 27. *Non neceſſe habetis, ut quiſquam doceat vos, ſed ſicut Unctio docet vos de omnibus.* *Obj.*

Subordinata non pugnant. Unctio Spiritûs S. docet ipſos Paſtores & Miniſtros. *Sol.*

Quilibet Chriſtianus exercere poteſt & debet Charitatis Opera, nec ad hoc neceſſaria eſt peculiaris Vocatio; ſed Evangelium proponere & explicare, & ad illud amplectendum & retinendum *Obj.*

dum hortari, eſt opus charitatis, ſaltem quâ tale Vocationem peculiarem non exigit.

Sol. *Opera Charitatis* ſunt

Vel { *Communia* fidelibus cujuſcunq; ſtatûs aut Conditionis ;
Alicui Officio *Propria* ; ut, quæ à *Magiſtratu* ſolo exercenda ; atq; itâ exercenda ſunt Opera Charitatis, ut non violetur Ordo aliquis à Deo inſtitutus. }

Obj. *Petrus* juſſit *Cornelium* cum totâ familiâ baptizari, quod factum fuit à Fratribus *Joppenſibus*, alios enim adfuiſſe non conſtat, *Act.* 10. ult.

Sol. 1. Fratres ſunt *Docentes* æq; ac *Diſcentes*. *Judas* & *Silas* qui etiam prophetæ erant dicti ſunt Fratres, *Act.* 15. 22. itâ etiam *Timotheus* & *Apollos*.

2. Non dicitur quòd Baptizati erant à *Non-vocatis*.

Obj. *Poteſtis omnes viciſſim prophetare*, 1. Cor. 14. 31.

Sol. 1. *Omnes qui prophetæ ſunt* ; de iis enim Apoſt. ibidem locutus eſt v. 29. 32.

Obj. 1 Cor. 16. 15. *Domus Stephanæ, ad Miniſterium* ἔταξαν ἑαυτοὺς.

Sol. Non ad Munus *Paſtorale*, ſed ad levandas Sanctorum neceſſitates.

Inſt. Imò ad Munus *Paſtorale* ; addit enim [*ut vos ſubditi ſitis iſtiuſmodi, & omni cooperanti & laboranti*] erant co-operantes, nec ſubjiciendi erant cuilibet Eleemoſynas diſtribuenti.

Sol. Ordinârunt ſe ipſos ad Miniſterium in Sanctos promptitudine & deſtinatione propriâ ; & eatenùs obſequio digni, quod co-operabantur in communi Eccleſiæ Miniſterio, quamvis non munere *Paſtorali*.

Obj. Claves dantur toti Eccleſiæ, non ſolis Miniſtris ſpecialitèr vocatis. Imo Paſtores ſunt Eccleſiæ Servi, 1 *Cor.* 3. 5. 22. *Omnia veſtra ſunt* ſive *Apollos*, &c. Eccleſia enim non eſt propter Miniſterium, ſed Miniſterium propter Eccleſiam, vide *Teſt. qu.* 18. *in C.* 13. *Numer.* Dantur

Digitized by Google

Dantur Claves in Uſum & Commodum totius Eccleſiæ, ſed earum Adminiſtratio ad Domûs Dei Oeconomos ſpectat, quibus claudendi & aperiendi poteſtatem promiſit; & quamvis tota Eccleſia duos ſtatuit ex quibus unus eligendus erat in locum *Judæ*, ſorte electus tamen erat *Matthias*, non Eccleſiæ ſuffragiis; & ab Apoſtolis Ordinati erant Presbyteri, *Act.* 14. 23. Ad hunc modum alii diſtinctè rem aperiunt. *Sol.*

Vocatio Miniſtrorum mediata ad omnes & ſingulos in Eccleſiâ pertinet pro ſuo cujuſq; munere.

Magiſtratui in hanc, ſicut in res quaſdam alias Eccleſiaſticas competit Inſpectio, & de illius Adminiſtratione cura quædam extrinſeca, ut omnia juxta verbum Dei agantur, utpote qui Cuſtos ſit utriuſq; Tabulæ. 1.

A *Patronis* (apud nos) in quorum manus Parochiani, partim confuſionis vitandæ causâ, partim ob fundum (ut conjicitur) primitùs in uſum & commodum Eccleſiæ conceſſum, jus ſuum aliquouſq; tradiderunt, fit præſentatio Perſonæ.

Ad Clerum precipue Epiſpcopos pertinet Examen & Ordinatio. Clerum enim manus impoſuiſſe legimus *Timotheo*; & *Tito* Cura committebatur conſtituendi Presbyteros oppidatim. 2.

Ad Populum pertinet jus criminandi (ſi quid habeant in Candidatorum præjudicium) Suffragium inſuper & Conſenſus 1 *Tim.* 3. 7. *ſit bonæ famæ.* Non autem poteſtas Eligendi. Populo enim quandoq; indignos depoſcente, Sancitum erat *Concil. Laodic. c.* 13. *Nè turbæ permittatur Electio.* 3.

Vocatio

Vocatio eſt, vel
- *Interna* quæ ſit per Spiritum S. cum quis ad munus obeundum idoneus nec ex Ambitione, nec Avaritiâ, vel aliâ pravâ cupiditate; ſed Dei timore & Eccleſiæ ædificandæ ſtudio munus ambit.
- *Externa*, eſt Vel
  - *Immediata & Extraordinaria.* Sic S. *Paulus* ab ipſo Chriſto.
  - *Mediata & Ordinaria*, cum quis ab Eccleſiâ eligitur; tum vitæ tum Doctrinæ præmiſſo examine; *Act.* 1. 26. & 6. 6. & 13. 2, 3. & 14. 13. 1 Tim. 3. 10. *primùm probentur, tùm miniſtrent, ſintq; irreprehenſi.*

Obj. *Moſes Aaronem* cum Filiis, ad Sacerdotium vocavit, *Exod.* 40. 12.

Sol. Deus per *Moſen*: Nec *Moſes* eos in Munere illo confirmavit, quâ præfectus Politicus, ſed quâ Propheta.

Obj. *Solomon Abiatharum* depoſuit, & *Zadochum* ſubſtituit.

Sol. *Abiatharum* depoſuit propter cauſam politicam, quia cum *Adonija* & *Joabo* conſpiraverat; & amoto *Abiatharo* Lex ipſa *Zadochum* ſubſtituit, quia proximus erat ex familiâ *Eleazaris.*

Quæſt. *Eſtne Impoſitio manuum Neceſſaria?*

Reſp. Licitus eſt & laudabilis Ritus; ſive Originem habuerit merè à Divinâ Inſtitutione, ſive à Naturâ, ſive conſuetudine (ut *genuflectio, & manuum extenſio inter precandum*) Uſus ejus frequentiſſimus fuit. Et ipſa *Vocatio* ex illo ritu nomen ſortitur 2 Tim. 1. 6. *Suſcita donum quod in te eſt per impoſitionem manuum mearum.*

Num

Num Paſtores qui Reformationem Sæculo 15. *auſpicati ſunt, legitimam Ordinationem habuerint?* Quæſt.

Legitima fuit eorum Ordinatio in Eccleſiâ *Romanâ* abſterſis ſordibus, & illi poſtea Succeſſores legitimè ordinârunt. *Reſp.*

Si quis Extraordinariam jactet Vocationem, num protinùs ordinariè audiendus? Quæſt.

Non niſi ſervatis hiſce legibus; *Reſp.*

1. Si vocatio Ordinaria haberi non potuit.

2. Si Doctrina illius ad Normam Verbi Divini priùs exigatur.

3. Si ab Eccleſiâ cujus fundamenta (deficientibus legitimè ordinatis) ipſe jecerit, Ordinetur quamprimùm opportunè fieri paſſit.

Annon fides illi habenda, ſi miraculis Vocationem confirmaverit? Quæſt.

Non, *Signis* enim *veniet & Antichriſtus*, 2 Theſſ. 2. 9. *Joannes quidem nullum edidit miraculum*, Joan. 10 41. Ille autem audiendus erat quia *prædictus*; ergo *miſſus*, nec verbo Dei abſona prædicavit. *Reſp.*

2. *De Synadorum* ſive *Conciliorum Celebratione.*

Concilium hoc loco eſt *Præpoſitorum Eccleſiaſticorum, aliorumque ab Eccleſiis Deputatorum Conventus, (à Magiſtratu Chriſtiano, aut ſi ille Religionis Chriſtianæ hoſtis ſit, vel curam Eccleſiarum planè abdicaverit) communi Eccleſiarum conſenſu, indictus, ut cauſæ Eccleſiaſticæ cognoſcantur, & ex Verbo Dei decidantur* Eſtq;

Vel { *Univerſale,* / *Particulare*; & hoc vel { *Nationale,* / *Provinciale.*

Quamvis

Concilior. Utilitas.

Quamvis *Concilia* non ſint abſolutè neceſſaria, eò quòd abſque illis quandoque tum extiterunt tum floruerunt *Fides* & *Eccleſia*; nihilominùs utilia admodùm media ſunt, ad conſervationem *Veritatis* adverſus Hæreſes, ad Pacis & Ordinis confirmationem contra Schiſmata, & ad Libertatis Chriſtianæ defenſionem adverſus Ambitioſorum Tyrannidem. Hinc Apoſtoli, *Act.* 15. 6. licet Infallibiles, voluerunt Exemplo ſuo fidelibus prælucere.

Hoc modo quod ſæpè pauci non poſſunt, plures efficiunt, & majoris apud Populum autoritatis habentur Conſtitutiones Eccleſiaſticæ quæ communi Conſenſu fuerunt conditæ.

Non ſemper Fœlix fuit eorum Exitus, per accidens ex hominum vitio, unde *Greg. Nazian. ad Procop. Epiſt.* 48. dixit ſe fugere Conventum Epiſcoporum, quia nullius unquam Synodi bonum & fœlicem exitum vidiſſet, quòd tamen rei per ſe licitæ & utili obeſſe non debet; verè enim *Auguſt. Ep.* 118, dicit eorum in Eccleſiâ Dei ſaluberrimam eſſe autoritatem, cùm Chriſtus pronunciat, Mat. 18. 20. *cum duo aut tres in unum congregantur nomine ſuo, in medio eorum ſe futurum.*

Quo ſenſu quæd. Univerſalia vocata ſunt Indictio.

Quædam dicta ſunt *Univerſalia*, non quod ex toto Orbe, abſolutè, ſed quòd ex toto *Romano* Imperio (ita nuncupato, *Luc.* 2.) convocarentur.

Pontificii, jus Indictionis, Præſidentiæ, & autoritatis, ad Papam referunt, & dictatoriam quandam Poteſtatem & Infallibilitatem Conciliis inde dari volunt, iiſque ſine ulteriore examine acquieſcendum. *Bellar l.* 1. *de Concil.* c. 12, 13, 14, 19, 20. & l. 2. c. 23, &c. Orthodoxi aſſerunt Indictionis jus ad Eccleſiam pertinere, quibus enim poteſtatem Regiminis commiſit Chriſtus, iis & omnia commiſit quæ ad exercitium Regiminis illius pertinent; præcipuè autem Superioribus Eccleſiæ membris, Scil. Regibus &

Magi-

Magiſtratibus, quos Deus in nutricios conceſſit Eccleſiæ, & penes quos eſt Poteſtas coactiva, quâ ſæpe opus eſt. Sin Magiſtratus ſit à fide alienus, vel manifeſto Eccleſiæ periculo hanc opem ferre recuſet, quâ fieri poſſit ratione, occurratur huic malo. Paſtorum eſt proſpicere, nè quid Eccleſia capiat inde detrimenti. Conveniant ergò juxta Exemplum fidelium, Act. 1. & 15.

Chriſtus non commiſit Eccleſiam *Tiberio*, ſed *Petro*, aut ſaltem Apoſtolis, gubernandam. *Obj.*

Utut negligens erat Officii, ad eum ſpectabat, tum fidem amplecti, tùm Eccleſiæ proſpicere. *Sol.*

Non Ovis eſt Paſtores congregare, ſed Paſtoris Oves. Reges ſunt oves ad curam paſtorum commiſſæ. *Obj.*

Qui Ovis eſt Spiritualis, poteſt politicus Paſtor eſſe illius cujus eſt Ovis. *Sol.*

Nullus Imperator habet omnes ita ſibi ſubjectos, ut eos cogere poſſit. *Obj.*

Non neceſſaria eſt autoritas coactiva in omnes, aut ut penes unum ſit, niſi Regno ſuo proprio; nec poteſt Papa Principum aliorum ſubjectos cogere pro arbitrio. Non potuit *Gallos* in Concil. *Trident.* &c. *Sol.*

Eadem eſt ratio Præſidentiæ quæ Indictionis. Ordinem agendi ſancire, Inſolentiam coercere, & totum Conventum moderari non unius Pontificis *Romani* eſt; neque enim Lex Divina, neque Eccleſiaſtica conceſſit, neque Membra Eccleſiæ Univerſalis de tali jure in Papam conferendo conſenſerunt unquam. *Præſidentia.*

Eſt in *Conciliis* Munus { *Politicum,* / *Eccleſiaſticum.* } *Munus.*

Politicum, de iis, quæ ad Ordinem externum pertinent, quod Magiſtratui Chriſtiano deferimus.

Eccleſiaſticum, de iis quæ Spiritualia propiùs attingunt; utplurimum quæ ad fidei puritatem, & pietatis incrementum conducunt; ut ſunt Diſquiſitiones & Canonum Conſtitutiones de Symbolis, Cultûſque divini Ritibus & Circumſtantiis.

Autoritas. *Autoritas Concilii* circa Dogmata, non eſt quâ Eccleſia Verbo Dei autoritatem conciliet vel quoad ſe, vel quoad nos. Verbo enim Dei nititur Autoritas Eccleſiæ, *Eph.* 2. 20. Nec nova Fidei dogmata condere fas eſt illi, nihil enim Scripturis addendum, *Gal.* 1. 8. Nec Scripturas pro libitu interpretari licet; 1 *Pet.* 4. 11. 2 *Pet.* 1. 20. nec tanquam Judex controverſias, decidere. Omnes enim Doctrinæ ad Scripturas exploranda ſunt, *Iſa.* 8. 20. *Joan.* 5. 39. 1 *Theſ.* 5. 20, 21. 1 *Joan.* 4. 1. *Rom.* 3: 2, &c.

Habet vero poteſtatem circa dogmata ſubalternam & à Deo dependentem, *Heb.* 13. 17. Conſcientiæ jugum imponere nequit ad quævis dogmata credenda; quoad Ordinem verò externum & pacem conſervandam, conſtituere poteſt hæc vel illa, quæ non publicè impugnanda ſunt; nec alia contraria ſpargenda aut propugnanda, quæ Conſtitutiones quouſque valeant, mox patebit.

2. Quoad Symbola & Confeſſiones publicas, præter Judicium illud Diſcretionis quod ſingulis fidelibus convenit, atque Supremum & Infallibile Sp. Sancti in Scripturis, eſt Judicium publicum Eccleſiæ ſive Concilii, autoritate quadam munitum, ſed ſubalternâ, & verbo Dei adſtrictâ. Sunt ergò Symbola Conciliis firmata magnæ autoritatis, ſed infra autoritatem Scripturæ. Dicuntur Normæ ſive regulæ fidei, ſed regulatæ, Reviſioni

Reviſioni & Examini obnoxiæ, & obligant fideles in foro Communionis externæ, 1 *Cor.* 14. 32. quarum Sententia privato Judicio eſt eo uſque anteponenda, ut quiſque ob diſſenſum, Excommunicatus ſecedat potiùs, ſi judicio illius non poſſit acquieſcere, quam Eccleſiæ pacem conturbet.

Eccleſiæ (& proinde Conciliis) poteſtas eſt condendi Canones & conſtitutiones ad εὐταξίαν. 3.
Huc pertinent Canones de Tempore, Loco, Formâ, & Normâ precum, Concionum, Adminiſtrationis Sacramentorum, Jejuniorum, Eleemoſynarum, &c.

Unicus eſt *Legiſlator*, Chriſtus, *Jac.* 4. 12. *Tu quis es qui judicas proximum*, &, *Ipſum audite*, Matt. 17. 5. *Obj.*

Conſtitutiones hujuſmodi, ſi forte Leges appellentur, latè tunc ſumitur Legis Vocabulum. Unus eſt Legiſlator *ſummus*, multi *ſub alterni.* Hi conſtitutiones decernunt, non de Subſtantiâ Cultus, ſed de Circumſtantiis, & in ordine ad εὐταξίαν, 1 *Cor.* 14. ult. *Sol.*

Non obligant Conſcientiam extra caſum ſcandali & Contemptûs, non directè propter ſe, ſed propter Dominum qui Obedientiam Præpoſitis præſtandam exigit, *Heb.* 13. 17.

Nihil Verbo Dei addendum, Deut. 12. ult. & 4. 2. *Obj.*

Nihil quod ſit cultus corruptivum, aut pars Cultûs; ſed quod cultum inſtitutum à depravatione ſecurum præſtet. *Sol.*

Apoſt. non vult fideles teneri decretis hominum, Col. 2. 20. *Obj.*

Apoſt. ibi loquitur de Decretis Legis *Moſaicæ* de non tangendo Cadavere, non guſtando cibo impuro, &c. non de ritibus Cultum externum & ſtatum Eccleſiæ defendentibus. *Sol.*

Obj. Matt. 15. 9. *Fruſtrà Chriſtum colunt qui Doctrinas docent mandata hominum.*

Sol. i. e. qui *mandata hominum* imponunt Chriſtianorum Mentibus credenda, ac ſi eſſent *fidei Capita*; vel conſcientiis obſervanda, ac ſi eſſent ipſe cultus divinus: hoc enim eſt docere doctrinas.

Obj. Is ſolus Autoritatem habet in Controverſiis Fidei, cujus eſt determinare quid ſit, vel non ſit credendum; ſed ſolius Dei eſt determinare, &c. Non hominum eſt, fidei alicujus dominari, 2 *Cor.* 1. 24.

Sol. Eccleſia habet autoritatem miniſterialem proponendi & exponendi populo doctrinam; quæ quidem Doctrina, ſi Verbo Dei firmata, Conſcientiam obſtringit; non Eccleſia.

Quæſt. *Num errare poſſint Concilia?*

Reſp. Paſtores ſinguli fallibiles ſunt, & quod ex Membris fallibilibus conſtat, id ipſum non eſt infallibile.

Nec Præſentia Chriſti reddit eos magis infallibiles, quam reddit eos fideles eſſe, & nomine ſuo congregatos.

Notum eſt, varia Concilia graviter erraſſe, *Ariminenſe*, & *Seleucienſe* Arianiſmum ſtabilierunt ſub *Conſtantio*. *Epheſinum* Secundum, λῃστρικὸν dictum, Hæreſin *Eutychianam* ſub *Theodoſ.* Secundo.

Quædam pugnantia condiderunt decreta. *Romanum* ſub *Stephano Formoſi* decreta reſcidit; & *Romanum* ſub *Joanne* 9. *Stephani* acta infregit, & *Formoſi* reſtituit.

Nicænum Secundum Cultum Imaginum decrevit. *Conſtantinop.* & *Francofur.* damnavit.

Conſtantienſe & *Baſileenſe* Papam Concilio ſubjecerunt; *Later.* & *Trident.* eum evexerunt.

Excep. Errare poſſunt niſi decreta eorum à Pontifice, *Rom.* coufirmentur.

Quis

Quis verè credat Pontifices infallibilitatem iis conferre, cum queritur *Baronius* ad annum 900 & *Genebr. l.* 4. *Chron.* quod per annos fere 150 Pontifices circiter 50 fuiſſe Apoſtaticos potius quam Apoſtolicos. *Liberius Arianiſmo* ſubſcripſit; *Honorius* 1 *Monothelisſmum* tuebatur, & proinde Concilio Sexto generali damnatus erat. *Sol.*

Marcellinus 1. Idolis ſacrificavit; *Zoſymus Pelagianiſmo* infectus erat, *Joannes* 13. *Immortalitatem Animæ* & *Carnis Reſurrectionem* negavit, & à Concil. *Conſtantienſi* damnatus erat.

Greg. 7. & *Bonifac.* 8. Supremam poteſtatem in Principes debitam ſibi vendicarunt, &c.

Non errant Pontifices, *Rom.* quoties è Cathedrâ decernunt, ſive quâ Pontifices, quamvis errare poſſint, quâ privati Paſtores. *Obj.*

Quamvis eadem Perſona in diverſo ſtatu & Officio (ut quâ Magiſtratus, & quâ Paterfamiliâs) agat diverſimode, Papa tamen ejuſdem Doctoris Officio fungens, & juxta eandem Doctrinæ normam, non poteſt eſſe Orthodoxus & Hæreticus, quâ Pontifex, infallibilis & ſalvari, quâ privatus, Hæreticus & damnari, proculdubiò proſpexiſſe debuit, ne, quâ privatus, quidquam in damnum Eccleſiæ ſtatuerit. *Sol.*

Errare poteſt Papa in Quæſtionibus *Facti*, non *Juris*, aut de Fide. *Obj.*

Determinatio Quæſtionis de Fide, ſæpe pendet à quæſtione de *Facto*, & applicatione locorum Scripturæ, qui de *Facto* pronunciant. Sic qui errat de *Creatione Mundi*, de *Incarnatione* & *Reſurrectione Chriſti*, errat in Quæſtione de *Facto*; inde autem errabit in Quæſtione de *Fide*, Idque maximi momenti. *Sol.*

Errare poteſt in iis quæ pertinent ad Mores, non in iis quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria; atque alia eſt *Infallibilitas Dogmatica* in docendo, *Obj.*

alia *Practica* in agendo. *Petrus* in *fide* Infallibilis erravit in *Praxi.*

Sol. Non hic agitur de *Impeccabilitate in Actionibus*, quæ ne quidem Apoſtolis conceſſa fuit, ſed de *Dogmatibus Fidei*, & *Præceptis morum ſanciendis.*

3. De Uſu Clavium, Quæ duæ ſunt, { *Verbi*, *Diſciplinæ*.

I. *Clavis Verbi*, ſive *Sententia Evangelii*, Singulis Eccleſiæ Paſtoribus commiſſa eſt, & verſatur circa, peccata in genere; habetq;

Duas facultates, { *Solventem*, *Ligantem*.

{ *Abſolutio* eſt, quâ Peccatoribus credentibus in Chriſtum, & reſipiſcentibus annunciatur Remiſſio peccati.
Ligatio eſt, quâ Peccatoribus non credentibus & reſipiſcentibus, aut Hypocritis, denunciatur Retentio peccatorum, & proinde Dei ira, & Damnatio, niſi reſipiſcant. }

II. *Clavis Diſciplinæ* verſatur circa Specialia peccata, quæ cum publico Eccleſiæ Scandalo patrantur. Hæc quoq;

Duas facultates habet { *Ligantem*, *Solventem*.

Ligationis gradus ſunt { *Objurgatio*. *Excommunicatio*. } (Ita diſtinctionem formant nonnulli)

1. *Objurgatio* (quæ levioris cenſuræ potiùs quam Ligationis *ſtrictè* ſic dictæ, appellationem meretur) eſt Peccatoris ſive publicè ſive privatim peccantis coram Eccleſiæ quibuſdam Præpoſitis, *Reprehenſio*, & ad Reſipiſcentiam *Exhortatio*, &, (niſi ratio ſcandali poſtulet) poſt fruſtratas admonitiones privatas, denuncianda eſt Conſiſtorialis illa *Objurgatio* Matth. 18. 16; 17. *Vide de Excom. graviore.*

2. *Ex-*

2\. *Excommunicatio* eſt facinoroſi, aut Hæretici contumacis è Societate fidelium *Ejectio*, autoritate Chriſti ab Eccleſiâ, facta, ut pudefactus reſipiſcat, & ſcandala caveantur. Eſtq;

Vel { *Levior,* / *Gravior.*

De leviore Excommunicatione.

Levior, ſcil. *Abſtentio à S. Cœnâ.* hæc valdè expedit, ne flagitioſi inter Chriſtianos numerentur, nè Cœna prophanetur, nè Boni corrumpantur, *modicum* enim *fermentum totam maſſam inficit,* 1 Cor. 5. 6. haud tamen probanda eſt Immodica Veterum Auſteritas, quâ ſolennem pœnitentiam nunc in quartum, nunc in ſeptimum annum, nunc per totam vitam indicerent; unde vel magna Hypocriſis vel deſperatio ſecutura erat.

Excommunicatio locum habuit in Vet. T. *Levitic.* 5. 6, 7, 10. *Ezek.* 44. 9. *Lev.* 13. 2. huc ſpectant quæ de Exciſione animarum è populo, multoties habetur. In *Novo* etiam, non enim *Sacra danda ſunt Canibus.*

Obj. Verbum omnibus an-nunciandum eſt, etiam prophanis, quid ni & S. Cœna iis adminiſtranda?

Sol. Verbum eſt medium directum Converſionis. Sacramenta autem, cum Fœderis Sigilla ſint, non niſi fœderatis adminiſtranda ſunt; unde nec Baptizandi ſunt, niſi qui in fœdere eſſe de jure præſumuntur, aut ad fœdus jus habere.

Obj. 1. Cor. 10. 3. *Omnes de eodem Spirituali cibo comederunt.*

Sol. Cibus ille non tantum Sacramentalis erat, ſed & corporalis & neceſſarius; dein illos punivit Deus.

Obj. Omnes circumciſi poterant Paſcha cum aliis celebrare; ergo poſſunt S. Cœnâ communicare.

Sol. Impuris præcipiebatur abſtinere à Paſchate.

Obj. Multi in Eccleſiâ *Corinthiacâ* erant Ebrioſi, Scortatores, Idololatræ, non autem mandat Apoſtolus ut arcerentur.

Sol. Etiamſi non ubiq; illud mandat; mandavit tamen 1 *Cor.* 5, 7. *Expurgate vetus fermentum.*

Obj. 1 Cor. 11. 28. *Quiſq; probet ſeipſum, ita de pane illo edat.*

Sol. *Subordinata non pugnant; probet ſe ipſum*; ſed ſi pateant aliis ſcelera cujuſdam facinoroſi, ab aliis accuſandus & arcendus, donec reſipiſcat, 1 *Cor.* 5. 7.

Obj. Ipſe Chriſtus Judam non excluſit.

Sol. *Vide retro. c.* 10. *de S. Cœna; & C. hujus* §. *De poteſtate Eccleſiæ.*

Obj. Zizania relinquenda ſunt ad Meſſem.

Sol. Ibi agitur de Hypocritis occultis, quos haud facile erat à fidelibus ſecernere; Aliter Correctio Vitiorum nec Magiſtratui nec Eccleſiæ prohibetur.

Obj. Baptiſta non Sadducæos aut Phariſæos ad Baptiſmum accedentes rejecit.

Sol. Acceſſerunt cum *confeſſione peccatorum*, Matth. 3. 6.

Obj. 2 *Theſſ.* 3. 15. Apoſt. vult *immorigerum monendum ut fratrem*, (etiam dum excluſus ſit è ſocietate Eccleſiaſticâ) non pro inimico habendum.

Sol. Excommunicati dici poſſunt *Fratres*, partim ob profeſſionem, & quòd fuerant *Fratres*, partim ob Spem, quòd denuò in *Fratrum ſocietatem redeant*, partim ob Dilectionem & Studium eos reſtaurandi.

Obj. Mandata Eccleſiæ ſunt Humana; ſed qui liberati ſunt à Chriſto non debent ſub jugum iſtud Servitutis reduci.

Sol. Mandata Eccleſiæ, liberatos à Chriſto non Obligant per ſe conſiderata abſtractè à materiâ eorum, ſed propter Dominum, qui dixit, *Obedite Præpoſitis*; Heb. 13. 17. Alia eſt *Libertas*

Chriſti-

Chriſtiana, alia *Licentia ad Leges*, vel politicas vel Eccleſiaſticas, contemnendas, quando divinis non adverſantur.

Ligatio & *Solutio*, ſive Claves quas Chriſtus Eccleſiæ credidit notant retentionem & Remiſſionem Peccatorum per prædicationem Verbi, non ulteriorem Diſciplinam. *Obj.*

Unius poſitio non eſt excluſio alterius. Illa generalis eſt, quâ promittitur venia, aut denunciatur pœna; Hæc Specialis, quâ Reſipiſcentibus aut impœnientibus applicantur. *Sol.*

De Excommunicatione Graviore.

Excommunicatio Major dicitur, quandoq; *Traditio Satanæ*, appellatione non prorſus incongruâ. Qui enim Eccleſiâ privantur, Satanæ Tyrannidi aliquouſq; ſunt obnoxii.

S. *Paulus* inceſtuoſum excommunicavit, ut Spiritus ſalvus fieret; ergò, non ut in poteſtatem Satanæ abiret. *Obj.*

Excommunicatio non tradit quenquam Satanæ, ut ſub ejus Tyrannide periret, ſed ut conditionis ſuæ ſenſu reſipiſcat; eodem redeunt locutiones iſtæ; *tollere de medio*; & *Virgâ Apoſtolicâ corrigere.* *Sol.*

Non in hominum poteſtate eſt, quenquam Satanæ, vel ad tempus, tradere. *Obj.*

Non autoritate propriâ, ſed denunciare Sententiam Judicis, idq; Chriſti nomine. *Sol.*

In Excommunicando, hujuſmodi Leges obſervandæ ſunt;

Præmittendæ ſunt Admonitiones, niſi facti ratio cenſuræ ſive pœnæ dilationem non permiſerit. Matth. 18. 17. *Si Eccleſiam non audiverit*, &c. Tit. 3. 10. *Hæreticum poſt primam & alteram admonitionem devita.* I.

S. *Paulus* nullam præmiſit admonitionem 1 *Cor.* 5. 7. ſed ſimplicitèr mandat *Inceſtuoſum* excommunicari. *Obj.*

1. De-

Sol. 1. Delictum erat, à quo, licet non iterato, Scandalum dabatur, & non niſi cenſurâ removendum;

2. Alii loci conferendi ſunt 2 *Cor.* 2. 6, 7, 8. vult eum *abſolvi poſt increpationem à multis factam.*

II. *Non quâvis de causâ* decernenda eſt Excommunicatio, ſcil. non pro pecuniolæ debito, nec leviori quopiam delicto, imò non pro graviore occulto, ſed quoties Scandalum aut Contumacia pœnitentiam poſtulet apertam.

III. *Perſona peccans* ſolummodò excommunicanda eſt, non tota familia propter Patris-familiâs, aut Regnum propter Regis Delictum.

Obj. Tota familia *Dathanis*, atq; *Abirami* pœnas luerunt utriuſq; Principis.

Sol. Iſta pœna erat Politica, & Omnes erant Mortis rei coram Deo, cujus mandato perierunt; Nec à Caſtris eorum, prout moniti erant, diſceſſerunt; ſub Evangelio quiſq; ſuum onus portare tenetur.

IV. *Solvendus eſt Delinquens* quam primum de reſipiſcentiâ illius conſtare poſſit, 2 *Cor.* 2. 6, 7, 8.

Solutio (hujus loci) eſt cum objurgatus ſub ſpe reſipiſcentiæ dimittitur, aut Excommunicatus, ſi reſipiſcentiam teſtetur, in Communionem Eccleſiæ recipitur.

Quæſt. *Quouſq; Extendit Excommunicatio*, ſive *Quænam illius Vis & Efficacia?*

Reſp. Alitèr reſpicit *Communionem Politicam*, aliter *Eccleſiaſticam*.

I. Quoad *Politicam*, Amicitia non neceſſaria, & quæ Delictorum applauſum vel approbationem indicant (qualia menſalis familiaritas 1 *Cor.* 5. 11 & fauſta iis in impietate precari, 2 *Joan.* 11.) prohibetur. Non tamen deneganda ſunt Excommunicatis aut Principibus, aut Parentibus

tibus aut Conjugatis Officia ex relatione debita. *Ligatio Eccleſiaſtica* non ſolvit aut naturalia aut Moralia vincula. S. *Paulus* noluit *fidelem* ab *infideli* Conjuge ſeparari, 1 Cor. 7. 12.

Ejectus erat *Uzziah* à Sacerdotibus 2 *Chron.* 26. 20. *Obj.*

Ipſa Lex Dei eum coercebat; quia Leproſi non erant inter alios converſaturi; interim Regiâ Poteſtate per totam vitam potius eſt; etiamſi Filius Regi adminiſtravit 2 *Chron.* 26. 21. *Sol.*

Athalia 2 Reg. 11. 15. à *Jeboiadâ* fuit ejecta. *Obj.*

Regni erat Uſurpatrix; *Joaſh* verus Hæres. Neq; Excommunicatione Eccleſiaſticâ, ſed Armis legitimis Regi auxiliatus eſt *Jeboiada.* *Sol.*

II. Quoad *Communionem Eccleſiaſticam*, Excommunicatio notat realem Separationem à Communione *Externâ* Eccleſiæ, & uſu Sacramentorum. Sin Communionem *Internam* ſpectemus, non idem ſentiunt Theologi. Quidam exiſtimant Excommunicatum non inde ſeparatum eſſe à corpore Chriſti *Myſtico*, ſimul cum Separatione à Congregatione *Externâ* demeritum illius declarari exiſtimant, ſcil. quod ejici mereatur ab illo Corpore, juxta Verba S. *Pauli* 1 Cor. 6. 9, 10. *non intrabunt regnum Cælorum*: ac proinde vero Gratiæ divinæ ſenſu in hâc vitâ privari, & Salutis æternæ in alterâ privandum eſſe niſi reſipuerit.

Alii dicunt Excommunicatum non mereri modò, ſed actu, & de præſenti ſeparatum eſſe à Corpore Chriſti *Myſtico*, & de futuro paritèr niſi reſipuerit, juxta verba Chriſti, *quicquid ligaveritis in terrâ*, &c.

Tum deſperandum eſſet de ſalute Excommunicati, ſi fortè moriatur antequam potuerit Eccleſiæ ſatisfacere, ut ab eâ ſolvatur. *Obj.*

Si reſipiſcat, non deſperandum eſt de Salute illius, etiamſi pœnitentiam non potuit Eccleſiæ notam facere. Eccleſia enim neminem ligat *Sol.*

niſi

niſi donec reſipuerit; aliud eſt, quempiam extra civitatem abſq; omni Spe reſtitutionis ejici; aliud, in ipſâ civitate vinciri, ſed, niſi propriâ culpâ, relaxandum.

Obj. Fieri poteſt, ut, qui ab æterno præcognitus eſt ſalvatum iri, in atrocia peccata incidat, & excommunicetur; non tamen exſcindi poteſt à Communione internâ Eccleſiæ, & à Chriſto.

Sol. Tum præcognita etiam eſſet ejuſdem Reſipiſcentia & Theologi qui docent *Fidelem totalitèr*, non tamen *finalitèr* poſſe à Gratiâ excidere, aſſerunt fidelem atrocitèr delinquentem ejici poſſe ab internâ Eccleſiæ Societate, & Reſipiſcentiâ denuò reſtitutum iri.

Qui fidelem, quamvis atrocitèr peccantem, à Gratiâ excidere poſſe negant, docent Excommunicatum non modò privilegiis fidelium externis impræſentiarùm deprivari, ſed virtute iſtius cenſuræ, rectam, in Reſipiſcentiam, viam ſtratam fore, eò quòd inde peccatoris animus nonnihil reprimitur, atq; anxiis cogitationibus æſtuare, incipiet, ac hæſitare, ne favore Dei paritèr ac hominum excideret; & num favor ille Dei (ni reſipiſcat illicò) in iram & furorem abeat, haud facilè illi conſtabit. Erit enim quaſi Filius è familiâ Patris propter inobedientiam excluſus, quamvis nondum exhæredatus.

Adminiſtratio Politicâ Eccleſiæ,

Eſt quâ Magiſtratus Chriſtianus ceu Cuſtos utriuſq; Tabulæ, Cultum Dei per Miniſterium Eccleſiaſticum rectè conſtituat, & depravatum reformet, ab Hoſtibus defendat, Hæreticos comprimat, Seductores, alioſq; veræ Religionis progreſſum quomodocunq; impedientes, quantum in ipſo, coerceat, Reditus Miniſtrorum illis juſtè

juſtè ſolvi curet, & ubi deſint honeſta ſtipendia conſtituat, eos ad Officia incitet, accendat, & (ſi res poſtulabit) cogat; Conventus Synodicos tueatur, Externam εὐταξίαν inibi conſervet, &, ſiqua alia facultas ei fuerit, quâ ſinceræ Religioni ſubveniat non detrectet.

Circa *Regimen* Eccleſiæ *Politicum* peccant in

- *Exceſſu*, qui nullam Eccleſiæ Miniſtris poteſtatem competere cenſent, niſi quæ derivetur à Magiſtratu.
- *Defectu*, qui ab omni rerum Eccleſiaſticarum curâ Magiſtratum removent, vel ſi *Defenſionis* curam illi tribuant, nihil tamen Cognitionis vel Judicii circa Religionem, ſed ſolam Executionem Decretorum Eccleſiaſticorum illi relinquunt.

Orthodoxi ſtatuunt, Ordini tum Eccleſiaſtico tum Politico ſuas partes relinqui. *Magiſtratui Politico* commiſſa eſt Legis Divinæ cuſtodia *Deut.* 17. 18. *Joſ.* 1. 8. 2 *Reg.* 11. 17. *Pſ.* 2. 10, 11. 1 *Tim.* 2. 2. Vocantur Eccleſiæ *Nutritii* Iſa. 49. 23. & 60. 10. non tantum ad procuranda temporalia, ſed & Spiritualia. Religionis enim & Sacrorum cura ad Salutem Reip. pertinet; ut teſtantur etiam Ethnici; *Ariſt. Plato, Cicero.* vide *Turret. de Conc.* Exempla habemus *Moſis*, Deut. 33. 4. *Joſhuæ*, qui circumcidi populum mandavit; *Davidis*, qui Arcam ad locum debitum deduci curavit; *Hezekiæ, Joſiæ, Jehu*, &c. *Conſtantini, Theodoſii*, aliorumque; & cur Latrocinia puniuntur, & Sacrilegia permittuntur, ait *Auguſt.*?

Num Pontificii rectè doceant poteſtatem Eccleſiaſtic. ſuperiorem eſſe, & poſſe Civili, tanquam inferiori, imperare? Quæſt.

Negant *Reformati.* *Reſp.*

Fœlicitas

Obj. Fœlicitas temporalis, quæ finis eſt Poteſtatis Sæcularis, ſubordinata eſt fœlicitati Spirituali.

Sol. Poteſtas Eccleſiaſtica, utut ſuperior dignitate Sacrâ, non tamen Imperio, & quoad Civilem
1. & Externam Subjectionem.

Medicus eſt Sutore dignior, non autem, quâ talis, ei imperat; Nec quilibet Presbyter ſuper Imperatorem.

2. Fœlicitas temporalis non ſubordinatur Spirituali abſolutè; poſſunt enim pacatè vitam civilem agere, qui non uniuntur Chriſto.

Obj. Magiſtratus in Eccleſiam recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, ut ſceptra ſua ſubjiciant Chriſto; ſin hæreſin foveant, & Eccleſiam corrumpere vel ſubvertere ſatagant, ex pacto Regiam Autoritatem amittunt.

Sol. Pacto tenentur Chriſto, Cujus eſt in eos animadvertere, Miniſtrorum Eccleſiæ non eſt pœnas ab iis exigere.

Obj. Si non Papæ, ſaltem Clero dicitur, *Paſce oves*; ergo eorum eſt arcere lupos; Ergo, ſi Princeps fiat Hæreticus, Paſtorum eſt eum arcere, & jubere populum ne eum ſequantur.

Sol. Ipſe *Petrus* jubet obedire Regibus, etiam *Infidelibus*, 1 Pet. 2. 13.

Obj *Ambroſius Theodoſium* excommunicavit, & coegit ut Legem ferret, nè Sententiæ de cæde, niſi poſt 30 dies, ad vindictam valeant.

Sol. Etiamſi Paſtores à Sacris quodammodò Reges
1. detineant, nequaquam tamen ſubditos à juramento fidelitatis abſolvere poſſunt, & Reges Imperio ſuo privare.

2. Ad participationem Sacrorum *Theodoſium Ambroſius* non admiſit, donec pœnitentia de ſuo peccato pateſceret, certè Imperio ſuo non privavit, nec coegit ut Legem illam ferret, ſed ſuaſit ut ferret; unde pœnitentiam ſuam apertiùs teſtatus eſt.

Poteſtas

Poteſtas Eccleſiaſtica debet eſſe ſibi ſufficiens in ordine ad finem ſuum; ergò autoritatem habere ſupra Perſonas Sæculares, & cavere ne Principes impunè Religionem evertant. *Obj.*

Salus Eccleſiæ non nititur Remedio merè humano, Etiamſi tum Magiſtratus tum Paſtores Hæretici ſint, ſed Divinâ protectione. *Sol.*

Caput XIII.

Sectio I.

De Vocatione paſſivè ſumpta, quæ Specialem Effectum aſſecuta eſt.

HActenus *de Communi Effectu Vocationis paſſivè ſumptæ*, ſcil. de *Acceſſione ad Externam Communionem Eccleſiæ*; Agendum nunc De *Speciali* illius *Effectu*, Qui eſt *Acceſſio ad Unionem & Communionem non fictam cum Chriſto Capite, & Corporis illius Myſtici Membris univerſis.*

Variis, juxta multiplices illius reſpectus, inſignitur appellationibus, dicitur interdum *Reſipiſcentia, Converſio, Renovatio, Nova Creatura, Regeneratio. Tractio, Depoſitio peccati, Receſſio à Malo, Mali abnegatio*, &c. Satis autem erit ad Generalem hujus Mutationis noſtræ notitiam, ſi brevem harum cujuſque Metaphorarum deſcriptionem dedero;

dedero; haud quidquam enim notatu dignum ſupererit quod à communi earum, naturâ nempe à Vocatione transferri, & ad unamquamque applicari non facilè poſſit.

Appellatur *Vocatio* paſſivè *ſumpta*, quatenùs eſt Obſequium, quo Deo vocanti annuimus;

Converſio, quatenus ab Averſione à Voluntate Dei, Reverſio inde notatur; Hujus partes ſunt

- *Mortificatio*, quæ eſt peccati enervatio, quâ illud ſenſim debilitatum tandem aboletur; dicitur etiam *Mortificatio Carnis*, ſeu *Veteris Adami*, & *Peccati fuga.*
- *Vivificatio*, Quæ eſt inchoata melioris indolis, ſive Imaginis Divinæ Inſtauratio, *Col.* 3. 10.

Reſipiſcentia, Græcè *μετάνοια*, quatenus innuit poſt *factum ſapere*, &

Pænitentia, Græcè *μεταμέλεια*, quæ propriè dolorem *propter peccatum admiſſum* denotat; (à *μέλει curæ eſt*) ideoque haud integram Reſipiſcentiæ naturam complectitur; eſt vel

1. - *Legalis*, nempè Dolor, vel ex ſenſu pœnæ inflictæ, vel metu infligendæ, peccatorem excrucians, & quandoque in deſperationis barathrum præcipitans, *Matth.* 27. 5. unde appellari ſolet *Dolor Exitialis*, & *dolor mundi*, 2 *Cor.* 7. 10.
   - *Evangelica*, eſtque Dolor propter Offenſum Deum, non ſine ſpe veniæ ex promiſſis fide ſibi applicatis ortâ.
2. - *Privata* unius fidelis eſt, cum delictum aliquod in Deum Deo agnoſcit, deflet, & illius iram obnixè deprecatur; & ſi offendit Proximum, ei cum Satisfactione legitimâ reconciliatur.
   - *Publica*, cum Peccator coram Eccleſiâ in

in publicis ſcandalis, vel coram fratribus offenſis, peccatum agnoſcit, & ſatisfacit, adeò ut cum iis reconcilietur.

Renovatio, quatenus amiſſa Juſtitia tum reparari incipit, &

Nova Creatura, eo quod Naturæ vires ad illius productionem minimè ſufficiunt.

Regeneratio, quâ ex Verbo Dei tanquam ex Semine incorruptibili Deo renati ſumus.

Tractio inſuper, *Inſtitutio Divina, Depoſitio peccati, Receſſio à Malo, & ejus Abnegatio. Tranſitus à Morte ad Vitam*, 1 Joan. 3. 14. &c. quid ſint ex ipſis nominibus ſatis patet.

Neceſſitas Vocationis & *Gratiæ Divinæ*, in ordine ad hanc Mutationem, ſive Vocationem paſſive ſumptam, manifeſta eſt ex corrupto hominis Statu, & inveteratâ peccati conſuetudine; unde fieri nequit, ut homo lapſus ſine Gratiâ prævenіente, ad bene agendum animum applicet, aut in bono ſine Aſſiſtente progrediatur, *Phil.* 2. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona ſua voluntate*; eâ enim cœcitate naturaliter laborat, ut ſine Deo eſſe dicatur, *Eph.* 2. 12. Dum multos colebant Gentes, *Verum Deum* neſciverunt; aut, ſi qui exiguam *Veri Dei* notitiam habuerunt, eam in injuſtitiâ retinebant, nec in cæteris Religionis Capitibus multò Saniores, ſed eâ Voluntatis malitiâ abrepti erant, ut ab Apoſtolo dicerentur *in ſenſum reprobum traditi*, Rom. 1. 28. *& hoſtes per opera mala*, Col. 1. 21. *Gratiæ Neceſſitas*

Quænam autem, aut qualis ſit illa Dei Gratia, ſive Actio Spiritûs S. quâ peccatores ad eum vocantur & convertuntur, haud levis eſt inter Theologos diſceptandi materia. Quod verſimillimum eſt ex Poſitionibus hiſce ſequentibus colligere liceat. *Converſionis qualitas.*

A ratione abeſt Hypotheſis (uti vocatur) *Cameroniana.*

Poſitio 1. *Camero*, & qui eum ſequuntur, ut *Teſtardus* & *Amyraldus*, docent Deum Verbo & Spiritu ſuo mentem (quæ veritati ſibi clarè propoſitæ neceſſariò aſſentitur) illuminare, & voluntatem Mentis ductum neceſſariò ſequi. Et quamvis negent nonnulli Intellectum neceſſariò aſſentiri Verbo prædicato, quia in nullis ſub verbi præconio degentibus inveniretur affectata ignorantia, ſi ſemper illi aſſentirentur. Iis tamen regerunt, quod etiamſi homo poſſit vel per negligentiam vel per nequitiam voluntatis, illuminationem (dum ſubluſtris adhuc, & tantum luceſcens ſit) contemnere, aut non admittere (unde Ignorantia affectata ortum habeat) fieri tamen non poteſt, ut Mens veritati clarè & perſpicuè à Spiritu S. propoſitæ, & inſinuatæ (niſi ab attentione & advertentiâ ceſſans) non aſſentiatur, & tanquam ab Objecto ſuo adæquato determinetur.

Nihilominus hæc *Cameroniana* Hypotheſis rejicienda eſt, quia

1. Sequeretur, *Actiones omnes humanas oriri à Neceſſitate irreſiſtibili*, nec quoad ulla rerum genera nobis ineſſe Libertatem Indifferentiæ.

2. *Defectus Illuminationis*, qui à nullo antecedente demerito, accidiſſet, ſtatueretur cauſa lapſus *Adami*, ac proinde homo fuiſſet cæcitate punitus, priuſquam peccâſſet, & conſequenter in peccato ſuo excuſabilis.

Poſitio 2. In Converſione Peccatoris non neganda eſt Vis Gratiæ ſupernaturalis, ab illuminatione Mentis diſtincta, quæ Voluntatem afficiat. Originalis

ginalis enim Labes & Depravatio Naturæ, Voluntatem non minùs quàm Intellectum vitiavit, unde Sp. S. Gratia ad Voluntatem renovandam æque, ac ad mentem illuminandam eſt neceſſaria.

S. Scripturis non neganda eſt ſua Efficientia in converſione peccatoris, quaſi Litera mortua eſſet (ut ſomniàrunt *Weigelius* aliique Enthuſiaſtæ) vis enim Scripturarum ſenſibus inhærens non amittitur per Scriptionem, aut pronunciationem. Quæramus ab iis, num Sermo (quem fingunt) Internus ſit Litera mortua? Si dicunt, cum nec ſcribi nec pronunciari poſſe aſſerunt; ſimul fatentur eum nullos veros & intellgibiles ſenſus continere, & proinde rationis eſſe expertem, ſtultum & inutilem. *Poſitio 3.*

Apoc. 2. 17: *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* **Obj.**

Datus eſt iſte *calculus* iis, qui vocationi jam paruerunt, non ut vocationi fides adhibeatur; ideoque non ad rem. *Sol.*

Gratiæ Efficacia non eſt Moralis tantùm, quæ ſe exerit merè proponendo, & invitando, ſive ſuadendo per argumenta & motiva, ut ab æquo bonoque ducta; ſed Phyſica (uti vocant) & realis, quæ tamen ordinariè habet operationem Verbi ſibi ſubordinatam; hinc Verbum ſuadere, Spiritus perſuadere congruè dici poſſit, nam Verbi præconium eſt Miniſterium Spiritus, 2 *Cor.* 3. 8. *Poſitio 4. Vide Poſ. 6. &c.*

Converſio Peccatoris planè Dei Gratiæ tribuenda eſt. Ex illius enim Gratiâ eſt, quòd Media Salutaria parantur, & offeruntur; quòd auxilium ſufficiens ad ea acceptanda & ad uſus optimos applicanda præbetur; imò Sp. S. Conſilio ſuo adeſt, ſuadet, urget, inſtat, trahit, quam- *Poſitio 5.*

quamdiù Voluntas ſequi non deſiſtit; pravitatem & proterviam naturæ ſive Carnis inimicitiam coercet, & Converſionem perficit, ſi non ab ipſo peccatore pertinaciter oppugnetur.

Poſitio 6. Per *Gratiam ſufficientem*, quam Convertendis Deus largitus eſt, intelligimus, non modò objectivam illam Gratiam, quæ in eo conſiſtit; quod ſalus homini poſſibilis declaratur per Chriſtum Redemptorem, & quâ peccatores invitentur ad Reſipiſcentiam, ſive per Evangelii præconium, ſive per Opera Creationis & Providentiæ; ſed *ſubjectivam*, quæ labefactatas peccatoris facultates eatenus renovat & corroborat, ut Fœderis Evangelici reſtipulatio, utcunque Naturæ viribus aliàs impoſſibilis, Gratiâ tamen illâ inſtauratis, adæquata redditur, niſi per ipſum Peccatorem ſtet quo minùs id fiat. Gratia inſuper Peccatorem intus diſponit ad aſſentiendum Fœderis conditionibus, & ad eas præſtandas incitat & urget, nec perit aliquis, quòd Gratia ad ſalutem ſufficiens non parata ſit, ſed quòd Peccator Gratiæ renitatur; eamque ſibimet (quantum in ſe) inanem reddat.

Quænam Gratia illa *Subjectiva* ſit, ſive *Virtus* quædam præconium Evangelii, aliave media ſalutaria concomitans, ſive arcana Spiritûs S. Efficacia mentem immediatè tangens, litigent, qui velint; modò agnoſcant, quòd ſit Gratia Dei, & quòd ſit Sufficiens; etiamſi quæ eum pertinaciter renitentibus non perpetuò contendet, aut reſiſtendi facultatem ab eâ prorſùs auferet.

Poſitio 7. Lutherani quidem *Diſtinctionem Gratiæ* in *Sufficientem* & *Efficacem* non admittunt, eâ autem ratione inducti, quòd dum una eademq; Gratia ſit; quæ in Credentibus operatur, & ab Incre-

Incredulis rejicitur, *Efficacis* nomine haud dignam ſentiunt, quæ ab Incredulis repelli & conculcari poteſt; intereà verò idem aſſerunt quod alii per Gratiam *Sufficientem* ſignificatum volunt, nempè in iis qui non convertuntur, nullum, ex parte Dei, deeſſe auxilium, quod ad converſionem ipſorum ſit neceſſarium.

Quidam *Contra-remonſtrantes* nullam Gratiam *Sufficientem* exiſtimant, quæ non adeo *Efficax* eſt, ut nullo modo fruſtrari queat. *Sufficiens* autem hic dicitur, quæ licet, in ſe, ſit etiam *Efficax*, & ad Salutem aliàs valeret, obſtinatâ tamen impœnitentium Obluctatione (quod ad eorum Converſionem) irrita & inanis reddi poſſit. *Poſitio* 8.

Gratia *Converſionis* non conſiſtit in Voluntatis *ad bonum* inevitabili determinatione; ſed tali operatione quæ effectum ſortitur, cum Voluntas rebellionem non opponit, quam *ex ſe* opponere poſſit. In iis qui per obſtinatam reſiſtentiam obicem non ponunt, eſt *Efficax*, atq; etiam Effectum aſſequitur. *Poſitio* 9.

Adde, quòd Efficacia illius non tribuenda eſt co-operationi voluntatis; nam ex Gratiâ eſt, quod Vires ei donantur, quibus Spiritûs S. Suadelæ potiùs quam vitiatæ Naturæ motibus annuere poteſt, aut ſaltem Gratiæ ſubvenienti non reſiſtere; & quòd hi convertuntur, *Gratiæ* referendum eſt; quòd illi non convertuntur, ipſorum *Culpæ*. Spiritus enim S. vires novas & ſufficientes impertit voluntati, quæ interim ex inhærente pravitate poteſt *nolendo* obicem ponere, & opus Spiritûs S. *impedire*.

Facilè hinc conciliatur operatio Gratiæ *Convertentis* cum *Libertate* voluntatis; eò quòd Gratia non agit *irreſiſtibiliter*, & *Certitudo Præſcientiæ* conciliatur cum *Libertate reſiſtendi*, eò quòd

Dd 3 Eventus

Eventus quiſq; licet maximè contingens, Deo probè notus eſt ab Æterno.

Non quòd, in Æternitate, Futura ſint Deo actu præſentia, nam ut unum alteri coexiſtat, neceſſe eſt ut illud ipſum exiſtat; non tantùm in *Eſſe Objectivo* ſive *cognito*, ſed in *Eſſe reali*, neceſſe eſt ut exiſtat utrumq;

Non ex decreto, repugnat enim Bonitati Divinæ, ut ad ea, quæ in ſe mala ſunt, determinet Creaturas.

Non ex causâ proximâ cum ſuis circumſtantiis diſpoſitâ, ſcil. voluntate ut applicata eſt hic, & nunc, cum hoc judicio, hoc objecto, hâc inclinatione; tunc enim Voluntas neceſſitaretur à circumſtantiis.

Sed ex infinitate Intellectûs Divini, contraquam, ſi quid forſan in dubium vocetur, reſpondendum, quod multa ſunt de quorum exiſtentiâ certi ſumus, quorum modum & rationem mens humana ſcrutari nequit.

Quæſt. *Utrum Voluntas ſe habeat activè an paſſivè in primo Converſionis actu.*

Reſp: Merè *paſſivè*, reſpectu Gratiæ Convertentis, *paſſivè* & *activè* reſpectu Se *convertentis*.

Quæſt. *Præcipua Diſceptationis* materia hujus loci eſt, *An Gratia Converſionis reſiſtibilis ſit, necne?*

Reſp. 1. Ipſi *Contra-remonſtrantes* agnoſcunt Gratiam Spiritus S. in Actibus Converſioni præviis, eſſe reſiſtibilem. *Walæus part.* 1. 437. & 440. Sed ut Sententiam ſuam de *Prædeſt.* defendant, aſſerunt Electos non omninò reſiſtere in *ipſâ Converſione*, nec *poſteâ*, niſi ad tempus duntaxat, nam quòd interdum Spiritui reſiſtunt, ex eorum Lapſibus maneſeſtius eſt, quàm ut maneat diſputandi aut dubitandi locus.

2. Non

Non eſt in peccatoribus facultas reſiſtendi quoties Deo viſum fuerit *Omnipotentem* ſuam virtutem exerere. Sed Deum ordinariè uti potentiâ ſuâ inſuperabili ad cor hominum *phyſicè* flectendum, negandum arbitramur. 2.

Nervosè Cauſam hanc agit *Curcel. l.* 6. *Inſt. c.* 13. &, quæ fuſiùs ibi dicta ſunt, paucis hîc expediam.

Deut. 30. 19. *Propoſui vobis vitam & mortem* —, *Elige ergo vitam*, &c.

Non hoc jure dixiſſet, ſi ad unum fuiſſent determinati.

Evaſ. *Moſes* ibi docere voluit, quàm infirmi, ex ſe fuerunt, & quod propterea ad Dei opem confugere, debeant quâ adjuti facere poſſint, quod mandaverat.

Sol. Non dicimus quenquam ſolis naturæ viribus voluntati divinæ obtemperare poſſe; imò Deus auxilium neceſſarium benignè offert (alioqui dicto loco perinde faceret, ac ſi quis multos ad convivium opiparum invitâſſet, ſed Capiſtrum ori ipſorum impoſitum non amoveret, ſed verberibus eos exciperet, & occideret quod non comediſſent) potuerunt tamen auxilium illud ſive Gratiam ſufficientem fruſtrà habere, & prorsùs inanem reddere, pro arbitrio, quamvis abſq; Gratiâ nihil potuerint ſalutare.

Iſa. 5. à v. 1. ad 8. *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ quod non feci?* &c.

Evaſ. Externa media vineæ conceſſa refert; non dicit, ſe facultatem fructus edendi vineæ conceſſiſſe, Gratiæ Efficaci, idq; irreſiſtibili, analogam.

Sol. Præſtiterat, quicquid requiri poſſet, ad eam fertilem reddendam, alioqui *Judæi* objicere potuiſſent, Ipſum potentiam ſuam inſuperabilem nondum exercuiſſe.

Abſit ut Deum aſſimilemus Agricolæ, qui agro utut diligenter culto, nullo tamen ſemine in eo ſparſo, de illius ſterilitate patheticè conqueratur.

Evaſ. Sufficientem curam vineæ adhibuit ad fructus uberes ex eâ eliciendas, ſi bona fuiſſet, ſed non ut bona redderetur.

Sol. Imò plantavit eam electam vineam; ita etiam *Jer.* 2. 21. ſed degeneràſſe dicitur, nec alitèr eam conſiderabat, quam qualis erat *Iſaiæ* & *Jeremiæ* temporibus.

Ita etiam Ezek. 12. 2. *Oculos habent ad videndum & non vident; Aures ad audiendum & non audiunt*, i. e. facultatem odediendi Legi Divinæ Deus contulerat (de oculis enim & auribus non corporeis ibi agitur, ſed animi) ſed noluerunt iis uti. Imò ubi Deus dicitur Deut. 29. 4. *Non dediſſe oculos videntes & aures quæ poſſint audire*, intelligere oportet, quòd non *acceperant*, ſive *nollent eas à Deo dante acceptare, iiſq; frui*; uti *Grotius* in locum; *Multa verba ſumuntur* (inquit) *eo ſignificatu, qui non propoſitum tantum & vim efficiendi, ſed & Eventum includant*; ut *revelare* Iſa. 53. 1. *dare* Joan. 6. 39. *mittere* Matth. 10. 34. *non veni pacem mittere, ſed gladium*, &c. [adde quæ de *vocatione paſſivè ſumptâ* (adeoq; de *Vocare*) ſuprà diximus].

Matth. 23. 37. *Jeruſalem, quoties volui congregare liberos tuos, & noluiſtis?*

Joan. 5. 40. *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* Hinc conſtat Deum Gratiam ſufficientem exhibuiſſe, quâ ſcil. renovari potuiſſent, ſi voluiſſent aut co-operari, aut non pertinacitèr reluctari.

Sapientis non eſſe videtur præcipere, quod ipſe ſolus facere decrevit; aut mercedem illi ſolvere, qui nihil boni fecit, ſed merè quod illam actionem paſſus eſt nolens, ſive quam impedire non

non poterat etiamſi maximè voluiſſet. Nec ſinit Juſtitia, ut præcipiatur homini infirmo opus, quod per ſolam omnipotentiam perfici poteſt; &, ſi non pareat, ut æterno ſupplicio adjudicetur. Ille non verè obedit tanquam præmio dignus, in cujus poteſtate non eſt ut ſit diſobediens; nec ille pœnâ dignus, qui obediendi facultate deſtitutus eſt.

Dominus Jeſus, & Ipſe Deus laude digniſſimi ſunt, licet non poſſint peccare; & S. Angeli, quamvis in bono confirmati. *Excep.*

Virtus Deo eſt naturalis, *qui* non movetur ſpe præmii aut metu pœnæ. *Sol.* 1.

2. Nihil abſurdi eſt, ſi potentiam non parendi Deo, Chriſtum, in diebus carnis ſuæ, habuiſſe dicatur (modo *actu & integritate diſpoſitionis* ſemper Deo obediſſe ſtatuatur) alioqui non fuiſſet per omnia fratribus ſuis ſimilis. Heb. 2. 17. & 4. 15. Hortationes etiam ad imitandam ejus virtutem ſuâ Efficaciâ deſtitutæ forent.

3. Non conſtat ex Scripturis, an S. Angeli ità in Bono ſint confirmati, ut planè impoſſibile ſit ipſis peccare; ſaltem ex illorum, qui lapſi ſunt, exemplo apparet ipſos non ſemper in ejuſmodi ſtatu fuiſſe, & *naturâ*, non minùs quam qui actu lapſi ſunt, peccare potuerunt; dicuntur quidem *Electi*, 1 Tim. 5. 21. ſed non conſtat ipſos alitèr fuiſſe electos, quam ex præſcientiâ, non inconditionato decreto.

Curcel. non negat eos confirmari ſive ex intuitu miſeriæ lapſorum, unde occaſionem ſumpſerint Deo adhærendi, ſive per novam Gratiæ additionem. Nec conſtat, quòd lapſi Angeli omnem boni aliquid agendi *potentiam* amiſerint, ſive an à malitiâ ſuâ deſiſtere poſſint, necne. Cauſa iſtius obfirmationis in malitiâ inde proficiſci poteſt, quòd ſciant Damnationis ſuæ decretum

cretum eſſe irrevocabile, nec ſpem veniæ iis ſupereſſe. Sic apud homines; ideò *Deum timent*, i. e. colunt, quod iis peccatorum veniam promiſit, *Pſ.* 130. 4. *Apud te eſt Remiſſio, ideo timeraris.*

Si Potentia inſuperabilis ad fidem ingenerandam requiratur, ſequeretur, eos nequaquam credere poſſe, qui ab eâ non ſuperantur, & Deum *ſimulatè* maximam generis humani partem hortari ad fidem, iiſq; promittere ſalutem æternam, aliàs ſufficientem Gratiæ Efficaciam non negaret. Qui enim seriò vult finem, media quoq; illa vult ſine quibus nequit obtineri. Sic, qui ægroti valetudinem ſeriò expetit, non denegabit ipſi remedia ſine quibus convaleſcere non poteſt; ſi deneget, ſimulationem prodit.

Excep. Deus invitat Reprobos ut ſint inexcuſabiles, quòd voluntate ſuâ cognita non curaverint ſe illi conformare.

Reſp. Nemo inexcuſabilis redditur, quòd non fecerit, quod erat ſibi impoſſibile; imò hoc ipſo nomine excuſandus eſſet.

Inſt. Potentiam habuerunt in *Adamo*, quam culpâ ſuâ amiſerunt.

Reſp. Non potuerunt culpâ propriâ amittere in *Adamo*; quia nondum erant, [vide c. *de peccato Originali*;] & Deus, miſſo Filio ad expianda peccata totius Mundi, oſtendit, ſe nolle cum hominibus agere ex illo fœdere cum *Adamo* ante lapſum pacto.

Obj. Experientia docet, neceſſariam eſſe Gratiam hanc irreſiſtibilem, eo quòd Maxima Pars tum Judæorum tum Gentilium, Chriſtum, ſibi per Evangelium annunciatum rejecit.

Sol. Non hinc liquet Credendi impoſſibilitas; priùs oſtendendum eſt, Sapientiſſimos quoſq; & optimos voluiſſe credere, idq; totis viribus eſſe conatos

conatos, & tamen non poſſe; quod *Sergio Paulo*, *Clem. Alex. Tertul.* aliiſq; facile fuit, non erat omninò impoſſibile.

Deus non æqualem erga omnes exerit Gratiæ efficaciam ad corda emollienda. *Inſt.*

Si non ſufficientem erga omnes; cur laudantur qui crediderunt, & vituperantur increduli? *Act.* 17. 11, 12. An res ſit digna laude, irreſiſtibili potentiæ non reſtitiſſe; aut vituperio, id, quod vires ſuperabat, non præſtitiſſe? *Sol.* 1.

Gentiles, Chriſtum annunciatum rejecerunt, quia improbitati & pravis ſuis affectibus noluerunt renunciare; & *Judæi* præoccupati erant ſpe Regni Mundani; & Doctrina Chriſti contraria erat ipſorum Ambitioni, Avaritiæ, &c. *Joan.* 3. 10. & 5. 44. & 12. 43. 2.

Homines naturâ ſunt ſervi peccati, Rom. 6. 20. *Caro, quæ non poteſt Legi ſe ſubjicere*, Rom. 8. 7. *Cor habent ſaxeum*, Ezek. 36. 26. & *mortui delictis* dicuntur Eph. 2. 1. *Mortuis nulla vis ad reſurgendum.* *Obj.*

Omnis ſimilitudò claudicat; ad liberationem à ſervitute corporeâ non ſufficit, ut eam feriò exoptet; ſed in ſpirituali nil aliud requiritur quam ſeria & conſtans voluntas ſe eximendi. *Sol.* 1.

Dominium peccati eſt in mente & voluntate. *Inſt.*

Non adeò abſolutum eſt peccati imperium, ut prorsùs deſinat eſſe proprium Intellectûs; æquum probare, & appetendum judicare, etiamſi pravis affectibus, ſæpè abripiatur; haud verè dici poteſt de Servis *Juſtitiæ*, quod nil niſi juſtè *poſſint* facere; nec de ſervis peccati, quod nihil *poſſunt* quam peccare, Gratiâ ſaltem, juxta fœderis tenorem, & quoties non obſtinatè reſiſtitur, *ſubveniente.* *Reſp.*

Caro non poteſt ſe legi Dei ſubjicere, ſi per Carnem *Carnales affectus* intelligantur; fieri non poteſt 2.

poteſt quin cibum aveat appetitus eſuriens, & potum ſitiens; ſed voluntas poteſt eos in ordinem cogere, cum illicita appetunt. Ethnici affectus frænârunt; & ſi per *Carnem* intelligatur *Homo affectibus carnalibus deditus*, etiamſi, quâ talis, non poſſit ſe Legi Dei ſubjicere, non tamen neceſſe eſt ut eo ſtatu ſemper maneat, niſi Gratia *irreſiſtibilis* in eo operetur.

3. *Iſraelitis* propheta *Cor ſuum lapideum* exprobrat; idem non dicitur de omnibus, ut conſtat de *Ninevitis*, *Tyro*, & *Sidone*, &c. Ezek. 3. 5. 6, 7, *Si mitteréris ad populum ignotæ linguæ*, &c. neq; ſignificatur eos omni ex parte lapidibus ſimiles eſſe; alibi enim jubet Deus, ut *ipſi ſibi facerent Cor novum*, Ezek. 18. 31.

4. Apoſt. Epheſiis dicit, *eratis mortui delictis*, i. e. ante converſionem omni facultate convertendi erant deſtituti. *Paſtor Eccleſiæ Sardenſis*, Apoc. 3. 1, 2. dicitur *nomen* modò *vivere habuiſſe*, cum *mortuus eſſet*, hortatur tamen Chriſtus eum *confirmare moribunda*, &c. & *Eph.* 5. 25. voce Evangelii jubentur *ſurgere à mortuis*, non vim *irreſiſtibilem præſtolari*; & quamvis juſſa iſtiuſmodi ex ſe præſtare nequeant, adjuti tamen auxiliis, quæ unà cum mediis ſalutiferis Deus ſuggerit, per eos ſtat, ſi non convertantur.

Ad alias Scripturæ locutiones reſpondetur, quod *Deus nos illuminat*, & *opus fidei* in toto *potentiæ Dei* tribuitur, Col. 1. 13. *tranſtulit nos ex poteſtate tenebrarum in regnum filii ſui*; ſed per *lumen Evangelii*, *& verbi miniſterium*, non per Vim *irreſiſtibilem* 1 Pet. 1. 23. & 4. 6. *Renovat*, ſed *præcipit ut renovemur*, Rom. 12. 2. *Vivificat*, *Regenerat*, *novas Creaturas efficit*, Jac. 1. 18. ſed per *Verbum Veritatis*. *Corpori filii ſui inſerit*, Rom. 11. 23. ſed *jam credentes*. *Datur omnibus credere*, ſic iis *datur pro Chriſto pati*, Phil. 1. 29. ſed non *irreſi-*

irreſtibiliter, qui enim vellent Chriſtum abnegare, perſecutionem vitare potuiſſent. *Converte, & convertar*, Jer. 31. 18. verti poteſt (ut annotat *Vatab.*) *redire me fac*, nempe è *Captivitate Babyl.* ita aperit Corda, ſed & pulſat & expectat ut ſibi aperiantur, *Apoc.* 3. 20.

Trahit, Joan. 6. 44. Non autem *Vi inſuperabili*, ſed per promiſſa, minas, caſtigationes, beneficia, &c. *Ephraim traxit funibus humanitatis*, ſed *noluerunt converti*, Hoſ. 11. 4. 7.

Erunt omnes διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ; *dabit Deus legem ſuam in viſceribus eorum.* Nimirum ſæpè Deus facere dicitur, ad quod faciendum media largitur, hominesque excitat, licèt propter eorum malitiam effectus divino propoſito reſpondens non ſequatur; ut ex vineâ, Iſa. 5. Hieroſolymis, *Mat.* 23. aliiſque inſtantiis ſatis abundè pateat.

Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* *Obj.*

Non eſt ἄνευ ἐμοῦ, ſeu ἄτερ ἐμοῦ, ſed χωρὶς ἐμοῦ, & *Sol.*
reddi debet *ſeorſim* aut *ſeparatim*, ſive, ut Beza, *abſque* me, cum *Vite ſemet* comparat; *Diſcipulos* cum *palmitibus*, & hortatur, ut *in ſe maneant*; i. e. ut *ſibi tanquam præceptori adhæreant*; *palmes* enim à *Vite* ſeparatus fructum ferre nequit, ſed areſcit.

Matth. 20. 16. & 22. 14. *Multi vocati ſunt, pauci Electi.* *Obj.*

Adagium eſt, priori loco Operariis accommodatum, indicat Domini munificentiam aliquibus, ultra quod pactum erat, nemini factam eſſe injuriam. Nullus enim abſque opere pretio dimiſſus erat. *Sol.*

Poſteriori loco, ad Convivium vocatis accommodatur, ex quibus *in culpâ* erant, & *meritò* plectendi, tum qui adeſſe nollent, tum ille qui non dignè ornatus acceſſit; unde nec Reprobatio Abſoluta, ſive abſque ratione objectivâ, neque irreſiſtibilis vocatio inde ſtabilitur.

Obj. 1 Cor. 4. 7. *Quis te diſcrevit! quid habes quod non accepiſti*, &c. ſi liberi Arbitrii Concurſus requireretur, inde eſſet gloriandi materiâ.

Sol. Apoſtolus ibi loquitur de donis, non Sanctificantibus; alii autem gloriabantur quòd linguarum donis, alii quòd ſanationum præcellebant; vel quòd à *Cephâ*, à *Paulo*, aut *Apoll.* inſtituti fuiſſent, 1 Cor. 1. 12, 13, 14.

2. Qui credunt, ab ipſo Deo laude digni reputabantur, ut *Beræenſes*; nec gloriari prohibentur, modò in Deo glorientur; non cum aliorum contemptu, & quiſque in ſeipſo non in alio, *Gal.* 6. 4. *i. e.* Gloriandi occaſio non ſumenda eſt ex vitiis quæ in aliis deprehendimus; ſed ex virtutibus, quas in nobis, poſt ſerium conſcientiæ examen, reperimus; non autem apud Deum; perinde enim id foret, ac ſi mendicus gloriaretur ſe manum extendiſſe ad Eleemoſynam accipiendam, quam dives ipſi porrigebat; & ipſe à libero ſuo Arbitrio habere diceret, eò quod, ſi libuiſſet, poterat illam repudiare. Vide c. 5.

Obj. Orat. Apoſt. Eph. 1. 17, &c. ut *Deus det Spiritum Sapientiæ, ut ſciant quæ ſit ſpes Vocationis & ſuperaminens magnitudo Virtutis ejus in nos qui credimus ſecundum* Operationem Potentiæ quâ Chriſtum ſuſcitavit è mortuis.

Sol. 2. Verba non indicant modum quo peccatores convertuntur, erat enim pro iis qui jam crediderant, v. 19. in eos *qui Credimus.*

Orat,

Orat, ut ſciant potentiam quam Deus erga ipſos exerturus erat, ſuſcitando eos è mortuis ad vitam æternam, cujus exemplum habuerunt in Chriſto, ut inde magìs roborentur adverſus Satanam, Mundum, & Carnem. 2.

Addi poteſt, Quæſtionem non eſſe de Naturâ Potentiæ Divinæ in convertendis peccatoribus (quam omnipotentem eſſe nullus negabit) ſed, de modo quo operatur; ſcil. an Deus potentiam ſuam irreſiſtibilem exerere velit, an Gratiam ſolummodo auxiliatricem quâ (modo quamvis nobis incognito) homini [*poſſe ſuum ſi velit*] in iſto negotio reſtituatur, adeò ut Conditio fœderis Gratiæ non ſit ei, niſi propriâ culpâ, impoſſibilis. 3.

Jer. 6. 10. *Auris eorum eſt incircumciſa, & non poſſunt intelligere*; & 13. 23. *Si mutare poſſit Æthiops pellem ſuam*, &c. Joan. 12. 40. Dixit Iſaias, *excæcavit oculos eorum, & induravit Cor, ut non videant oculis, & non intelligant corde*, &c. Obj.

Non poſſe] non ſemper denotat impoſſibilitatem abſolutam: ſæpe uſurpatur de magnâ averſione, odio, &c. Bonus Judex nihil injuſti *poteſt* decernere; *Non poſſumus quin dicamus ea quæ vidimus & audivimus*, Act. 4. 20. & *nihil poſſumus adverſus veritatem*, 2 Cor. 13. 8. *Qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare*, 1 Joan. 3. 9. Quod de Æthiope dicitur eſt exaggeratio Hyperbolica. Si Jeremias populum planè incorrigibilem exiſtimât, non ſeriò illum ad pœnitentiam hortatus eſſet, fruſtrà enim lavatur Æthiops. Reſp. 1.

Cum ait *Joan.* 12. 39. *Non poterant credere*, ſignificat, quòd Doctrina illius cupiditatibus eorum carnalibus repugnabat. Sic Joan. 5. 44. 2.

Quomodò

Quomodò poteſtis credere, cùm gloriam alter ab altero quæritis? & Matth. 12. 34. *Quomodo poteſtis bona dicere cùm mali eſtis?*

3. *Excæcatio* & *Induratio* eorum non ad Deum referenda ſunt; tantundem eſt ac Oculi eorum excœcati ſunt, & Cor induratum. Nam linguâ Hebræâ (cujus phraſes Apoſtoli ſæpè ſequuntur) *Tranſitiva* ſæpe pro *Imperſonalibus* uſurpantur. Sic Gen. 27. 36. *Nonne ideò vocavit nomen ejus Jacob?* i. e. *vocatum eſt*. Luc. 12. 20. *Stulte, hâc nocte repoſcent animam*, i. e. *repoſcetur*; & quod ita exponenda eſt dicta locutio pateat ex *Act.* 28. 26. 27. *Craſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos compreſſerunt.* Etiam cum Deus dicit Iſaiæ, *Excæca Cor populi hujus, & aures aggrava*, &c. c. 6. 10. eſt acſi dixiſſet, *Novi hunc populum ex exhortationibus, quas nomine meo ipſi annuncies, occaſionem ſumpturum ſe magis ac magis in peccatis ſuis indurandi.*

Adjuncta Specialis hujus Effectûs, ſive Regenerationis Nonnulli ſtatuunt Perſeverantiam, & Certitudinem de Salute Æternâ.

Sectio II.

De Perſeverantiâ aut Defectione fidelium.

PLanè docent Scripturæ, Salutem promiſſam eſſe, ſed *Perſeverantibus*, Matth. 24. 13. *Qui perſeveraverit ad finem ſalvus erit*. Heb. 3. 14. & 6. 11, 12. Apoc. 2. 10, 26.

Et *relabentibus* minatùr *Exitium*, Heb. 10. 38. Rom. 11. 20. Ezek. 18. 24.

Nec cum ratione negari poteſt *Perſeverantiam* eſſe *poſſibilem*; qui enim eam exigit, vires ad perſeverandum miniſtrabit. In primâ etiam regeneratione major eſt peccati renitentia quam in *Perſeverantiâ*, quia vires peccati jam fractæ, debiliores evadunt, & Gratia bene utentibus majori copiâ confertur, *Matth.* 25. 29. *Luc.* 11. 13. *Joan.* 14. 23. *Phil.* 4. 13.

Num verè fideles à Fide ac Pietate poſſint excidere, an certò ad finem perſeverabunt? Quæſt.

Sententia *Contra-remonſtrantium* eſt, quod licet *Reſp.* reſpectu humanæ infirmitatis perſeverare nequeant, vi tamen decreti Divini & Providentiæ illi innixæ perſeverabunt, ità ut à fide & pietate *totalitèr* & *finalitèr* excidere non poſſint.

Alii quamvis agnoſcunt, quòd, ſi Deus Gratiam ſuam iis adimeret, non poſſint perſeverare, negant tamen eos potentiâ Divinâ conſervari adeò, ut per neglectum aut contemptum Gratiæ non poſſint à fide & pietate deficere.

Arg. 1. Ezek. 18. 24, 26. *Si averterit juſtus à juſtitiâ ſuâ*, &c.

Evaſ. Enunciatio eſt Hypothetica & nihil determinatè affirmat.

Sol. Supponit autem Conditionem poſſibilem & Eventum inde ſecuturum.

2. Matth. 13. 20, 21. *Temporarii* terræ petroſæ comparantur, eo quod ortâ perſecutione offenduntur & deficiunt.

Evaſ. Locus intelligendus eſt non de verè fidelibus, ſcil. qui *ad tempus* verè credunt; ſed de Hypocritis, qui præ ſe ferunt fidem, quam tantùm putant ſe habere.

Sol. Sicut Herba, in terrâ petroſâ, vera eſt, quamvis æſtu Solis exareſcat, ità fides, quæ *ad tempus* durat, gradu non ſpecie differt à fide vivâ & ſalvificâ. Chriſtus enim non vocat aſſenſum fructiferum eorum qui *ad tempus* credebant *Fidem temporariam*, ſed *illos temporarios* qui non perſeverabant; fuit enim Aſſenſus verbo efficax, etiamſi Corde non ſatìs altas radices egerat.

Lucas quidem Cor eorum, qui *copiosè fructum pertulerunt*, *vocat bonum* & *boneſtum*; non quòd Cor illorum, qui *deficiebant*, *non bonum* erat quamdiu crediderunt; ſed quòd ſemen Verbi non ritè condiderat, & ad juſtum terminum foverat.

3 Heb. 6. 4, 5, 6. Si *prolabantur*, *impoſſibile eſt ut renoventur*, &c. & 10. 26, &c. fruſtrà eſſet monitio, ſi deficere non poſſent.

Evaſ. Non ibi agitur de verè fidelibus, ſed de iis qui diſpoſitionem quandam ad fidem habuerunt.

Sol. Renovari *denuò* non rectè dici poſſunt, qui nunquam renovati fuerunt.

4. 2 Pet. 2. 20. *Si poſtquam inquinamenta mundi effugerint*, *bis rurſùm implicati ſuperentur*, &c.

Evaſ. Nunquam fidem ſolidam habuerant aut ingreſſi erant in viam Juſtitiæ, qui rurſùs ineſcati, &c.

Sol. Imò dicuntur *Effugiſſe*, &c.

Exempla

Exempla idem confirmant.

Fideles in gravia peccata & conſcientiam vaſtantia, non ex infirmitate, ſed conſilio, inciderunt; ut *David* in Adulterium & Homicidium.

Non perfectâ ſed perturbatâ deliberatione. *Evaſ.*

Forſan non adeò excitatâ Dei intuentis, horrendarum minarum, aliarumque rationum meditatione, quâ homo (niſi deploratè malus) avocaretur, non tamen ſubitâ tentatione abripiebatur, ſed peccatorum illorum circumſtantiæ moralem ac competentem deliberationem abunde prædicant. *Sol.*

Nec David olim, nec Fideles ſequioris Ævi ejuſmodi flagitia perpetrant, plenâ voluntate; nec in iis plenum dominium habet Caro, ſine reniſu Spiritûs. *Evaſ.*

Inefficax Voluntas non propriè *Voluntas* eſt, ſed nuda *Velleitas.* Et Reniſus conſcientiæ eſt etiam in *non-credentibus*; nec ſufficit ad ſtatum verè fidelis, *peſſimum non eſſe.* *Sol.*

Reniſus in *non-credentibus* eſt tantùm *Intellectûs*, in *credentibus* etiam *Voluntatis.* *Inſt.*

Contrarium Judicium Intellectûs, voluntatem etiam afficiet: Diſcrimen in eo eſt, quòd, in *non-credentibus*, Reniſus ille producitur, à ſanâ ratione, in *credentibus* etiam à Spiritu Sancto & Verbo Dei fide accepto. Ergò, non obſtante iſto Reniſu, peccata iſtiuſmodi *deliberata*, in quibus peccatores aliquandiù *perſeverârunt*, totalem defectionem à pietate ad tempus indicant. Sunt *opera Carnis, & qui in iis ambulant, non Regni Dei Hæredes* dicuntur, Gal. 5. 21. *Dein, qui adhæreſcit Scorto, deſinit eſſe Membrum Chriſti*, teſte Apoſt. 1 Cor. 6. 16. *Hymenæus* etiam & *Philetus* bonam Conſcientiam rejecerunt, & fidei naufragium fecerunt: de fide illud dicitur, quæ adjunctam habuit bonam conſcientiam; ergò à verâ fide defecerunt. *Demas* inſuper 2 Tim. 4. 10. *Eccleſiam* *Sol.*

reliquit poſtquàm dilexerat præſens ſæculum; & verè fidelem fuiſſe inde colligitur, quòd non modò erat inter adjutores *Pauli*, Philem. 24. *quorum nomina* dicuntur *fuiſſe in Libro Vitæ*, Phil. 4. 3. Sed Dilectio Mundi non conſiſtit cum *dilectione* Dei, Joan. 2. 15. Matth. 6. 24. Nec deſeruit quaſi ad munus aliquod, ità enim *Creſcens* & *Titus* diſceſſerant; nec ad tempus ſolummodò, aut ob imminens aliquod periculum, ſed amore ſæculi captus.

Arg. Niſi fideles poſſent deficere, fruſtraneæ eſſent adhortationes, 1 *Cor.* 16. 13. *Vigilate, ſtate, in fide*, &c. 2 Cor. 6. 1. Heb. 3. 12, 13, &c. *Promiſſiones*, Matth. 24. 13. Rom. 2. 7. Apoc. 2. 4, 5. *Comminationes*, Rom. 2. 8, 9. Apoc. 2. 4, 5.

Evaſ. Deus per Hortationes, Comminationes, &c. fideles perſeverare facit.

Sol. Qui certò ipſe operabitur rem quampiam, ad quam alium hortatur, non per curam & induſtriam illius, ad quem dirigitur hortatio, ſed abſolutâ potentiâ & vi, Hortatio illius inanis & inutilis eſt. Qui enim cum ferreis catenis aliquem in ſublimi vinxerat, hortetur ut pedem rectè figat nè fortè cadat; Hortatio non *medium* eſt nè cadat, ſed vinculum quo conſtrictus tenetur: Utilis ſolummodò eſſet iſtiuſmodi Hortatio, ſi non arctè vinculo aſtrictus, ſed ſolutus & retinaculis immunis hortatione moveatur pedetentim & cum curâ ac cautione deſcendere. Hinc non irreſiſtibilis aliqua Determinatio aut Præmotio, ſed ipſa Exhortatio, atque etiam Agentis Cautio & Induſtria media eſſent, quibus illa perficiantur ad quæ hortationibus excitamur.

Excep. Act. 27. 31. *Qui cymbâ effugere vellent, niſi manſiſſent in Navi, ſalvi eſſe non potuiſſent.*

Sol. Promiſſio de ſalute omnium tacitam habuit conditionem, ut Conſilio *Pauli* morem gererent, v. 24.

Chriſtus

Chriſtus ſcivit neminem Apoſtolorum perituꝛrum, præter filium perditionis, attamen hortatur eos paſſim perſeverare. *Excep.*

Non autem promiſit, ſe illos ita conſervaturum, ut perire non poſſent. Donis eximiis præcellebant, nec facilè in defectionis periculum incidere potuerunt; ſed quòd nullo modo deficere potuerint, negant verba Apoſt. 1 Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus, nè fortè reprobus eſſem.* *Sol.*

Deus promiſit, ſe cum fidelibus pacturum fœdus perpetuum, Jer. 31. 36. *quod benignitas ejus eſſet perpetua.* Et *Iſa.* 54. 10. & 59. 21. *Pſ.* 125. 1. *Joan.* 4. 14. 5. 24. 6. 35. 10. 29. *Obj.*

Non ibi promittit fideles ſemper in fide & ſanctimoniâ ſervatos eſſe; ſed quamdiù in Officio ſuo perſeverent, Dona fœdere promiſſa non eſſent auferenda. *Sol.*

Pactum illud Jer. 31. *iniit cum toto populo Iſr.* quoad ſtatum externum, typo, cum Electis quoad veritatem. *Excep.*

Beneficia ibidem promiſit, quæ ad Obedientiam fœderandos allicerent & efficerent morigeros, niſi valdè perverſi eſſent futuri; ideoque dicitur Deus Obedientiam in iis *effecturus*, Cor novum iis *inditurus*, donec eos pro populo non amplius haberet. Facta fuit hæc promiſſio in ſolamen captivitatis, variis inde affecit eos beneficiis, quibus ad obedientiam adduci poſſent, præcipuè tempore Meſſiæ, & quæ amorem ſui produxiſſent, niſi ipſorum culpâ effectum non ſortita ſunt; phraſi eâdem quâ locis aliis aliquid *producere* aut *efficere* dicitur, quando illa omnia fecit quæ ad illud efficiendum à parte Dei requiruntur. Ezek. 34. 13. *Mundavi te, non tamen mundata es*; & 11. 19. *Hoſ.* 7. 1. *Joan.* 1. 11. 1 *Tim.* 4. 10. *Deus eſt Salvator omnium, præcipuè credentium.* *Sol.*

Joan. 10. 28. *Nemo poteſt* Oves Chriſti *è manu* ejus *eripere.* *Obj.*

Sol. Quamdiù Oves Chriſti ſunt. Vel *nemo poteſt ſalutem Chriſti ovium impedire.*

Obj. Matth. 24. 24. *Seducent*, ſi poſſibile, *Electos.*

Sol. Per Electos non intelligendi ſunt Electi abſolutè, ſed fideles in quibus *Vocatio* ſeu *Electio* Dei finem ſuum conſecuta eſt.

2. Dein, [*ſi poſſibile*] ſæpè ſignificat magnam difficultatem ſolummodò, ut Act. 20. 16. Paulus deſtinârat, ut [ſi poſſibile] Hieroſolymis eſſet die *Pentecoſtes.* Vel [*ſi poſſibile*] i. e. *omnes vires intendent, nec quicquam intentatum relinquent*, ut ſeducant: Denotat intentionem *ſeductorum* potiùs quàm rei eventum. Sic *Rom.* 12. 18. ſi poſſibile, *quòd in vobis*, &c.

Obj. 1 Joan. 2. 19. *Si ex nobis fuiſſent, non egrederentur.*

Sol. Hoc tantùm inde ſequitur, quod ſi animo ſincero cum Apoſtolis verſati fuiſſent, non cœtum eorum desererent; eò quòd nulla cauſa deſerendi data erat; non de ſtatu ullorum immobili loquitur, ſed de actu externo communionis aut ſeparationis.

Obj. Rom. 8. 35. *Quis ſeparabit nos*, &c.

Sol. Hoc vult Apoſt. quòd nulla adverſa, ne mors ipſa, fideles pietate *perſeverantes* ſeparare poſſunt à Charitate Dei. Non enim loquitur de Amore, quo Deum amplectuntur; ſed de Charitate, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro.

Obj. 1 Joan. 3. 9. Qui ex Deo eſt, non facit peccatum, quia ſemen ejus manet in ipſo, neque *poteſt peccare.*

Sol. 1. Non peccato dat operam, ſeu peccati conſuetudine tenetur (ſic *juſtitiam facere* in Scripturis, non eſt [*ſemel juſtum actum peragere*] ſed ordinariè & [*peccare non poteſt*] non eſt [*non poteſt malè agendi conſuetudinem* ſenſim *induere*] ſed [*impiè agendi conſuetudo cum regeneratione non*

2 *conſiſtit*]

conſiſtit] Subjectum enim à qualitate aut habitu denominatur, & deſcribitur eſſe contrariæ qualitatis incapax; quia Qualitas à quâ denominatur illi qualitati eſt contraria; ſic *manſuetum* dicimus *non poſſe iraſci*; *Iracundum non poſſe placidè agere*; & 1 Cor. 2. 14. *Animalem hominem non poſſe percipere quæ ſunt Spiritûs Dei.* Sic *aquam frigidam nemo poteſt calefacere*, i. e. quamdiu frigida ſit; non inde ſequitur quod nunquam poteſt calefieri, ſed difficulter.

Jer. 13. 23. Æthiops dicitur *non poſſe mutare cutem, nec pardus maculas.* *Obj.*

Formula iſta loquendi maximam indicat difficultatem, ob contrarietatem conſuetudinis & qualitatum. Sic Joan. 8. 43. *Non poteſtis verbum meum audire. Contraria conſiſtere nequeunt*; & *ab uno ad alterum tranſire admodùm difficile eſt.* *Sol.*

Senſus Apoſtoli eſt (ut interpretantur plurimi) *Regeniti non poſſunt peccare* finalitèr ad morem aliorum; & additur ratio, *quia Semen Dei manet in iis.* *Excep.*

Per *Semen Dei* intelligitur *Indoles divina*, quæ efficax eſt, & ad pietatem urget & ſtimulat, quamdiu in *Regenito* eſt. Dicitur quidem *manere*, quod hoc loco denotat *eſſe in eo*; ſic Joan. 14. 17. *Nôſtis Spiritum Veritatis qui apud vos manet, & in vobis erit.* Si *manere* ibi ſignificaret *perſeverantiam*, ſuperfluum eſſet quod ſequitur [*& in vobis erit.*] Ita etiam 1 Joan. 2. 4, 5, 6. & 3. 14. *Qui non diligit fratrem manet in morte.* *Sol.*

Num Fideles abſque ſpeciali Revelatione poſſint certi eſſe præſentem ſuum ſtatum eſſe ſtatum Salutis? Quæſt.

Multi (præcipuè inter Pontificios) planè negant; quidam autem, inter ipſos Pontificios, agnoſcunt Fideles poſſe certos eſſe *morali* certitudine, quam majorem eſſe conjecturali, minorem *Reſp.* 1. *Senten.* 2.

verò certitudine fidei, arbitrantur. Hâc certi ſumus (inquiunt) fuiſſe *Alexandrum* magnum, *Julium Cæſarem*, &c. Rationibus nititur adeò credibilibus, ut quamvis non prorſùs impoſſibile eſt iis ſubeſſe falſum, non tamen res ità creditas in dubium vocare cum ratione poſſumus.

Moralis quidem hæc *Certitudo* à fide divinâ nonnunquam, magnâ ex parte, profluit. Niſi aſſentiremus Propoſitionibus majoribus, quales ſunt [qui *pœnitentiam agunt*, & *pietati ſtudent*, & *qui Deum toto corde diligunt*, &c. *Gratiam habent apud Deum*] ne ſpem quidem, nedum aliqualem certitudinem de futurâ ſalute haberemus. Ardens verò deſiderium illud *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, & lætitia quâ multi exultant, cum intelligunt propinquam eſſe mortis horam, necnon alacritas & admiranda Martyrum quorundam conſtantia, abundè teſtantur certitudinem, ſaltem *moralem*, de Gratiâ quam habent apud Deum.

Multi ex Pontificiis etiam rigidioribus hanc certitudinem probabilem eſſe exiſtimant, *Tapperus*, *Vega*, alii. Permulti etiam Proteſtantes eam agnoſcunt, & firmiorem, ſive gradus ſuperioris aliquam, non ſectantur.

3. Aliorum Sententia eſt, quòd fideles poſſunt eſſe certi certitudine Fidei, ſeu *divinâ*, remiſſa eſſe ipſorum peccata, & ſe gratiam habere apud Deum.

Et quoniam Fides Divina nititur Teſtimonio Divino, nec tamen detur illud Teſtimonium in Scripturis, niſi *univerſalitèr* & *externè*, ideò ad Teſtimonium internum *Spiritûs Sancti* recurrunt, qui *Rom.* 8. 16. *teſtari dicitur cum Spiritu noſtro nos eſſe filios Dei.*

Excep. *Certitudo hæc Subjecti* (niſi per revelationem detur) acquiritur diſcurſu quo ex principio quodam fidei certiſſimo (qualis eſt qui præceptis Chriſti præſtat obſequium, eſt in Gratiâ apud Deum) &

ex

ex ipſius fidelis, de ſtatu ſuo, Judicio, Concluſio infertur. Sed quoniam Judicium Fidelis de ſeipſo fallibile erit, minor propoſitio dubia & incerta eſt, & concluſio ſequetur partem debiliorem.

Etiamſi minor Propoſitio (urgent nonnulli) *Inſt.* non expreſsè contineatur in Scripturis, unde Teſtimonium externum petendum eſt, virtute tamen Regulæ certiſſimæ, ſcil. [*Propoſitiones particulares comprehenduntur in Univerſalibus*] unuſquiſque Fidelis particularis, ſive quicunque præceptis Chriſti debitum præſtat obſequium ſalvus erit. Hoc inſuper ex Teſtimonio divino *interno*, ab Effectis Spiritûs Sancti, &c. dignoſci poteſt. Sicut enim cauſa demonſtratur per Effecta, Ignis per calorem, vita per motum & ſenſum; ità Spiritus Sanctus per virtutes Evangelicas *Gal.* 5. 22. *Fructus Sp. eſt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia*, ex his conſtituitur *Sigillum Sp.* quo fideles *obſignantur in diem Redemptionis*, Eph. 1. 13. & 4. 30. & Arrhabo ſeu Pignus Amoris Divini, & quaſi pars futuræ Hæreditatis, 2 *Cor.* 1. 22. *Eph.* 1. 14.

Damus virtutes iſtas cordibus fidelium inexi- *Reſp.* ſtentes, poſſe *objectivè* cauſam ſuam Effectricem indicare; ſive fidelis, comparando motus & operationes cordis ſui cum inhabitantis Spiritûs Sancti indiciis, Scripturâ traditis, colligere poteſt, ſe ipſo Spiritu Sancto ſigillatum, ideoque in gratiâ apud Deum eſſe. Hoc tamen infert ratiocinando à fructibus Spiritûs Sancti. Et ſufficit Argumentatio ad certitudinem objecti moraliter confirmandam, non autem ad certitudinem ſubjecti Fide divinâ ingenerandam. Certitudo enim inde illata, non eſt infallibilis, ſive cui non poteſt ſubeſſe falſum; ſed moralis, quæ diſcurſu acquiritur, non *divino teſtimonio* declarata, ſed rationis humanæ infirmitatibus obnoxia, quæ in judicando tùm de genuinâ virtutum ſpiritualium naturâ,

turâ, tùm de motuum internorum ſinceritate hallucinari poteſt.

Quandoque tamen Deum, pro ſummâ ſuâ benignitate aliquibus non modò indubiam fiduciam, ſed & certitudinem quaſi intuitivam abſque ratiocinatione (præcipuè quibus tardior eſt ratiocinandi facultas) conceſſiſſe, non negamus. Rara autem hæc, & inter ſpecialiſſimas munificentiſſimi Dei Largitiones numeranda.

Sectio III.

De Juſtificatione.

SEquitur nunc alius ſpecialis Effectus *Vocationis*, ſcil. *Juſtificatio.*

Vox. *Juſtificationis* Vox in S. Literis plerumque ſenſu forenſi ſumitur, utpote *juſtificare* eſt *abſolvere*, ſive *Juſtum pronunciare*, Prov. 17.15. *Qui juſtificat improbum, & qui condemnat juſtum, æquè ſunt Deo abominabiles.* Matth. 12.37. *Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Ubi oppoſitio Condemnationis & Juſtificationis non permittet, ut illud [*Juſtificaberis*] alitèr quàm [*Juſtus pronunciaberis*] exponatur.

Attamen interdùm (contra quam ſtatuunt nonnulli) ſenſu morali ſumitur pro [*juſtum facere*] ſeu [*efficere, ut quis inhærenter juſtus ſit*] Dan. 12.3. *Qui juſtificârunt multos, quaſi ſtellæ ſplendebunt*; aut ſi exponatur [*qui erudierunt multos*] eodem redit. Hi enim *erudiendo juſtos efficiunt*, ſive Juſtitiam in iis *promovent erudiendo.* Ità etiam Apoc. 22.11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*, i. e. in Juſtitiâ perſeveret.

Clauſula

Clauſula iſta exponi poteſt de *Juſtificatione* ſenſu forenſi, ſive *declaratione Juſtitiæ*; & niſi ita intelligatur, idem bis diceretur eodem commate; nempè idem ſonaret quod verba immediatè ſequentia [*qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.*] *Obj.*

Non idem bis diceretur; nam probè nota eſt diſtinctio inter *Sanctitatem* & *Juſtitiam*, quando ſimul occurrunt: ſcil. *Sanctitatem* ad primam Legis Tabulam, *Juſtitiam* ad ſecundam referendam eſſe. [*Qui Juſtus eſt*] non ibi ſignificat [*qui per Remiſſionem juſtificatus eſt*] ſed [*Qui nemini nocet*] aut [*qui reddit unicuique quod ſuum eſt.*] Sic Ribera: *Juſtificetur adhuc*, i. e. ſic agendo pergat; & *qui Sanctus eſt*, i. e. purus à Sordibus, purus perſeveret. *Juſtus* enim opponitur ἀδικοῦντι, i. e. *ei qui injuſtè agit*; & *Sanctus* τῷ ῥυπῶντι *ſordeſcenti, nulli* ſcil. *niſi ſibi ipſi nocens*, uti agnoſcit *Piſcator*, cum aliis. *Sol.*

Adde quod *Rom.* 4. 5. ubi Deus dicitur *juſtificare impium*, non intelligi poteſt, quòd Deus *abſolvat impium*, aut declaret aliquem *pium* aut *juſtum eſſe*, priuſquam *ex impio pium & juſtum fecerit*: Judicium enim illius eſt ſecundum veritatem.

Hinc conſtat, quòd Vox *Juſtificationis* interdùm *ſenſu morali* ſumenda eſt. Quod quantum refert ad genuinam Juſtificationis Cauſam Formalem aſſignandam paulò poſt patebit.

Legalis Juſtificatio, ex propriâ & inhærente Juſtitiâ, ſive ex præceptorum Legis obſervatione non datur, *Gal.* 3. 10, 11. *Juſtific. quid.*

Evangelica (quæ hujus loci eſt) quæ Deum autorem reſpicit, definiri poteſt, *Actio Dei* quâ pœnitentem abſolvit propter merita Chriſti, vivâ fide accepta & applicata. At ſi conſideretur cum reſpectu ad conditionem *Juſtificati*, eſt *Mutatio Status*, quem reſipiſcens obtinet erga Deum,

Deum, unde ceſſante reatu propter Chriſti merita, vivâ fide applicata, non eſt condemnationi obnoxius: Quoniam enim Reatus eſt Relatio in peccato fundata, ceſſante peccato, (fundamento ſcil. iſtius reatûs per pœnitentiam) ceſſat ipſa Relatio, & alia reſurgit, cujus reſpectu peccator à peccati pœnâ immunis habetur.

Cauſ. Juſtif. Cauſa Juſtificationis.

Efficiens principal. *Efficiens principalis* eſt *Deus*, Rom. 8. 34. *Quis eſt qui condemnat? Deus eſt qui juſtificat.*

Proegum. *Proegumena* ſive internè Deum movens ad nos juſtificandos, eſt Gratia, ſive gratuita Dei Benevolentia. Rom. 3. 24. *Juſtificati gratis per gratiam illius, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu*, Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit*, &c. Rom. 5. 8. Tit. 3. 5, &c.

Docent Pontificii Donum Spirituale, quod alii *Charitatem*, alii *quandam* quaſi *Radicem*, unde Virtutes Evangelicæ oriuntur, Animæ infundi; & hanc ipſam vocari *Gratiam*, propter quam ſimus *in nobis* digni *juſtificatione* coram Deo.

Proteſtantes non diffitentur iſtiuſmodi donum nobis communicari (quamvis non adeò dignum) quando juſtificamur, quod etiam Gratia vocari poſſit; negant tamen nos propter illud, aut illo movente juſtificari, & inſuper ex merâ gratiâ illud dari, dum *Romanenſes* ex *Congruo* aut *Condigno* dari ſtatuunt.

Obj. Multis Scripturæ locis Gratia dicitur nobis infundi.

Sol. In Renovatione, ſcil. quam cum *Juſtificatione* non connectunt modò, ſed ſæpè confundunt *Romanenſes*.

Procatar. ſeu Merit. *Meritoria*, quæ *Procatarctica*, ſeu *externè motiva*, eſt Chriſtus, ſeu Chriſti Obedientia, quâ *Juſtificatio* nobis eſt promerita; De hac cauſâ Scriptura loquitur.

Inter-

Interdum
1. *Concretivè*, dum totum Chriſtum proponit, tanquàm cauſam meritoriam Juſtificationis, Iſa. 53. 8. *Exciſus eſt è terrâ propter tranſgreſſionem populi mei.* Act. 4. 12. *Non eſt in alio ſalus.* 1 Cor. 1. 30. *Factus eſt nobis Juſtitia.* 1 Pet. 3. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, &c.*
2. *Abſtractivè*, quoties *Juſtificatio* tribuitur illius

Obedientiæ, Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.*
Paupertati, 2 Cor. 8. 9. *Egenus factus eſt, ut illius copiâ vos divites eſſetis.*
Vibicibus & *Livori*, Iſa. 53. 5. *Sanguini*, 1 Pet. 1. 19. *Crucifixioni*, Gal. 3. 13. *Morti*, Heb. 2. 14. Hiſce nimirum ſignificatur integra totius Humiliationis *Obedientia*, tùm Activa, tùm Paſſiva.

De Cauſâ formali Juſtificationis. *Formal.*

Haud pauca ſunt de Cauſâ *Formali Juſtificationis* Diſſidia, penè Metaphyſica, (ut ait *Spalatenſ. l.* 7. *c.* 11. *n.* 217.) ad ſalutem non magis neceſſaria, quàm ad Ægros ſanandos nôſſe in quo genere Cauſæ fimbria Veſtis Chriſti eos ſanavit. Ut iis quæ momenti ſunt occurram, notandum eſt.

Imprimis, quòd hîc non quæritur Cauſa *propter quam*, ſed *per quam*, ſive *ſecundum quam* homo juſtus habetur apud Deum: Non enim dubium eſt quin *Juſtitia* ſive *Obedientia* Chriſti ſit Cauſa *propter quam* juſtificamur; quæ tamen Cauſa aliàs *Meritoria* externè *movens*, ſeu *procatarctica*, vocatur. 1.

Memi-

2. Meminiſſe oportet vocem *Formæ* ſumptam eſſe,

Interdum {
- *Propriè* pro Cauſâ internâ, quæ Subjectum conſtituit & denominat.
- *Latè* & *impropriè* pro quâlibet Cauſâ quâ remota res non amplius conſiſtit, ſive illa inhæreat, adhæreat, aſſiſtat, ſive alio quocunque modo per relationem *Subjecto* applicetur.

Poſteriori hoc ſenſu permulti Proteſtantes docuerunt Juſtitiam ſive Obedientiam Chriſti fide noſtrâ apprehenſam, & à Deo *imputatam*, eſſe *Formalem* Cauſam *Juſtificationis*. Quæ Sententia à *Romanenſibus* damnatur, quaſi merè putativa, fictitia, & imaginaria eſſet. Nec ab aliis aliquibus Reformatis approbatur, ſaltem non defenditur. Candidè tamen interpretari poteſt. Atque ſententia ipſa, nempe Juſtitiam Chriſti nobis *imputari* quoad *Effectum* & *Fructum* (licet non diſertis verbis) paſſim in Scripturis traditur. Ex. gr. quoties docemur *Chriſtum factum eſſe nobis Juſtitiam*, 1 Cor. 1. 30. *Factum eſſe peccatum, ut nos in ipſo efficeremur Juſtitia Dei*, 2 Cor. 5. 21. Vel *Obedientia ejus nos coram Deo juſtos conſtitui*, Rom. 5. 19.

Scripturæ de Morte Chriſti loquuntur, tanquam de Sacrificio *Expiatorio*, quo dùm ſe Vadem & Sponſorem noſtrum exhibuit, à morte & perditione nos redemit, 1 Pet. 1. 18, 19. Mente autem aſſequi non poſſumus, quomodo exhibenda foret à vade Satisfactio, niſi *imputetur* ei cujus nomine facta eſt; ut Fide-juſſor non cenſetur Creditori pecuniam pro Debitore ſolviſſe, neque Creditor ſolutionem illam acceptâſſe, niſi pecuniæ ſolutio Debitori illi imputetur, pro quo ſoluta eſt.

Quin-

Quinetiam Sententia de Imputatâ Chriſti Juſtitiâ non Patribus fuit incognita aut improbata. *Athanaſ. Tom.* 2. *Edit. Comelini p.* 270. affirmat, " *Noſtrum eſſe credere Scripturis—Impletionem Le-* " *gis à Primitiis* [i. e. à Chriſto] *factam, toti maſſæ* " *aſcribi* ſeu *imputari*; nam in Græco eſt λογίζεσθαι, verbum quod Apoſtolus uſurpat, *Rom.* 4. &c. *Bernard. Epiſt.* 190. *ad Innocent. Papam*, Si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui, ut, videl. *Satisfactio* unius omnibus *imputetur*.

Idem etiam concedunt multi *Romanenſes*, *Vega de Juſtif. l.* 15. *c.* 2. *Suarez de Gratia l.* 7. *c.* 7. *n.* 29. *Tapperus*, aliique imputatam Juſtitiam Chriſti uſurpantes, quamvis non quaſi in nobis inhærenter exiſteret. *Vide Gulielm. Forbeſ. lib.* cui titulus *Conſiderationes pacificæ* 2. unde hæc & alia quædam ad hanc materiam ſpectantia compendioſè adduxi.

Imputatio itaque Juſtitiæ Chriſti non prorſùs neganda eſt; ſed quoad *fructum* & *effectum* admittenda.

Clarior autem & explicatior loquendi ratio eorum eſt, qui à voce *Imputationis* abſtinent, & Juſtitiam ſeu Obedientiam Chriſti non unicam cauſam *Formalem*, ſed *Meritoriam* eſſe ſtatuunt. Adeo ut loci Scripturæ quibus Chriſtus nominatur *Juſtitia noſtra*, Jer. 23. 6. *factus nobis Juſtitia*, 1 Cor. 1. 30. aliique ſenſu cauſali & figuratè, non propriè intelligi poſſunt, ſcilicet, Chriſti meritis Juſtitiam à Deo percipimus, ſive fructum Juſtitiæ, & noſtra fit Juſtitia eodem modo quo Epheſ. 2. 14. *Chriſtus Pax noſtra* vocatur. Et *Peccatum* 2 Cor. 5. ult. *Deus Chriſtum Peccatum fecit pro nobis*, i. e. Hoſtiam pro peccatis, vel peccatoribus ſimilem, variis ærumnis obnoxium, ut nos efficeremur, Juſtitia ἐν αὐτῷ, Hebraiſmus, pro δι' αὐτοῦ *per ipſum*; Qui quidem loquendi modus utcunque clarior & apertior, quoad Sententiam à priori candidè ex-

plicato

plicato parùm aut non omninò diſcrepat. Quum enim ad hunc modum contra Imputationem Juſtitiæ Chriſti nonnulli diſputant; ſi Juſtitia Chriſti nobis imputetur, eodem redit ac ſi *fieret Juſtitia noſtra*, unde non minus juſti eſſemus quam ipſe Chriſtus. Non ſequeretur; Chriſtus enim *juſtus eſt juſtitiâ inhærente, habituali & actuali*; Nos Juſtitia Chriſti *efficienter ſumptâ*, & quatenus *procatarcticè* & *meritoriè* Deum movet ad remiſſionem peccatorum, i. e. quoad *Fructum* & *Effectum*.

Fidelibus datur Juſtitia Chriſti, non ac ſi fieret noſtra *ſubjectivè*, ſed *efficientèr* quoad Virtutem & Efficaciam; cui accinit illud Apoſtoli, Rom. 5. 19. *Nos obedientia Chriſti juſtos conſtitui.*

Quare ſicut (haud immeritò) exploditur delirium *Oſiandri*, qui ſomniavit, *Formam Juſtificationis noſtræ conſiſtere in inſinuatione Eſſentialis Juſtitiæ Dei in animas noſtras*; ita meritò rejicienda eſt Fanaticorum Sententia, qui fingunt Juſtitiam Chriſti in animas noſtras ità inſinuari, aut induci, ut nobis ſubjectivè inhæreat. Sequeretur enim Juſtitiam noſtram eſſe Divinam, & nullam in ea fore imperfectionem, nedùm peccatum atrocioris ſpeciei.

Quoniàm igitùr Juſtitia Chriſti, *propriè loquendo*, non eſt *Cauſa Formalis*, ſive Cauſa *per quam*, ſed *propter quam* juſtificamur; reſtat ut quænam ſit illa Cauſa, per quam juſtificamur, paucis hiſce Propoſitionibus, juxta mentem *Forbeſii*, ſupra laudati, aliorumque clariſſimorum Theologorum explicarem.

1. Agnoſcunt omnes Remiſſionem Peccatorum ad Formalem rationem *Juſtificationis* pertinere, nec opus eſt, ut in hâc propoſitione firmandâ tempus conteram.

Perem-

Peremptoria iſta Concilii *Tridentini* determinatio de *unicâ Cauſâ formali Juſtificationis* §. 6. *can.* 7. ſuo ſe jugulat telo, niſi plures in *unicam* coaleſcere cenſeantur: Capitis enim initio dicitur, " Juſtificatio non eſt ſolaRemiſſioPeccatorum, ſed " & Sanctificatio & Renovatio hominis interio- " ris, &c. & paulò infrà, unde in ipſâ Juſtifica- " tione cum Remiſſione Peccatorum hæc omnia " ſimul infuſa accipit homo per Chriſtum. Decretum ſibiipſi conciliare moliuntur *Vaſquez* 1, 2 *part.* 2. *diſp.* 404. *c.* 3. *Bellarm. de Juſtif. l.* 2. *c.* 2. §. *quod Concilium. Suarez de Gratiâ divinâ l.* 7. *de Sanctific. hominis c.* 11. *n.* 24. ſed infœlici ſucceſſu. 2.

Formalis ratio Juſtificationis veroſimiliùs (ait *Forbeſius)* in duobus, ſed indiſſolubili nexu conjunctis conſiſtere videtur, in Remiſſione peccatorum, & in Donatione Gratiæ & Juſtitiæ Dei. Remiſſionem peccatorum ad formalem rationem Juſtificationis ſpectare fatentur omnes Reformati; agnoſcunt etiam Sanctitatis infuſionem & inchoationem cum *Juſtificatione* conjunctam eſſe. Et quod peccatum eſt (uti *Vega l.* 15. *de Juſtif. c.* 5. *circa finem)* ſtatuere aliquod verbum quo explicemus utrumque & generatim omnia beneficia quæ illo momento peccatori à Deo fiunt? 3.

Cum Deus dicitur *juſtificare impium*, Rom. 4. ſimùl facit illum ex injuſto reverà juſtum; Judicium enim Dei eſt ſecundum Veritatem. Et niſi quodammodo tolleretur peccati macula cum illius reatu in Juſtificatione, in animâ inhæreret ſicut anteà, & ipſe maneret *injuſtus.* Docent autèm Sciptura, peccata in Juſtificatione non ſolùm remitti, ſed tolli, deleri, longiſſimè à nobis removeri.

Manent quidèm in Juſtificatis peccati quædam reliquiæ (quemadmodùm & *concupiſcentiæ* ſeu *fomitis peccati* in Baptizatis) quæ in illis ſeſe interdùm exe-

 runt;

runt; & ſunt, *in ſe*, moralitèr *malæ*, attamen non conſentientibus, ſed virilitèr per Chriſti Gratiam reſiſtentibus nocere nequeunt; nec coram gratioſo Dei tribunali in peccatum imputantur. *Theologorum teſtimonia copioſè citata vide apud Forbeſ. c.* 5. per totum.

Obj. Tum duæ Cauſæ *Formales* eſſent ejuſdem *Juſtificationis.*

Sol. Juſtificatio eſt Ens unum aggregatione; ergò nihil abſurdi ſequeretur, etiamſi duplex illius ratio formalis aſſignaretur. Alii etiàm reverà duplicem aſſignant; nempe Remiſſionem peccatorum, & Juſtitiæ Chriſti Imputationem; *Beza, Zanchius, Polanus, &c.*

Obj. S. Scripturæ Juſtificationem à Sanctificatione diſtinguunt, *Ex. gr.* Rom. 6. 22. *nunc autèm liberati à peccato, Servi autèm facti Deo* (hæc eſt Juſtificatio noſtra) *habetis fructum veſtrum in Sanctificationem.*

Sol. Liberatio, loco citato, non Liberationem à reatu denotat, quâ totam Juſtificationis rationem conſtituunt, qui hunc locum objiciunt, ſed *Liberationem à Dominio* peccati; ut ex verſibus præcedentibus & conſequentibus manifeſtum eſt.

Obj. 1 Cor. 1. 30. *Chriſtus* dicitur *nobis factus* à Deo & *Juſtitia & Sanctificatio.*

Sol.
1. Res eadem diverſis verbis ſine Tautologiâ ſignificatur, ad majorem Emphaſin Juſtitiæ nomi-
2. ne Remiſſio peccatorum, & Sanctificationis nomine, id quod communitèr eo nomine intelligimus, deſignari poteſt. Ejuſmodi loquendi formula occurrit, 1 Cor. 6. 11. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati, ſed juſtificati.*

Res, ſcil. eadem, diverſis, *Ablutionis, Sanctificationis*, & *Juſtificationis*, vocibus effertur, ad majorem Beneficii amplificationem. Sin diſtinguenda ſit, videatur eſſe diſtinctio partium; *Abluti* erant in Baptiſmo, *Sanctificati* per emendationem

tionem Vitæ, dein ſummam Beneficii accepti effert uno verbo, quod utramque partem exprimit *Juſtificati eſtis*. Sic *Eſtius* in locum.

Apoc. 22. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhùc, & qui ſanctus, ſanctificetur adhùc*, &c. *Obj.*

Locum hunc ſtatim ab initio hujus Sectionis explicavimus. *Sol.*

Rom. 4. 7, 8. *David* beatificationem peccatoris collocat in *Remiſſione*, non Sanctificatione. *Obj.*

Negare poſſumus totam Juſtificationis rationem verbis iſtis exprimi, ſic, *Beati ſunt mundi corde*, *Beati inculpati vitâ*, &c. non hinc inferre licet, excludi *Remiſſionem*. Imo *Remiſſio* peccatorum Synecdochicè *Sanctificationem* etiàm amplectitur, propter arctiſſimam partis utriuſque connexionem. Et κατ' ἐξοχὴν *Remiſſio* appellatur. *Sol.*

Juſtitia inhærens imperfecta eſt, ideoque per illam formalitèr juſtus coram Deo cenſeri nemo poteſt. *Obj.*

Defectus iſtiuſmodi ad Juſtitiam noſtram *actualem*, ſive operum noſtrorum, ſpectant, potiùs quàm ad *Habitualem à Deo donatam*; unde Infantes recens baptizati, verè & ex utrâque parte coram Deo juſti reputantur. Dein Donatio Juſtitiæ ſupponit *Remiſſionem* cum eâ conjunctam eſſe. *Sol.*

Summa rei hæc eſt; ſi Juſtificatio *abſtractè* ſive *præcisè* ſumatur prout Actum forenſem, & meram peccatoris abſolutionem denotet, Ratio illius formalis in Remiſſione ſolâ conſiſtit; ſin *concretè*, prout inſupèr primam Gratiæ inhærentis, Seminumque virtutum Evangelicarum ſationem habet, cum Remiſſione individuè annexam, neceſſe eſt ut initialis illius Renovationis conſideratio, formalem Juſtificationis rationem ingrediatur, maximè cùm Juſtificationis Vocem complexam illam ſignificationem in Scripturis habuiſſe oſtendimus.

De Cauſa Juſtificationis Inſtrumentali.

Cauſ. Inſtrument. Fides. *Inſtrumentalis Fides* in ordine ad *Juſtificationem* diſertè aſſeritur, Rom. 3. 28. Colligimus *hominem fide juſtificari*; & 5. 1. *Juſtificati ex fide pacem habemus erga Deum*, & Gal. 2. 16. *ſcientes, non juſtificari hominem ex Operibus legis, ſed per fidem J. Chriſti.*

Modus quo fid. juſtif. Fide autem juſtificamur, tùm per modum Diſpoſitionis, tùm per modum Inſtrumenti, ſenſu metaphorico, juſtitiam Chriſti apprehendentis & applicantis.

Num ſola. Fide ſolâ nos juſtificari aſſerunt quàm plurimi; ſed cautè explicanda eſt eorum Sententia. Namque aliæ Diſpoſitiones paritèr dici poſſunt inſtrumenta, ſenſu illo metaphorico, ſive media, quibus ex Dei promiſſo remiſſionem peccatorum conſequamur. Quippe quod voces *accipiendi* & *apprehendendi* non ſoli fidei ſuperſtitiosè tribuendæ ſunt; nam bonis operibus ſalutem *accipere* ſive *apprehendere* dicimur, 1 Tim. 6. 19. *Mone ut divites benefaciant, ut apprehendant vitam Æternam.* 1 Cor. 9. 24. *Sic currite, ut apprehendatis*, i.e. *ut brabium accipiatis*, Matth. 19. 29. Luc. 11. 10. 1 Cor. 2. 8.

Pœnitentia non tantum diſponit ad Juſtificationem, ſed medium eſt ad conſequendam Remiſſionem peccatorum, ideoque rationem Cauſæ obtinet, *Ezek.* 18. 21, 22. *Luc.* 13. 3. *Act.* 2. 38. & 3. 19. 1 *Joan* 1. 7, 9. Hæc & alia loca non modo docent, *qui qualeſve* ſint quibus peccata remittuntur, ſed & *quam ob cauſam*, vel *ſub qua conditione* remittantur.

Oratione etiam ſupplici, cum Publicano veniam peccatorum petimus & accipere ſperamus; & ab ipſo Chriſto docemur orare, *Demitte nobis*

debita

debita noſtra, nam & nos remittimus, &c. Luc. 11. 4.

Scriptura nullibi diſertè dicit, fidem *ſolam* juſtificare. Illud Marc. 5. 36. *tantùm crede*; & Luc. 8. 50. Non ad juſtificationem ſpectant, ſed ad miracula edenda. Illud ἐὰν μὴ per fidem Chriſti, *Gal.* 2. 16. exponendum eſt *adverſativè* non *excluſivè*, operum quorumcunque; ſed (ut ibidem diſertis verbis exprimitur) operum Legis, ideoque dicitur, Rom. 3. 28. *Fide juſtificamur abſque operibus Legis*; & Act. 13. 39. *Qui credit in Chriſtum juſtificatur ab omnibus, à quibus non poſſumus per Moſis Legem juſtificari:* Non dicitur, quod fide ſolâ, *i. e.* ſeorſum ab aliis virtutibus Evangelicis. Fides enim *juſtificans* eſt *Fides viva*, quæ per Dilectionem operatur; Fides non *præcisè* ſed *concretè* ſumpta, quatenus cum dilectione, timore, obedientiâ, &c. connectitur.

Nec inde ſequeretur, nos non gratis *juſtificari*; in iis enim virtutibus & operibus nihil meriti magis quàm in ipſâ fide ponimus.

Si Fides per dilectionem operans juſtificat; tum fides & opera præcedunt Juſtificationem, contra quam *Auguſt. de fide & operibus* c. 14. " Bona Opera ſequuntur Juſtificatum, non præcedunt " juſtificandum. *Obj.*

Auguſt. loquitur de operibus, quæ à juſtitiâ habitualiter inhærente oriuntur, & quæ toto vitæ curſu præſtanda ſunt; non de iis quæ per Sp. Sancti gratiam præparantem & aſſiſtentem fiunt; qualia ſunt, *ſevera* in vitam anteactam *inquiſitio*, *pia invocatio*, *vitiorum fuga*, *vitæ emendandæ ſtudium*, &c. Opera enim iſtiuſmodi, præcedentia Juſtificationem, non facimus per Spiritum inhabitantem, & ſpecialem Juſtificationis Gratiam, etiamſi per Spiritum aſſiſtentem. *Sol.*

Actus autem hujuſmodi *diſpoſitorii* non merentur juſtificationem, non quidem de congruo, ut quidam *Romanenſes* agnoſcunt *Dom. à Soto*, *Stapletonus*,

pletonus, &c. gratis enim juſtificamur; quod tamen ſint *Juſtificationis* Cauſæ quodammodò *Efficientes* ex Dei Benignitate & Promiſſione concedendum eſt, ut ſupra oſtendimus.

Nec tamen negandum eſt, quod in Juſtificatione, & Salutis negotio partes præcipuæ Fidei tribuendæ ſint præ aliis omnibus virtutibus Evangelicis, eò quòd Juſtificationis, Dilectionis, Reverentiæ, aliarumque virtutum Radix eſt, & initium. Eſt quaſi Animæ oculus, quo Chriſtum & gratiam in eo oblatum intueamur; & manus, quâ eandem, licet non ſolâ, ſingulari tamen ratione accipimus & apprehendimus; eſt inſuper *Mater bonorum Operum*, *ad Salutem Janua*, aliiſque id genus encomiis pro dignitate celebranda.

SECTIO IV.

De Sanctificatione.

Acceptio Vocis. SAnctificatio, quatenùs denotat primum è conditione naturali tranſitum, & mutationem ad meliorem indolem, haud differt à *Regeneratione* ſive *Converſione*, de quâ nihil novi apponere oportebit ad ea, quæ Capite de Vocatione jam dicta ſunt. De Illâ hoc loco agendum eſt, quatenus *Vitæ emendandæ ſtudium* per depoſitionem vitiorum & virtutum contrariarum tùm acquiſitionem, tùm *benè agendi Exercitationem* ſignificat. Et *Defin.* definiri poteſt, tùm *Interioris* tùm *Exterioris hominis mutatio*, quâ peccati fugâ, boniſque operibus ſtudendo, voluntati divinæ magis magiſque confirmamur.

Hujus

Hujus Cauſa *Efficiens principalis* eſt Deus, Pſ. 51. 10. *Cor mundum crea in me, Deus.* Ezek. 36. 27. *faciamque ut Statutis meis ambuletis.* *Cauſ. Effi.*

Προηγουμένη, Gratia & Benevolentia Dei, Tit. 2. 11, 12. *apparuit Gratia Dei, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, ſobriè, juſtè, & piè vivamus.*

Προκαταρκτικὴ, Chriſtus, 1 Pet. 1. 18. *Sanguine nos redemit è vanâ converſatione.*

Inſtrumentalis Ordinaria,

- *Externa* eſt
  - *Lex*, convincendo de peccati impuritate, Rom. 3. 20. per *Legem cognitio peccati*; & de reatu Mortis, Deut. 27. 26. *Maledictus qui non præſtiterit verba Legis hujus.*
  - *Evangelium*, in ſpem erigendo; & ut applicatio fiat, ad Deum excitando, Joan. 3. 16. *Sic dilexit mundum*, &c.
- *Interna*, Fides, quæ & Sanctif. & aliarum virtutum fons eſt, Act. 15. 9. *purificans corda.*

Extraordinaria

- *Afflictiones*
- *Terrores*, Act. 9. 4.
- *Eventus mirifici*, Joan. 9. 30. & 11. 45.

His enim ſæpè moventur peccatores

- Agnoſcere *peccata*, 2 Sam. 24. 17. eademq; *odiſſe & fugere*, 1 Pet. 4. 1, 2, 3.
- *Inquirere diligentiùs quæ ſit voluntas Dei*, Pſ. 119. 71.
- *Proficere in fide, patientiâ, charitate*, &c. Jac. 1. 2. 1 Pet. 1. 7. Rom. 5. 3, 4.

Materia, in quâ, *Totus Homo*, præcipuè quoad

- *Mentem*, Col. 3. 10. *Novus homo renovatur in agnitionem*, Joan. 1. 9. 2 Tim. 2. 25.
- *Voluntatem*, Ezek. 11. 19. *Dabo cor novum, ut in Statutis meis ambulent.*
- *Affectus*, Gal. 5. 24. *Qui autem ſunt Chriſti carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.*

Formalis illius *Ratio* conſiſtit in

- *Averſione à Malo*, quæ aliàs dicitur *Mortificatio veteris hominis.*
- *Converſione ad Bonum*, quæ dicitur *Novi hominis vivificatio.*

Per *Veterem Hominem* intelligimus

- *Caliginem mentis*, ſive *Ignorantiam rerum Cœleſtium*, Eph. 4. 24.
- *Averſionem Voluntatis*, *à Deo per inclinationes vitioſas*, Col. 3. 9.
- *Affectuum Inordinationem*, Rom. 6. 6.
- *Vitioſorum Habituum exercitium*, Gal. 5. 19. 20, 21.

Hujus *Mortificatio* conſiſtit in

- *Agnitione* peccati & iræ Dei, 2 *Sam.* 12. 13. *Pſ.* 51. 5. *Rom.* 7. 18.
- *Dolore propter Peccata & Offenſionem Dei*, 2 Cor. 7. 10. Pſ. 38. 7, &c.
- *Deteſtatione & fugâ peccati*, Rom. 6. 6, 12. & 7. 24.
- *Expulſione vitioſorum habituum.*

Novus homo denotat

- *Intelligentiam rerum cœleſtium*, 1 Cor. 2. 14, 15.
- *Converſionem Voluntatis ad Deum*, Jer. 31. 31. Ezek. 36. 27.
- *Affectuum obſequium*, Rom. 7. 24, 25.
- *Virtutum ſpiritualium Exercitium*, Gal. 5. 22, &c. Philip. 4. 8.

Novi

Novi hominis vivificatio, ſive *Succeſſiva Rectitudinis inflammatio*, conſiſtit in

- *Illuminatione Mentis*, quâ agnoſcitur miſericordia Dei in Chriſto exhibita, 1 *Tim.* 1. 15.
- *Accenſione fiduciæ in Chriſtum*, Pſ. 103. 2, 3. Gal. 2. 20. & *Lætitiæ de Senſu miſericordiæ Divinæ*, Pſ. 116. 7. Luc. 1. 46. & 2. 29.
- *Affectuum ſubjugatione*, & *qualitatum novarum ingeneratione*, 1 Cor. 9. 27.
- *Exercitio Bonorum operum*, Matth. 5. 16. & 7. 18.

Finis Sanctificationis eſt,

vel
- *Ultimus*, qui eſt *Gloria Dei*, Phil. 1. 11.
- *Subordinatus*, qui eſt *Salus noſtra*, 2Pet. 1, 10. Jac. 2. 18.

Effecta Sanctificationis ſunt varia illius Officia erga Deum & Proximum, juxta utramque *Decalogi* tabulam.

Sectio V.

De Glorificatione.

QUemadmodum *in Morte* peragitur Piorum *Sanctificatio*, ita *per Mortem* inchoatur eorum *Glorificatio*. Tunc enim exuuntur peccati reliquiæ, Rom. 6. 7. *Qui mortuus eſt, liber eſt à peccato*; non quòd peccatum morte extinguatur cauſalitèr, (illud enim ſanguine Chriſti abſolvitur) attamen non niſi morte, ſive non niſi cùm morimur, penitùs aboletur, 1 Cor. 15. 54. *cum mortale*

mortale induit immortalitatem, & abſorpta Mors eſt ad Victoriam.

Glorificationis conſideranda ſunt

Antecedentia, nempe *Reſurrectio*, *Judicium Extremum*, & *Conſummatio Sæculi.*
Ipſa Glorificationis Poſſeſſio, ſeu *Vita Æterna*, cui opponitur *Æterna Mors.*

Reſurrect. *Reſurrectionem carnis realem* profitemur, non modo *Metaphoricam*, ſive *Liberationem à Calamitatibus*, quæ ſæpè *Mortis* nomine in Scripturis indigitantur; illam negârunt *Libertini*, *Epicurei*, *Sadducæi.* Adſtruunt autem S. Literæ, *Job* 19. 25. ubi ſolennis præfatio indicat ſe de re Graviſſimâ locuturum, & Sermonis Sublimitas docet, Cogitationes ejus ſupra mundum aſpectabilem evectas fuiſſe. Pſ. 17. 15. *Satiabor ſimilitudine tuâ, cùm excitatus fuero*, Dan. 12. 2. Joan. 5. 28, 29. Matt. 22. 31. & 25. 32, &c.

Obj. 1. *Præocc.* Eccleſ. 3. 19. *Similis eſt Eventus homini & bruto*; ſed quoad ſenſum duntaxat externum.

2. 1 Cor. 15. 48. *Erit quidem corpus cæleſte*, idem verò quoad ſubſtantiam, licet mutatum quoad Qualitates; eritque cœleſte, Domicilio & Gloriâ, non Eſſentiâ magis quàm Origine; eritque etiam ſpirituale, Dotibus, non Subſtantiâ. Sic 1 Cor. 15. 43. *Seritur corpus ignominioſum, glorioſum excitatur.*

3. Pii, quamvis nati ſint ſurdi, cœci, claudi, Reſurrectione liberantur ab iſtis defectibus.

4. Caro, & Sanguis, & quodcunque peccato inquinatum eſt, aut morti obnoxium cœlum non intrabit, *i. e.* quamdiù inquinatum, aut morti obnoxium.

5. 1 Cor. 15. 37. *Corpus quod futurum eſt, non ſeminatur; ſed nudum granum.* Hinc inferunt nonnulli, quod *idem Corpus* non reſurget. Attamen eo loco non innuitur Subſtantiæ *diverſitas*, ſed tantum diverſa Corporum qualitas. Ibi enim

Scopus

Scopus Apoſtoli eſt probare corpus non ità putreſcere, quin *inſtar ſeminis* reſurgat, non quòd vel *idem* vel *non idem* reſurgat. *Spica enim quæ oritur, alia eſt numero à grano nudo quod ſeritur; etiam ex uno, grana plura exurgunt.* Similitudo igitur non extendenda eſt ultra Scopum, nè claudicaret.

Ad Inſtantiam de *Anthropophagis*, quæ implicare videtur, quòd quiſq; proprio ſuo corpore & integro, non reſurgat Reſpondendum; Partes corporis alias eſſe neceſſarias & permanentes, alias adventitias & tranſeuntes, quæ per nutritionem quotidiè accedunt, iterúmque diffluunt. Qualeſcunque autem mutationes fiant, non conſtat partes neceſſarias unius fieri niſi adventitias & diffluentes alterius; atque ſi Chymici poſſint Flores & plantas ex eorum cineribus excitare, quanto faciliùs poterit Deus pulverem noſtrum aliis corporibus permiſtum ſeparare, ut quiſque habeat partes quæ ad conſtitutionem corporis reſurgentis ſpiritualis ſufficiat. 6.

Quum præmia vel ſupplicia tùm Animæ tùm Corpori cujuſque peccantis ſecundum opera retribuenda ſunt, quomodò juſta fieri poteſt Retributio Corpori *pœnitentis*, & *morientis* in Domino? Moritur cum partibus quæ ſibi poſt pœnitentiam accreverunt; partibus autem quæ illi inſtrumenta fuerunt dum vixit in peccatis, & diffluxerunt, debita erant ſupplicia; ſed cùm diffluxerunt partes iſtæ, quomodò infligenda? *Obj.*

Silente Scripturâ, nihil temerè ſtatuendum eſt. Sin conjicere liceat, Partes iſtæ diffluentes cum à corpore ſeparantur (cui tantùm adventitiæ erant) inter *inſenſibilia* cenſendæ ſunt, quæ pœnas dabunt naturæ ſuæ congruas, communi corporum animatorum Conflagratione. *Sol.*

Num

Num Chriſtus è Cœlo deſcendet, Mille annis in terris viſibiliter Regnaturus ante Conſummationem Sæculi?

Vulgo notum eſt *Judæos* expectâſſe Regnum Meſſiæ terrenum, *Hieroſolymam* gemmatam, inſtaurationem Templi, glorioſos ſucceſſus & triumphos, cunctarumque Gentium ſervitutem.

Cerinthus aliiq; Hæretici Regnum Chriſti Millennarium ſomniarunt terrenum, necnon carnalibus voluptatibus Nuptiis, & Epularum deliciis vacationem, Mille iſtis annis duraturam.

Regnum etiam Millennarium adhuc futurum arbitrabantur permulti ex Patribus, ſed quod ſpiritualibus tantum deliciis & privilegiis abundaret, inprimis *Papias*, *Joannis* Apoſtoli, ſive (ut quidam exiſtimant) potius *Joannis* Preſbyteri, tempore *Trajani*, diſcipulus, vir alioqui probus, ſed modico judicio (referente *Euſebio.*) Hunc in eadem ſententia ſecuti ſunt permulti tum Veteres tum Recentiores.

Hæc *Chiliaſtarum* opinio præcipue fundari videtur in viſione *Joannis* Apoc. 20. 4. *Vidi ſedes & ſederunt ſuper eas, & judicium datum erat eis, & Animas eorum qui percuſſi ſunt propter teſtimonium Jeſu, & propter ſermonem Dei, quiq; non acceperant characterem ejus* [Beſtiæ] *in frontibus, aut in manibus, viventque & regnabunt cum Chriſto mille annis.*

Hinc non negatur Regnum Chriſti millennarium. In hiſce autem ſita eſt Chiliaſtarum *Controverſia an futurus ſit* viſibilis *Chriſti* adventus, *ad Regnum millennarium* in terris *adminiſtrandum, ante Judicium Ultimum, & Conſummationem Sæculi.* Neg.

Adven-

Adventus proximus Chriſti viſibilis ſemper in S. Literis cum Ultimo Judicio & Univerſali Reſurrectione conjungitur, *Mat.* 25. 31, &c. *tum alii ad dextram, alii ad ſiniſtram ſtatuentur*, &c. 1 Cor. 15. 22, &c. *cum reſurrectione & abolitione mortis.* At in Millennario Regno homines *morituri* ſupponantur, aut ſaltem Bello Gogico ſecutura. *Joan.* 14. 3. conjungitur cum *aſſumptione fidelium in ſinum Patris.* 1 Theſſ. 4. 16. cum *Reſurrectione* & raptu *fidelium ad Chriſtum.* 2 Tim. 4. 1. cùm *advenerit, judicabit.* Act. 3. 21. *Manſurus eſt in Cœlo uſque ad judicium.* Heb. 19. 24. *Sedebit perpetuò ad dextram Dei, idque in Cœlis.* *Arg.* 1.

Regnum Chriſti non eſt hujus mundi, in terris, temporarium & terrenum, ſed cœleſte & æternum. *Arg.* 2.

Chriſtus negat coram *Pilato* Regnum ſuum *tunc* temporis fuiſſe terrenum, *Joan.* 18. 36. Dein poteſt eſſe Cœleſte ratione Conditionis & Formæ, etiamſi mundanum ratione loci. *Excep.*

Chriſtus negat Regnum ſuum tunc mundanum eſſe quale fingunt Chiliaſtæ, Regnum, ſcil. quo ſumma tunc fœlicitate & deliciis vitam agerent, & quo ſubditi Regem ſuum ab inimicis vindicarent; & vox illa non eo loco eſt adverbium temporis, ſed conjunctio quæ aſſumptionibus ſæpe adhibetur ut *Beza* annotat: Porrò niſi Chriſtus innuiſſet Regnum, & tunc & ſemper eſſe ſolummodo ſpirituale, *Pilato* de Regni terreni ambitu hæſiſſet ſcrupulus. *Sol.*

Eo ordine Viſiones *Joannis* implebuntur, quo implenda narrantur, ſed narratur Regnum millennarium intervenire excidium Beſtiæ, i. e. Anti-Chriſti, cap. 19. 20. & Bellum Gogicum, cap. 20. ver. 10. cum 1°. proinde adhuc futurum eſt ante diſſolutionem mundi, ultimumque judicium. *Obj.*

Viſiones Apocalypticæ non exhibent futurorum *Sol.*

hiſtoriam ſtrictè adeò continuatam, ut eadem non interdum repetantur, cum additione quorundam, quæ fortè antea fuerant omiſſa; illud hâc viſione factum eſſe obſervetur; mutuas ſibi invicem ferebant operas Beſtia & Draco; & *Joannes* cap. 19. narrat quid accidit Beſtiæ ſive Antichriſto v. 20. Progreſſus quoſdam utriuſque tum cap. 19. tum cap. 20. Cap. autem 20. narrat inſuper ligationem Draconis five Satanæ Regni Millennarii adminiſtrationem; & Draconis Abjectionem in ſtagnum ignis, quæ cap. 19. non declaràſſet; non autem inde conſtat Regnum Millennarium interveniſſe excidium Beſtiæ & Bellum Gogicum.

Obj. Draco ligatus dicitur Cap. 20. 1, 2. & ligandus erat durante Millennio, nè Gentes ſeduceret, nondum autem ligatus eſt ergo Regnum illud adhuc expectandum, nam vix aut nè vix quidem à tempore *Conſtantini* ad *Ottomannum* (quæ multorum fuit opinio) ligatus fuit. Colluvies enim Hæreſium, Graſſatio Mahumedanorum, Myſterii iniquitatis accretio, & piorum in eo intervallo, perſecutiones ſolutum potius quam ligatum fuiſſe Satanam arguunt.

Sol. 1. Ligatus erat ut non gentes ſeduceret ſicut *antea*, & ad hoſtiles *lanienas* (quales ſub Ethnicis pertulerunt Chriſtiani) Imperatores ſequentes excitare non valuit.

2. Demus mille iſtos annos halcyoneos interveniré Ligationem Draconis & Solutionem illius ad excitandum Gog & Magog, non probent Chiliaſtæ Regnum illud aut terrenum eſſe aut in terris futurum, aut præteriiſſe; multò minus probabunt Chriſtum adventu intermedio & viſibili aut veniſſe aut venturum eſſe ad Regnum illud adminiſtrandum.

3. Concedunt nonnulli Regnum hoc in terris fuiſſe mille annis à deſtructo Templo Hieroſolymitano, alii à tempore *Conſtantini*, quia conticuêre Dæmo-

Dæmonum Oracula, integræ Gentes ad Chriſtum converſæ erant, atque ita in terris Chriſtum regnâſſe fatentur. Attamen è Viſione hac illud colligi non poteſt. Dicitur enim *Joannes* vidiſſe, non Chriſtum regnantem in terris, nec Fideles corporibus reunitos, ſed Animas Securi percuſſorum regnantes cum Chriſto.

Anima in Scripturis ponitur pro toto homine, *Exc.* 1.
& ita hic ſumenda eſt, nam,

Joannes loquitur de Animabus quæ ex mortuis ſurrexerant, Anima vero ſola non reviviſcit ſed cum Corpore.

Vidit Martyres reſuſcitatos cum Chriſto regnantes, ver. 5. 2.

Non ſequitur Animam hic totum hominem indicare, eo quod ita quandoque ſumatur in Scripturis. *Reſp.*

Gen. 46. 26. *Moſes* non ait omnes Animæ egreſſorum, ſed Animæ egreſſæ, & Act. 27. 37. *Eramus in navigio Animæ ducentæ ſeptuaginta ſex.* Hic autem *Joannes* vidit Animas percuſſorum non Animas percuſſas.

Ex Antetheſi v. 5. [*Reliqui ex mortuis non revixerunt*] rectè colligitur Martyres jam reſurrexiſſe. *Exc.*

Reliqui non dicuntur non *reſurrexiſſe*, ſed non *revixiſſe*, vita nempe eorum revera mors erat. *Reſp.*

Additur, hæc eſt prima [Reſurrectio] ſed non propriè dicta, ſed figurata, ſcilicet, Reſurrectio ſeu fœlicitas quâ coronabantur fideles. Hæc enim clauſula referri videtur non tam ad verba immediatè præcedentia, ver. 5. A quibus periodo ſejungitur, quam ad ſtatum fœlicem Sanctorum, ver. 4. deſcriptum.

Eo in loco futurum eſt Regnum Millennarium quo per Gog & Magog oppugnandum eſt, ergo in terris, ver. 9. aſcenderunt per latitudinem terræ & circumierunt Caſtra Martyrum & Urbem dilectam. *Obj.*

Juxta

Sol. Juxta hanc Viſionem Bellum Gogicum gerendum erit poſt finitos illos mille annos, & Satanæ ſolutionem. Nihil ergo impedit quo minus in terris ſint Urbs dilecta & Caſtra Sanctorum, etiamſi Martyrum aliorumque defunctorum *Animæ* antea mille annis in Cœlis cum Chriſto regnaverint, & annis illis glorioſos ſuos egerint triumphos, tunc autem ob victoriam eo bello reportandam denuo renovandos, & in æternum cum integro Sanctorum commilitio duraturos.

De Conſummatione Sæculi.

Quod ſit futur. *Æternitas* Mundo tribuitur à *Porphyrio*, *Proclo*, aliquo uſque ab *Ariſtot.* ac *Interitus* ejus negatur, ab aliis irridetur, 2 Pet. 3. 4, &c. Eum tamen interiturum agnoverunt quidam Ethnici, ut cecinit *Ovid. li.* 1. *Metam. fab.* 7.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia Cœli,
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Interitum illius clarè prædicant Sacræ Scripturæ, 2 Pet. 3. 6, 7. Pſ. 102. 26. Luc. 21. 33. *Cœlum & Terra præteribunt, Verba autem mea non præteribunt.* 1 Cor. 15. 24. *Deinde erit finis*; *& jurat Angelus.* Apoc. 10. 6. *Per viventem in ſæcula, tempus non fore amplius.*

Modus. Nec de modo Interitûs illiûs prorsùs ſilet Scriptura; nàm per ignem periturum prænunciat, *Iſa.* 66. 15. 2 *Pet.* 3. 7.

Num mundus annihilandus. De *Mutatione* & *Conflagratione* non dubitatur; ſed nùm *Mutatio* futura ſit *Subſtantialis*, an *Accidentalis*; ſive nùm Cœlum & Terra obnoxia

noxia ſunt *totali Corruptioni* & *Annihilationi*; an ſolummodò *Alterationi*, à multis controvertitur.

Alterationem tantùm innuere videntur hæc Oracula, Pſ. 102. 27. *Veluti pallium mutabis*, &c. Rom. 8. 19. *Creatura dicitur vanitati ſubjecta*, & per Proſopopœiam ſperare *vindicationem* è Servitute Corruptionis in *Libertatem Filiorum Dei*.

Abolitionem & *Annihilationem* denotare videntur alia, Iſa. 65. 17. *Ecce ego creo Cælos novos & Terram novam.* Apoc. 21. 1. *Cælum & terra abiiſſe* dicuntur, *nec Mare ampliùs extitiſſe*. Conciliari autem poſſunt hæ Sententiæ, ſi dictæ S. *Petri* prophetiæ attendentes, dicamus totum quidem viſibilem Mundum *ſolvendum*, *liquefaciendum* quaſi *metallum* quoddam à ſcoriis purgandum; atque Deum inde novos Cœlos & novam Terram excitaturum. *Conciliatio.*

Nec obſtat Vox *Creandi* [*Ecce creo novos Cælos*, &c.] Nam *Creatio meram inſtaurationem* ſæpè notat; ſic Pſal. 51. 10. 2 Cor. 5. 17. *Nova dicuntur* quæ *renovata* ſunt; *Novum Cor*, *Nova Creatura*, *Novum Mandatum*, &c. Ità etiàm Cœlum & Terra abitura dicuntur, nec *Mare ampliùs exiſtere*, quemadmodùm Læta interdùm ità triſtibus ſuccedere dicuntur, ut *abſorpta* ſit priorum *memoria*, ſive licet abitura ſint quoad formam & ſtatum, maneant quoad ſubſtantiam aut materiam, ſaltèm *non annihilanda*.

Judicium Extrem.

De Extremo Judicio.

Reſurrectionem proximè ſequitur Judicium. Non autem hîc agitur de Judicio *particulari* animæ cujuſque ſtatim à morte, Heb. 9. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium*; ſed *Univerſali* quod in fine mundi venturum eſt, & *Extremum ſeu Ultimum, Futurum, Æternum,* & *Magni illius diei*, in Scripturis vocatur; cujus conſideranda ſunt,

- *Materia*, ſcil. *Perſonæ* & *Res judicandæ*, Matth. 25. 31, &c.
- *Forma*, quæ conſiſtit in
  - *Apparatu* ad Judicium per
    - *Adventum Chriſti Judicis* (cum Satellitio Angelorum) Repentinum, Viſibilem, Glorioſum, 2 *Theſſ*. 1. 7. *Marc*. 13. 35, 36. Matth. 17. 27. — 26. 64.
    - *Seſſionem ſuper Thronum Dei*, Dan. 7. 9. Matth. 19. 28. Rom. 14. 10. 2 Cor. 5. 10.
    - *Congregationem omnium Gentium ad tribunal ipſius*, Matth. 25. 32.
    - *Separationem Electorum à Reprobis*, Matth. 25. 32, 33.
    - *Apertionem Librorum ex quibus omnes ſunt judicandi*, Dan. 7. 10. Apoc. 20. 12. 15.
  - *Promulgatione Sententiæ*, tùm Abſolutionis tùm Condemnationis, *Matth*. 25. 34. & 41. *Joan*. 5. 24. 29.
  - *Executione Sententiæ latæ*, Pſ. 1. 5. Apoc. 6. 17. Matth. 25. 46. 2 Theſſ. 1. 5, &c.

Certò fut. Quòd certò ſit futurum, probant Scripturæ nuper allatæ. Probant etiam Rationes ex Juſtitiâ Dei,

Dei, quæ vult ut tandem *Bonis benè*, & *Malis malè* ſit, 2 Theſſ. 1. 7, 8. *juſtum eſt*, &c. à Conſcientiæ teſtim. *Rom.* 2. 15, 16. Ethnici quodammodo agnoſcunt, quo ſpectant, quæ de *Æaco*; *Minoe*, *Rhadamantho*, fingunt Poëtæ.

Dicitur, quod Fideles non venient in Judicium, *Præoccup.* *Joan.* 5. 24. ſcil. non in *Judicium Condemnationis* ſed *Abſolutionis*: *Infideles jam judicantur*, i. e. ratione judicii Scripturis declarati. *Et nunc eſt Judicium mundi*, Joan. 12. 31. non autem inde ſequitur futurum non eſſe expectandum.

Quamvis mortui illicò mercedem operum recipiunt; Judicium tamen Univerſale futurum eſt, ut glorificetur Filius Hominis ad laudem bonorum, & malorum ignominiam; & ut *totus homo judicetur*, *præmiumque recipiat*.

Secundum opera Judicium erit; non autem ſecundum operum merita, ſed ſecundum teſtimonium quod opera de Autoribus eorum exhibent, ſcil. an verè pii fuerint, necne.

De Vitâ Æternâ, ejuſque Beatitudine.

Vita, quoad vocem, indicat *Corporis* & *Animæ unionem*, etiam Reprobis communem. Hîc autem Vita ſumitur pro Statu fœliciſſimo Fidelium; cujus *Fælicitas* ſeu *Beatitudo* eſt,

vel { *Inchoata*, *Completa*.

Inchoatâ, in Vitâ præſenti, per Remiſſionem Peccatorum, & Renovationem noſtri ad Imaginem Dei; unde *Vitâ nova* appellatur, *Rom.* 6. 4. & *Vita Æterna*, Joan. 6. 47. & 11. 26. Eph. 2. 5, 6. *Cùm mortui eramus in peccatis, unà vivificavit nos per Chriſtum, unâque excitavit & collocavit*

locavit in Cæleſtibus in Chriſto: hinc Conſcientiæ *illa Tranquillitas* & *Conſolatio quam Mundus ignorat*, Joan. 14. 17. & *Gaudium quod intellectum ſuperat*, Phil. 4. 7.

Completa quâ fruuntur Fideles in *Vitâ futurâ*, 1 Cor. 13. 9, 10. *Ex parte cognoſcimus*; *ſed quum advenerit quod perfectum eſt, tum quod ex parte eſt abolebitur.*

Completa verò dicitur, vel reſpectu, { *Partis Beatificatæ.* / *Totius conjunctim.* } Hinc

Animæ. Alia eſt Fœlicitas *Animæ*, alia *Corporis*, alia utriuſque conjunctim.

1. *Animæ* Fœlicitas eſt, quæ fœlicem reddit, tum { *Intellectum.* / *Voluntatem.* }

Intellectus. *Intellectûs* Fœlicitas ordinariè ſignificatur per *Viſionem Dei*, Job 19. 26, 27. Pſ. 16. 11. & 17. 15. Matth. 5. 8. 1 Cor. 13. 12.

Hæc Fœlicitas, per *Viſionem Dei* (quoniam, ut plurimum, metaphoricà) inquirendo in rem unde ſumpta eſt Metaphora, explicanda eſt.

Non negabitur, dandam eſſe *Viſionem Dei* in humanâ Chriſti naturâ glorificatâ; cujus rei documentum extat in illius *Transfiguratione*, Matth. 17. & *Viſione Pauli*, 2 Cor. 12. & *Joannis* in Apocalypſi paſſim. Probabile etiam eſt, quod clariora Præſentiæ & Gloriæ Divinæ in hâc vel illâ Cœli plagâ (quæ idcircò Thronus Dei vocatur) præbeantur, non modo Intellectui, ſed & oculis Sanctorum corporeis jam glorificatis; attamen Deus ipſe ἀόρατος juſtè appellatur, *Col.* 1. 15. Quoniam verò *Animæ Beatæ* dicuntur quodammodo *faciem Dei videre*, idque conſpectu, qui, cum ſit intellectivus, opponitur *Cognitioni, quæ ex parte eſt*, 1 Cor. 13. 12. Diſputant Scholaſtici de modo, quo Deus videri poteſt quoad Eſſentiam.

Certè

2

Certè Eſſentia Dei in Infinitate ſuâ adæquatè capi nequit ab Intellectu finito; nam *Inviſibilis* eſt, & lucem habitat *inacceſſibilem. Hunc nullus vidit unquam nec videre poteſt*, 1 Tim. *6. 16.* Hoc ſolidè aſſerunt, *Baſil. l.* 1. *contra Eunomium. Theod. Dial.* 1. *Chryſoſt. de incomprehenſibili Dei Naturâ.* Non comprehenſivè vident ſive cognoſcunt Deum Beati. Aiunt *Auguſt. Ep.* 112. *Bonav. l.* 1. *diſt.* 3. *qu.* 1. *Aquin. &c.* & perperàm interpretantur *Chryſoſt. de Viſione comprehenſivâ* loco nuper citato, locutum fuiſſe.

Ad Apoſtoli verba, 1 Tim. *6.* 1*6. Nullus Deum vidit unquàm, nec videre poteſt*, excipit *Bonav. Nullus viribus ſuis, ſed munere Dei.* *Excep.*

Deo ſolida Laus tribuitur, Joan. *6. 46. Quod Patrem non viderit quiſquam niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* *Reſp.*

Angeli non poſſunt ferre ſplendorem, quo Deus apparet, *Iſa. 6.* 2.

Et plenè videri non poſſit Eſſentia Dei, nec Eſſentia ipſa omnino; quia ſimpliciſſima eſt. *Claritas* etiàm *infinita* magis tranſcendit *oculum mentis*, quam *Solis fulgor oculum corporis.*

Porrò Eſſentia Dei eſt Infinita, Anima, utut Beata, eſt finita; nulla ergò eſſet proportio inter Facultatem & Objectum.

Infinitum Compoſitum, quale eſt infinitum molis, non capi poteſt à finita, ſed Deus eſt Infinitum ſimplex. *Excep*

Si videri poſſet Dei Eſſentia, eo ipſo quòd ſimplex eſt, videretur ejus Scientia, & quæ in Deo ſunt omnia. Et ità Sancti eſſent omniſcii. *Reſp.*

Videbitur Deus in Cœlis *facie ad faciem*, 1 Cor. 13. 12. *Obj.*

Apoſt. loquitur de Filio Dei Mediatore. *Sol.* 1.

Si ad Deum abſolutè referantur iſta verba, *Clariorem* ſolummodò *cognitionem* innuunt. Haud abſimili 2.

ſimili loquendi formula effertur Viſio illa Dei, quâ *Moſes* dignatus fuit præ aliis Prophetis, *Num.* 12. 8.

Inſt. *Cognoſcam ſicut cognitus ſum.*

Sol. *Photius* apud *Œcum. perfectè* & *exactè*, quantum homini poſſibile eſt.

Inſt. *Videbimus eum ſicut eſt*, 1 Joan. 3. 2. ergò Divinam Eſſentiam.

Sol. 1. Non dicitur de Deo abſolutè, ſed ut in Chriſto patefacto, uti ex v. 5. & 8. conſtat.

2. Si de Deo abſolutè, gradum ſolummodò Excellentiorem notat. *Sicuti eſt*, i. e. *ſicut gloriam ſuam in Cœlo patefecit.*

Obj. Si Gloria Dei, tum Eſſentia; nam *in Deo non aliud Claritas, aliud Natura*, Bonav.

Sol. Gloria alia eſt *naturalis*, quæ cum accidentibus expers videri nequit, niſi in Effectis; alia *voluntaria*; & hæc, alia in Terris, alia in Cœlis; de quâ propriè agit Deus, *Exod.* 33. 20, 23. Etiamſi aliter *Aug. Ep.* 112. & quidam alii.

Obj. Intellectus creatus nunquam beatitudinem obtinebit, ſi nunquam Deum viſurus fuerit, nam in Viſione illâ conſiſtit Beatitudo.

Sol. In Viſione & Fruitione conſiſtit, ſed quatenùs à Creaturâ rationali capi poteſt, ut Oculi Corporis fœlices erunt, quamvis internam & ſpiritualem patefactionem non capiant; ità & Oculi Mentis, quamvis ipſam Eſſentiam Dei immediatè, & in ſe, viſuri non ſunt, non propterea beatitudine ſuâ carebunt.

Obj. Ineſt homini naturale Deſiderium cognoſcendi cauſam, cùm intuetur effectum; ſi autem inane manſerit Deſiderium in Sanctis, completè Beati non erunt.

Sol. Ineſt homini in hâc vitâ ejuſmodi Deſiderium; ſed Deſiderium cauſam cognoſcendi, aliter quàm cognoſci poteſt, non eſt niſi à Corruptione, quæ nec modulum ſuum, nec immenſitatem Dei

Dei intelligit, ergò in Cœlis non ſupponendum.

Unio Hypoſtatica naturarum in Chriſto plus eſt quàm *Unio Viſionis* cum ipſâ Eſſentiâ, ergo poſſibilis. *Obj.*

Quamvis illa Unio majoris ſit dignitatis, Naturæ tamen Dei non repugnare novimus quia facta eſt, licet modum quo poſſibilis fuit non novimus: hæc autem *Viſio* impoſſibilis videtur, quia exinde videretur Scientia Dei, & quæcunque in Deo ſunt. *Sol.*

Scientia Dei in actu primo videbitur *viſâ Eſſentiâ* ejus, ſed non in actu ſecundo, quâ operationes & contemplationes Scientiæ complectitur, *Bonav. Aquin.* *Inſt.*

Etiamſi in nobis Actus iſti diverſi ſunt; in Deo tamen (cùm ſit Actus ſimpliciſſimus) idem ſunt, ejus *Eſſe* & *Eſſentia*, *Scire* & *Scientia*, *Actus Primus* & *Secundus*. *Sol.*

Voluntatis Beatitudo erit illius *omnimoda Sanctitas* & *Charitas intenſiſſima*, quâ Deo adhæſuri ſumus, reformati ad Imaginem ejus per participationem Divinæ Naturæ, 2 *Pet.* 1. 4. Ità *David* Pſ. 17. 15. dicit, ſe *ſatiatum iri ſimilitudine Dei cum evigilaverit.* *Fœlicitas Voluntatis.*

Corporis Fœlicitas erit *Conformitas* illius Chriſti glorioſo Corpori, *Phil.* 3. 21. *Corporis.* II.

- *Immortalitate*, 1 Cor. 15. Legimus quidem 1 Tim. 6. 16. Deum *ſolum habere immortalitatem*; intelligere debemus *moriendi impoſſibilitatem*, idque per Eſſentiam.
- *Claritate*, Matth. 17. 2. & 13. 43. 1 Cor. 15. 41.
- *Agilitate*, 1 Theſſ. 4. 17.
- *Potentiâ* & *Virtute*, 1 Cor. 15. 44.
- *Spiritualitate*, quâ non erit cibi potûſve indigum, quo ſenſu Deus eſt aboliturus & Eſcam & Ventrem, *Apoc.* 1. 16.
- *Subjectione abſolutâ Spiritui S.*

III. Utriuſque *Fœlicitas* conjunctim oritur ex

Amœnitate Loci, qui inde *Paradiſus* denominatur, Luc. 23. 43. *Sinus Abrahæ*, Luc. 16. 22. *Hieroſolyma Cœleſtis*, Apoc. 21. 2.

Societate & *Conſortio cum Chriſto*, 2 Cor. 5. 8. Phil. 1. 23. *Cum Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis*, Matth. 8. 11. & 19. 28. *Cum Angelis & innumerabili Sanctorum multitudine*, Heb. 12. 22, 23.

Certitudine Fœlicitatis duraturæ, quæ ſi non certa foret, cruciarentur amittendi metu; hinc autem *imperterrita eſt eorum Securitas, & Exultatio*, Rom. 8. 38, 39.

Adjunctis Dotum prædictarum Cœleſtium, quæ ſunt *Gaudium, Gloria.*

Gaudio ineffabili, & quod omnium Mortalium *Intellectum* ſuperat; fieri enim non poteſt, quin Cœlites ità ex omni parte beati, lætitiâ toti perfundantur. Saturabuntur *Mannâ illâ abſconditâ*, quam Chriſtus *Victoribus* promiſit, Apoc. 2. 17. *Satietas gaudii eſt coram facie Dei*, & *amœnitates ad dextram illius in æternum*, Pſ. 16. 11.

Gloriâ perilluſtri & perfectâ, quâ coronabuntur, 1 Cor. 15. 42, 43. *Quod ſeminatur corruptibile & ignominioſum, incorruptibile & glorioſum excitabitur.* Mortale *induet* Immortalitatem. Et Matth. 13. 43. *Fulgebunt juſti ſicut Sol in Regno Patris ſui.*

Allegoricè inſuper indicantur, tùm Gloria tùm Lætitia, hæc per Symbola rerum præſtantiſſimarum & auguſtiſſimarum, quales ſunt *Regum inauguratio, feſtivitates nuptiales, Jubilationes exultantium, Melodia Cantantium, Citharœdarumque citharas pulſantium Harmonia jucundiſſima.*

Sapientèr autem monemur nè ex Symbolis iſtis Sæcularibus, quæ rerum Cœleſtium adumbrationi

brationi allegoricè inſerviunt, fœlicitatem carnalem fingamus, quæ Brutis magis quàm hominibus accommodata ſit.

An dentur gradus Gloriæ? Quæſt.

Pontificiorum Opinio ex inæqualitate meritorum rejicienda eſt. *Vide c.* 9. §. 4. Aliàs affirmatur. *Reſp.*

Omnes ſunt primogeniti, Heb. 12. 23. *Ad Eccleſiam primogenitorum acceſſiſtis; & omnes ſunt Sponſa Chriſti, Reges & Sacerdotes.* *Obj.*

Hi autem donis diſpares in Terris inveniuntur, quidni in Cœlis? *Sol.*

Omnes æqualiter juſtificantur. *Obj.*

In ipſâ Juſtificatione imparitas eſt, eo quòd huic plura peccata remittuntur, illi pauciora; ideoque non æque remunerantur. *Sol.*

Corona Juſtitiæ *Paulo* reſervata, reſervata eſt omnibus qui diligunt adventum Chriſti, 2 Tim. 4. 8. *Obj.*

Corona in genere piis omnibus reddenda eſt, ſed aliquibus illuſtrior. *Sol.*

Eſtne Fides in Cœlis ceſſatura? Quæſt.

Affirm. 1 Cor. 13. 12. *Mutabitur in Viſionem.* *Reſp.*

Credenda eſt Continuatio & Confirmatio fœlicitatis, etiamſi promiſſiones aliæ adimpleantur. *Obj.*

Manebit Fides Dependentiæ de promiſſis continuandis, non de aliis fruendis. *Sol.*

Num Animæ Fidelium poſt mortem illico Fœlicitate Cœleſti fruituræ, ſint quamvis non omnimodo perfecta? Quæſt.

Affirm. Phil. 1. 23. *Cupio diſſolvi, ut cum Chriſto ſim.* 2 Cor. 5. 8. *Volentes abeſſe à Corpore, & eſſe cum Domino.* Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* *Reſp.*

Mortui,

Obj. Mortui, non ſunt, ſive exiſtere deſiêrunt (juxta dictum Jacobi) *Joſephus non eſt, Simeon non eſt:* ergò non Beati.

Sol. Non *erant in vivis*; non intelligenda ſunt Verba Jacobi, acſi non eſſent omnino.

Obj. Anima cujuſque Animantis, adeoque hominis, dicitur eſſe in Sanguine, *Gen.* 9.4. ergo cum Sanguine perit. Neque loquitur ibi *Moſes* de Solis Brutis, ſed de Animâ Hominis; ut ex verbis ſequentibus patet. ——— *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis illius effundetur.*

Sol. Sanguis eſt Inſtrumentum ad operationes corporeas, & unionem animæ cum corpore neceſſarium, non ad exiſtentiam Animæ humanæ ſimplicitèr, ut in Brutis.

Quæſt. *Nùm Sancti in Cœlis ſint invicem ſe agnituri?*

Reſp. Itâ nonnulli. Chriſtus agnitus erit ab iis qui eum pupugerunt; non ergo ſuis erit ignotus. Et ſi *Adamus* ante Lapſum *Evam*, quam nunquam viderat, & undenàm eſſet agnovit; & *Petrus* in Monte *Moſen* & *Eliam*, multò magis qui pleni erunt Spiritu Sancto & Sapientiâ.

Obj. Alienum hoc eſſet à Beatitudine Sanctorum; dùm Patres ſubinde condemnatos intelligerent, & viderent ſuos Liberos, alioſque quibus arctiſſimâ Amicitiâ devincti & toto pectore dediti fuerunt.

Sol. Omnes acquieſcent juſto Dei Judicio, nec acquieſcentiæ eorum præjudicabit carnalis Affinitas.

Quæſt. *Num Beati tum mentali tum vocali Sermone ſint Deum glorificaturi?*

Reſp. Deus à *toto homine* colendus eſt, 1 Cor. 6. 20. citantur *Doxologia* vocali Sermone prolata, *Apoc.* 5. 9. & 7. 9. & 11. 16. &c. in Transfiguratione Diſcipuli intellexerunt *Moſen* & *Eliam* cum Chriſto colloquentes. *Paulus* audivit verba ineffabilia.

Eritne

Eritne Linguarum Diverſitas? Quæſt.

Quidam cenſent Deum omnibus Linguis Laudatum iri, eò quòd Phil. 2. 11. *Omnis lingua confitebitur Deo.* Alii ceſſaturam Linguarum varietatem, 1 Cor. 13. 8. *Linguæ ſunt ceſſaturæ.* Nec aliud vult Apoſt. Phil. 2. 11. quàm quòd *Chriſti Gloria ab omnibus foret agnoſcenda.* Reſp.

Quæritur ulteriùs à Sciolis, *Quâ Linguâ Sancti ſint Deum celebraturi?* Quæſt.

Quidam cenſent *Hebraicâ*, quia primâ, quia *Adamo* adhuc integro, & Patriarchis in uſu erat; & quia Chriſtus, tùm diebus carnis, tùm poſt aſcenſionem *Paulum* illâ allocutus eſt, *Act.* 26. 14. eamque intelligi aiunt per *Labium Sanctum*, Sophon. 3. 8. Reſp.

Alii *Linguâ Angelicâ*; ſed Angeli, cùm ſint Spiritus, Lingua non loquuntur; Apoſt. per Linguam Angelorum, vult præſtantiſſimam, qualis eſſet Angelorum, ſi loquerentur. Sic facies *Angelica* ponitur pro *elegantiſſimâ.*

Alii *Linguâ aliquâ Cœleſti*, his noſtris *nobiliori*; tùm quod *Paulus* diſertè dicit *Linguas ceſſaturas*, tùm quod audivit *verba ineffabilia*; nempè quæ nemini hâc vitâ poſſibile eſt eloqui. Ità in partes abeunt, qui de rebus ſupra naturæ ſphæram poſitis quidquam abſque Revelatione dogmaticè ſtatuunt.

De Inferno, & Morte Æternâ.

Quod ſit, non modo plurimi Scripturæ loci aſſerunt; ſed & rationes invictæ confirmant, à Juſtitiâ Dei, à Legis maledictione, à peccati turpitudine, & demerito, & à Conſcientiæ terroribus, petitæ.

Mors

Mors Æterna non eſt mera *Annihilatio*, vel *Pœna Damni* ſolummodò; ſed in S. Literis deſcribitur, tùm *privativè* per Remotionem omnis Boni, tùm *poſitivè*, per atrocium pœnarum Irrogationem.

Mala privativa ſunt, *Separatio à Deo & Chriſto, privatio beatificæ Viſionis in quâ poſita eſt Beatorum fœlicitas, Bonorum tùm Animi tùm Corporis, Lucis, Gaudii, & Gloriæ ſempiternæ.*

Malæ poſitiva multiplicia ſunt, quæ per *dolores, fletum*, & *ſtridorem dentium, vermem rodentem, tormenta, clamores*, & *ululatus, ignem inextinguibilem*, &c. adumbrantur.

Quæſt. *An Ignis infernalis ſit incorporeus?*

Reſp. Pontificii, ſtatuminando igni purgatorio (quem eundem cum Infernali quoad ſpeciem, licet gradu & duratione diverſum volunt) illud aſſerere non dubitant, Animaſque eo torqueri ſentiunt.

Alii veriùs negant, & metaphoricè exponi volunt, de graviſſimis angoribus Conſcientiæ & Deſperatione. Ignis paratus dicitur pro Diabolo & Angelis ſuis; at Corpus non agit in Spiritum, cùm non poſſit agere niſi contactu vel mediato vel immediato, nec Animam per Sympathiam cum corpore modò affici ab igne, exiſtimant plurimi, quia cùm ſit præcipua ſcelerum Cauſa, illam immediatè & per ſe, non modò ſympatheticè puniri veriſimillimum eſt.

Bona Cœleſtia ſub Jucundiſſimarum rerum Symbolis depinguntur, quidni paritèr figurata ſit deſcriptio malorum oppoſitorum.

Corpora tamen damnatorum in ignem aliquem Phyſicum dejicienda eſſe non negamus, toties id aſſerente Scripturâ. Cujuſmodi autem, & quæ ejus Conditio ſit nos latet. Seriò ſtudendum, nè unquam experiamur.

Adjuncta. *Adjuncta Pœnarum Infernalium* ſunt,

Inæqua-

Inæqualitas, Matth. 11.22. *tolerabilior conditio Tyri.* Luc. 12.47. *plura verbera.* Matth. 23.14 *graviorem damnationem.* Erit autem *Inæqualitas* non ratione durationis, ſed intenſionis; non ſpeciei, ſed graduum.

Intenſio pœnarum tanta futura eſt, ut nec verbis exprimi nec mente concipi queat.
Extenſio, pœnarum duratio eſt æterna; unde *Ignis inextinguibilis*, & *Mors æterna* appellantur.

Hinc rejiciendus eſt *Origeniſtarum* Error. Nec Infinitas Miſericordiæ Divinæ opponenda eſt; Judicium enim ſine miſericordiâ erit illis poſt mortem; nec immeritò, qui toto Vitæ curriculo miſericordiam & longanimitatem Dei contemnentes *iram ſibi cumulant* & *theſaurizant in diem iræ.* Poſt latam ultimi Judicii ſententiam non juſtè poteſt inſtitui querela; *Nullum abinde dari veniæ locum*, aut *iis clauſam* tunc eſſe *januam*, quibus per totam vitam *patuit*, ſed *intrare nollent.*

F I N I S.

VAI 1529249

BOOKS Printed for and Sold by Henry *and* George Mortlock *at the* Phœnix *in St.* Paul'*s Church-yard.*

THE Works of the Right Reverend and moſt Learned Prelate, Dr. *Edward Stillingfleet*, late Lord Biſhop of *Worceſter.* In Six Volumes in Folio.

The Antiquities of *Nottinghamſhire*, extracted out of Records, Original Evidences, Lieger-Books, and other Manuſcripts, and authentick Authorities; beautified with Maps, Proſpects and Pourtraictures; by *Rob. Thornton* Doctor of Phyſick. *Fol.*

Series Chronologica, Olympiadum, Pythiadum, Iſthmiadum, Nemeadum, quibus veteres Græci Tempora ſua metiebantur, per *Gulielmum Lloyd*, A. M. Epiſcopi *Wigornienſis* filium. *Fol.*

Comber on the Common-Prayer.

Cowley's Works.

Prince *Arthur*, by Sir *Richard Blackmore.*

Dryden's Fables.

—— His Works in Two Vol.

Knowledge and Practice; or, A plain Diſcourſe of the chief things neceſſary to be known, believed and practiſed, in order to Salvation. With a Supplement, and ſeveral Additions, by *Samuel Craddock.* A Book neceſſary to be read in Families. *Fol.*

The Folly and Unreaſonableneſs of Atheiſm, demonſtrated from the Advantage and Pleaſure of a Religious Life: The Faculties of Human Souls: The Structure of Animate Bodies, and the Origin and Frame of the World; in eight Sermons: Preached at the Lecture founded by the Honourable *Robert Boyle*, Eſq; in the firſt Year, 1692.

Of Revelation, and the *Meſſias.* A Sermon preached at the Publick Commencement at *Cambridge*, *July* the 5th 1696. Both by *Richard Bentley*, D. D. Chaplain in Ordinary, and Library-Keeper to her Majeſty, and Maſter of *Trinity College* in *Cambridge.*

An

An Hiſtorical Examination of the Authority of General Councils, ſhewing the Falſe Dealing that hath been uſed in the publiſhing of them; and the Difference of the Papiſts themſelves about their Number. The ſecond Edition corrected. By *Rob. Jenkins*, late Fellow of St. *John*'s College in *Cambridge*.

The Reſtoring of Fallen Brethren; containing the Subſtance of two Sermons on *Gal.* vi. 1, 2. preached at the Performance of Publick Penance, by certain Criminals, on the Lord's Day, uſually called *Mid-Lent Sunday*, 1696. in the Pariſh-Church of *Old Swinford* in *Worceſterſhire*; by *Simon Ford*, D. D. and Rector there: With a Preface, by the Right Reverend Father in God *Edward* Lord Biſhop of *Worceſter*.

Some Diſcourſes, Sermons and Remains of the Reverend Mr. *Glanvill*, late Rector of *Bath*, and Chaplain in Ordinary to his Majeſty; collected into one Volume; and publiſhed by *Anthony Horneck*, D. D. Preacher at the *Savoy*; with a Sermon preached at his Funeral, by *Joſeph Pleydel* Archdeacon of *Chicheſter*. *Quarto.*

The Unreaſonableneſs of a Separation from the new Biſhops; Or, A Treatiſe about Eccleſiaſtical Hiſtory, ſhewing that although a Biſhop was unjuſtly deprived, neither he nor the Church ever made a Separation, if the Succeſſor was not an Heretick. *Quarto.*

The Caſe of Sees vacant by an Unjuſt or Uncanonical Deprivation, ſtated; in Reply to a Treatiſe entituled, *A Vindication of the Deprived Biſhops*, &c. together with the ſeveral other Pamphlets lately publiſhed as Anſwers to the *Baroccian* Treatiſes. Both by *Humphrey Hody*, D. D. Fellow of *Wadham* College in *Oxford*, and *Greek* Profeſſor.

The Hopes of a Reſurrection aſſerted, and applied, in a Sermon preached *December* 4. 1700. at the Interment of Mr. *Tho. Wright*; wherein are ſome occaſional Reflections on the Abuſe of Funeral Sermons. By *Philip Stubbs*, M. A. late Fellow of *Wadham* College *Oxon*, now Rector of St. *Alphage*, *London*.

A Diſcourſe concerning the Nature of Idolatry; in which a late Author's true and only Notion of Idolatry is conſidered and confuted. *Quarto.*

Proteſtant Certainty: Or, A ſhort Treatiſe ſhewing how a Proteſtant may be well aſſured of the Articles of his Faith. *Quarto.*

Veteres Vindicati: In an Expoſtulary Letter to Mr. *Sclater* of *Putney*, upon his *Conſenſus Veterum*, &c. Wherein the Abſurdity of his Method, and the Weakneſs of his Reaſons are ſhewn; His falſe Aſperſions upon the Church of *England* are wiped off, and her Faith concerning the Euchariſt proved to be that of the Primitive Church: Together with Animadverſions on Dean *Boileau*'s French Tranſlation of, and Remarks upon *Bertram*.

An

An Anſwer to the Compiler of *Nubes Teſtium:* Wherein is ſhewn, That Antiquity, (in relation to the Points of Controverſy ſet down by him) did not for the firſt five hundred Years believe, teach and practiſe as the Church of *Rome* doth at preſent believe, teach and practiſe; together with a Vindication of *Veteres Vindicati*, from the late weak and diſingenuous Attempts of the Author of Tranſubſtantiation defended.

A Letter to Father *Lewis Sabran* Jeſuit, in Anſwer to his Letter to a Peer of the Church of *England*; wherein the Poſtſcript to the Anſwer to the *Nubes Teſtium* is vindicated, and Father *Sabran*'s Miſtakes farther diſcovered.

A ſecond Letter to Father *Lewis Sabran* Jeſuit, in anſwer to his Reply.

A Vindication of the Principles of the Author of the Anſwer to the Compiler of *Nubes Teſtium*, in anſwer to a late pretended Letter from a Diſſenter to the Divines of the Church of *England*. Theſe five by Dr. *Gee*, Chaplain in Ordinary to his Majeſty.

A Diſſertation upon the Epiſtles of *Phalaris:* With an Anſwer to the Objections of the Honourable *Charles Boyle*, Eſq; by *Richard Bently*, D. D. Maſter of *Trinity* College in *Cambridge*, *Octavo*. To which may be added, A Chronological Account of the Life of *Pythagoras* and other famous Men his Contemporaries; with an Epiſtle to the Reverend Dr. *Bently* about *Porphyry*'s and *Jamblichus*'s Lives of *Pythagoras*; by the Right Reverend Father in God *William* Lord Biſhop of *Worceſter*.

Ten Sermons preached before her Royal Highneſs the Princeſs *Anne* of *Denmark*, at the Chapel at St. *James*'s; by *Lewis Atterbury*, L. L. D. and one of the Six Preachers to her Royal Highneſs.

The Happy Aſcetick, or the Beſt Exercife; together with Prayers to each Exerciſe: To which is added, A Letter to a Perſon of Quality, concerning the Holy Lives of the Primitive Chriſtians, *Octavo*.

Delight and Judgment repreſented, in a Diſcourſe concerning the great Day of Judgment, and its power to damp and embitter ſenſual Delights, Sports and Recreations, *Twelves*.

The Exerciſe of Prayer; Or, A Help to Devotion: containing Prayer and Devotions for ſeveral Occaſions, *Twelves*.

The Fire of the Altar, or certain Directions, how to raiſe the Soul into holy Flames, before, at, and after the Sacrament of the Lord's Supper, with ſuitable Prayers and Devotions; to which is prefixed, a Dialogue betwixt a Chriſtian and his own Conſcience, concerning the true Nature of the Chriſtian Religion. The 11th Edition. Theſe four by *Anthony Horneck*, D. D. late Chaplain in Ordinary to his Majeſty and Prebendary of *Weſtminſter*.

Digitized by Google

Digitized by Google

163
C
43